

SPLENDORES HIERARCHIÆ POLITICÆ ET ECCLESIASTICÆ.

SPLENDORES
HIERARCHIÆ
POLITICÆ, ET ECCLESIASTICÆ,

A

Cælesti Hierarchia exemplati, & ad Christianum regimen, atq; ad stabilem Reipublicæ permanentiam

ACCOMMODATI.

Cum Quintuplici Indice, in gratiam & vsum Prædicatorum.

I. Pro Dominicis totius Anni. II. Pro Festiuitatibus Sanctorum. III. Pro Exequijs Defunctorum in communi, & in particulari. IV. Rerum notabilium. V. Sacræ Scripturæ.

Authore

A. R. P. PETRO POSNANIENSE Ord: Minorum Regularis Obseruantiæ, & Prouinciarum Poloniæ Patre, S. Theol. Lectore Iubilato.

Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.



CRACOVIÆ,

Apud LVCAM KVPISZ *S. R. M.* Typographum,

Anno Domini 1652.





Perillustri & Reuerendissimo Domino,

D. THOMÆ
A RVPNIOW
VIEYSKI

ABBATIÆ Plocensis perpetuo ADMINISTRATORI, PRÆPOSITO Varmiensi, CVSTODI Gnesnensi, SECRETARIO S. R. M.

Fr. Petrus Posnaniensis Ord. Minor. S. Francisci de Obseruan. & Prouinciarum Poloniæ Pater. P. F. P.



Mnium Theologorum vnanimi consensu, doctrinæ Philosophorum vtiles atque laudabiles censentur, & quòd Deus Author illarum sit, & quòd à viris magno ingenio præditis, non modico labore, nitor earum eluxerit; quippe hoc interest inter doctos & ignaros, quod inter hominem & statuam hominis, quod inter viuos & mortuos. Verùmtamen, teste Doctore Subtili, imbecilles, & prorsùs insufficientes sunt prædictæ doctrinæ Philosophicæ, & ad instituendam inexpugnabilem Rempublicam, & ad perficiendum, consummandumq́; hominem, in his, quæ spectant ad dona cælestia, & animæ salutem, ita, vt de illis dici posit id, quod in prouerbio est: Ad radios Lunæ non maturescit botrus. *Non maturescit, neq; ad perfectionem consum-*

 matam

matam peruenire potest Corpus Politicum per doctrinas humanas, siquidem Reipublicæ perfectæ, dono cælesti firmæ atque stabiles sunt, nec sola dogmata Philosophica imperio annexam gloriam, & robur Reipublicæ parant. Id vel ratio sola suadet, & indicat; quoniam Philosophorum doctrinæ inferiores sunt propensione naturæ humanæ ad sciendum, neque eam ad perfectiones cælestes eleuare valent, atque ad tam sublimem statum erigere, ideoque opus habent perfici ab alto, vt radij lunæ à sole quoad luminis claritatem. Quare Reipublicæ scientiâ Diuinâ, atque cælesti Politiâ destitutæ maximam perfectionem deesse fateri necesse est. Hinc sicut omnibus Philosophorum doctrinis commune est, vt ab altiori scientia perfici postulent, ita & in Stagiritæ Politia id desideratur. Regit quidem ipsa homines, & ordinat ad bona temporalia regulâ dictatiuâ pacis, & honestatis, cum terrenorum & fortunæ bonorum incremento, atque beatitudinis temporalis, & felicitatis augmento; sed ad radios lunæ non maturescit botrus, non sufficit hominibus Christianis, quos corpus Politicum complectitur, terrena sapere, ampliare, & conseruare Regna, pacem, quam mundus dat, inquirere & procurare; ad altiorem finem, & dignitatem natus est homo, & Respublica Christiana instituta. Quapropter multæ gratiæ habendæ sunt Seruatori humani generis, qui in assumpto corpore, tanquam Diuinus Sol Christus DEVS noster, Diuinæ Sapientiæ radijs refulsit in clypeos aureos, discipulos, quos ad reformandum mundum assumpserat, eosque oraculis & exemplis instruxit, & partim per se, partim per eosdem Philosophicam Politiam correxit, cum cælesti iunxit, & in vnum copulauit. Resplenduerunt tandem montes ab eis, Optimates nimirum vtriusque status Politici & Ecclesiastici: nam dum ad maturitatem doctrinæ ciuilis ope Christi perueniunt, in eaque consummati sunt, non iam spiritu Philosophicæ doctrinæ, sed potius Spiritu Dei & Christi probè gubernant Regna terrena, disponendo bona temporalia in ordine ad æterna, ita, vt non solùm deseruiant beatitudini temporali & honestati, verùmetiam

saluti

saluti animarum, eorum, quos non iam vt homines solùm, verùmetiam vt fideles sibi subditos habent, vt in his codicillis de Splendoribus vtriusque Hierarchiæ fusiùs insinuatur.

Et quoniam omnium gentium suffragijs lex sancita est, vt quos edunt in lucem fœtus, Principibus, & Viris eminentibus consecrent, tum vt eorum patrocinium sibi concilient, tum vt monimentis ingeniorum suorum illos donent, & æterno quasi præconio eruditionem illorum edicant, ideò lucubrationes præsentes de Splendoribus Hierarchiæ Politicæ & Ecclesiasticæ (non modico compilatæ labore) id expostulant, vt sub illius auspicijs lumen videant, eique consecrentur, qui vtraque Politiâ, atque ciuili scientiâ bonum commune fouere, & ampliare nouerit: Qui præterea (si meritorum habenda est ratio) domi, & foris etiam in Supremæ Maiestatis Imperatoriæ aula Reipublicæ reputationem, & honorem con-filijs suis salutaribus consecrauit, & duxit: Qui domi onera etiam humeris Atlanticis grauia in Republica supportauit: Qui Regibus in possidendis, & occupandis sceptris Regni fideliter inseruiuit: Qui inter grauißimas Regni curas viro, ac optimati olim prudentißimo solatio, atque auxilio leuamen erat: Qui eruditione, fide, prudentiâ, probitate, cæteris eminere cernitur, huic vel ipsa rerum tractandarum series præsentes codicillos offerre, & dedicare suadet, atque exposcit. Splendet his omnibus ornamentis virtus Tua Perillustris, & Reuerendißime DOMINE, Tibi itaque decus, & non postremum fulcrum Reipublicæ iure debetur id, quod in omnium statuum gratiam, commoditatem, & animarum salutem compilatum est, atque pulchrum in pulchritudinis formam redactum.

De Splendoribus Hierarchiæ, atque Reipublicæ temporalis, & spiritualis, Libri hi pertractant: splendor gentilitiorum Tuorum, doctrinæ, ac virtutum claritas, eruditio, atque authoritas dignitatis Ecclesiasticæ, quâ splendes, Tibi fautori & promotori honoris Diuini, vel ipsa rerum series, quæ in præsenti volumine pertractatur, Tibi, inquam, con-

secran-

ſecrandum decernit. Eâ itaque ratione Nomini Tuo hoc Opus Tibi dedico, & conſecro.

Donum, quod Tibi præſento, ſi attendas ad deferentem, exiguum, ſed ſi id, quod offertur, conſideratione perſpexeris, magnum; non quidem eloquentiâ, aut ſtyli elegantiâ inſtructum, ſed Chriſti ſapientiâ, quæ omnium literarum eſt anima, more maiorum ornatum.

Offerunt alij radios Lunæ, literas humanas eloquentiâ ornatas, offero ego radios Solis cæleſtis, & Chriſtianæ ſapientiæ: Offerunt in ſcientia ciuili riuulos Ariſtotelicos, offero ego fontem, ex quo ſalutis ſubſidium cuiuslibet ſtatus homines haurire poſſunt. Offero & radios Lunæ, ſed in naturam radiorum Solis tranſmutatos.

Quare ſupplex expoſtulo, hilari vultu, gratoque animo munuſculum hoc accipias, & contra æmulos, conatum meum obſcurare procurantes, defendas, atque quod in eis minus luce dignum videtur, ſplendore eruditionis Tuæ excuſa; ſic enim fiet, vt quod in teſtimonium, & ſignum amoris, atque obſeruantiæ meæ erga Te, Tuoſq; deditiſsimo animo protuli, mihi quoque non in vituperium, ſed potius in meritum, & in laudem cedet.

Idem qui ſupra *m.pp.*

CENSV-

CENSVRA A. R. P. COMMISSARII, ET VISITATORIS GENERALIS.

F. LVDOVICVS ZBASZYNIVS, *Ordinis Minorum S. Francisci Regularis Obseruantiæ, Prædicator Generalis, Prouinciæ Minoris Poloniæ Commissarius, & Visitator Generalis, necnon Prouinciæ Maioris Poloniæ Minister, & seruus.*

Adm. Rńdo. Patri PETRO POSNANIENSI, *Ordinis & Prouinciarum Poloniæ Patri, & Lectori Iubilato Salutem in Domino.*

NON caruit encomio paupercula illa vidua, quæ in gazophylacium Ecclesiæ iniecit duo æra minuta; & seruus fidelis, & prudens audiuit suum Euge, qui quinque talentis alia quinque superlucratus est. Non duo æra minuta, sed iam quinque magna volumina Paternitas vestra Adm. Reuerenda iniecit, in gazam prædiuitem Ecclesiæ Christi: nunc sextum Volumen DE SPLENDORIBVS POLITICIS, ET ECCLESIASTICIS mittere parat. Paternitatis vestræ Adm. Reu. laboriosissimos conatus, & molestissimos labores grata mentis attestatione prouocamus, & licentiam concedimus, vt duo Volumina de dictis Splendoribus in lucem emittat, & Commentaria in Tertium Sententiarum, vt iam fecit in primum & secundum, quantocyùs in vsum Academiarum, Scholarumque expediat. Viuat Paternitas vestra Adm. Reuerenda in senectam, & senium, & in labore, quem cæpit, felix pergat, & felicissimè decurrat. Jn Conuentu Varsauiensi ad Sanctam Annam, die 29. Decemb. Anno. 1649.

Locus † Sigilli.

Idem qui supra F. Ludouicus m. p.

Imprimatur.

JVSTVS SLOWIKOWSKI Canonicus, & Archipresbyter Cracouiensis, Illustriss: Suæ Celsitudinis Caussarum Auditor Generalis, de mandato Illustrissimi.

Datum Cracouiæ 30. Martij, Anno 1651.

CENSVRA *Admodum Reuerendi Patris Ministri Prouincialis, Patris* LVDOVICI SKROBKOWICZ.

VOlumen, cuius Titulus est (SPLENDORES HIERARCHIÆ POLITICÆ, ET ECCLESIASTICÆ) operâ, & labore Adm. Reu. Patris Petri Posnaniensis Sacr. Th. Lect. Iubilati, Prouinciarum Poloniæ Patris, olim Diffinitoris Generalis conscriptum, vt typis mandari possit, meum appono calculum. Cùm enim Liber hic illius sit viri Opus, cuius vitæ probitas, morum honestas, ingenij subtilitas, in agilibus dexteritas, in regendo prudentia, non tantùm Prouinciæ nostræ Polonæ, sed toti Ordini nota, perspectaque extiterit; nil nisi, quod est conformè Orthodoxæ fidei, bonisque moribus consonum, in se continere potest: vnde, vt quantocyùs lumen videre possit, dignum existimo. In quorum fidem, has manu nostrâ conscriptas, Sigillo Officij nostri muniri fecimus. Datum in Conuentu nostro Cracouiensi, die 3. Iunij. Anno. Domini 1650.

Locus † Sigilli.

F. Ludouicus Minister vt supra m.p.

CENSVRA *duorum Librorum de Splendoribus Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & Politicæ.*

PRædictos Libros Adm. Reu. Patris Petri Posnaniensis Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, Ordinis & Prouinciarum Poloniæ Patris, Sacræ Th. Lectoris Iubilati, & Diffinitoris Actualis, de mandato Superiorum ad reuidendum traditos, vidi, & de integro relegi, & quia nil tam fidei Catholicæ, quàm & doctrinæ Christianæ contrarium reperi, dignos luce publica per impressionem censeo. Dat. in Conuentu Cracouiensi. Anno Domini 1650. die 12. Iun.

F. Michaël Maśkowski Ordinis Min. Obseruantiæ,
Sacræ Th. Lector Generalis.

ELENCHVS TRACTATVVM ET CAPITVLORVM Vtriusque Libri.

LIBER PRIMVS De Splendoribus Status Politici.

TRACTATVS PRIMVS

De Splendoribus Regni Christi Domini.

TRACTATVS SECVNDVS

De Regno & Rege.

TRACTATVS TERTIVS

De Splendoribus partium Corporis Politici, ſeu Ordinum Regni.

II. Splendor potestatis Iudiciariæ, seu Tribunalitiæ, quòd sustentet Regnum, sicut brachia corpus humanum.

III. Aulicus splendor, quòd lateribus in corpore humano assimiletur.

IV. Splendor militum, quòd sint manus fortes Reipublicæ, quæ triumphum parant, si mortem non timeant, & à voluptatibus abstineant.

V. Splendor Academiarum, & Præceptorum eruditorum in instituendis Iuuenibus in literis, & scientia saluandi animam peritorum, quòd ori & linguæ in humano corpore comparentur.

VI. Splendor nobilitatis, quòd sit robur Reipub. ad instar ossium in corpore humano.

VII. Splendor virorum opulentorum in Republica, quòd sint persimiles arterijs, neruis, & venis in corpore humano.

VIII. Splendor Agricolarum, quòd sustentent Rempublicam, vt pedes corpus humanum.

IX. Splendor Medicorum & artis Medicinæ.

TRACTATVS QVARTVS
De Splendoribus Vmbraticis.

Caput I. Splendor vmbraticus Mercatorum, quòd sequantur Rempublicam, vt vmbra corpus.

II. Splendor vmbraticus Opificum, seu Artificum mechanicæ artis proponitur.

III. Splendor seruorum vmbraticus.

IV. Politiæ, seu ciuilis scientiæ simulachrum, & Regni regendi modus, ex paterna Politia, seu Oeconomica illustratur.

LIBRI SECVNDI.
De Splendoribus Status Ecclesiastici in Hierarchias diuisi.

TRACTATVS PRIMVS
De Splendoribus Primæ Hierarchiæ, seu Sacri Principatus Ecclesiæ militantis.

Caput

TRACTATVS SECVNDVS

De Splendoribus Secundæ Hierarchiæ.

TRACTATVS TERTIVS

De Splendoribus Tertiæ Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.

AD LECTOREM BENEVOLVM.



VO sunt præcipuè, ex quibus genus rei, de qua agendum est, innotescit, nomen, & partitionis forma in angusto folio intimata. Si ad nomen præsentis Operis attendas, gratum esse debet. Quid enim splendori lucido iucundius origine, & assimilatione? Origine, siquidem, (vt inquit Aristoteles) splendor est candor, seu claritas ex reuerberatione radiorum ad corpus opacum. Assimilatione quoque, siquidem Filius Dei est splendor lucis æternæ, & speculum sine macula. Itaque ex vi & dignitate nominis Opus hoc, quod intitulatur De Splendoribus Status Politici, Et Ecclesiastici, *commendationem habet, quod quidem à splendore lucis æternæ Christo Domino incipit, de cuius persona Regali, Regiâ dignitate, regni institutione, & ampliatione primùm pertractat. Deinde splendorem status Politici (qui ad corpus humanum accommodatur) cum suis ordinibus, quasi membris hîc delineatum, & splendoribus fulgidis ornatum cernes. Et quia vmbra sequitur corpus splendidum, ideò secundo loco de splendoribus vmbraticis hîc pertractatur: Et tandem simulachrum status Politici erigitur. Neque absque ratione sufficienti Opus hoc auspicabitur à Christo Rege, ille enim est, qui à montibus æternis Sanctissimæ Triadis illuminat, & veluti fonte æterno luminis diffundit lucem in montes Orbis, Reges, & Principes, quo æquantur ipsi, & subditi eorum: Sic quippe necesse est, vt audiant, quæ facta sunt à Christo, quatenus cogitent etiam, quæ illis sint ex eius imitatione facienda (inquit D. Gregorius) Ille namque est exemplar omnis regiminis, & Imperij beneplaciti Deo, vnde & ad Principes dicitur:* Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. *In hoc exemplari vitæ, & oraculorum Saluatoris clarè cernere licet, quæ decent personas Regum, qualiter omnis conatus Regum, & Principum esse debeat, vt capite & sensibus splendeant, quòd hîc illustrabitur. Ex prædicto tandem exemplari intelligent Reges, qualiter arces Diuinæ protectionis extruant, opulentiam Regni procurent, nominis claritatem, atque oblectamenta ita demum admittant, vt pietas*

D. Greg: Hom. 21. in Euang.

caput

caput offerat; Regna, & Regnorum status non tam ferro, quàm luce fidei, & armis pietatis, atque custodiâ Diuinarum legum, togamque gloriosè tueantur. Denique in hoc codicillo videre est ordinem Regni cum suis statibus, & ordinibus, non secus atque hominem à montibus æternis irradiatum, & rectè constitutum, vbi cor est Christus cum Augustissima Virgine Maria, influens in Regna firmitatem, & inexpugnabilitatem. Caput est Rex: Oculi perspicaces & acuti, Viri Senatores, Optimates, & Principes populi: Brachia, Iusti Iudices, Tribunalistæ: Manus fortium, milites: Latera, Aulici: Os aureum, & lingua eucharis, doctrina præstantissimorum Magistrorum, ac cæteri status persimiles partibus corporis humani lucidi suis splendoribus.

Subsequuntur deinde, vt dixi, SPLENDORES VMBRATICI, *qui sequuntur corpus lucidum; & tandem adijcitur simulachrum Regni, & gubernationis Politicæ, Oeconomicum, & Paternum regimen. Quæ quidem omnia non tam doctrinâ Politicâ, quàm potiùs doctrinâ Christi, cuius scientia Politica est pedissequa, illustrantur. Vt autem non solùm Regna, Reges, & viri Principes Christiani lumine Christi luceant, sed insuper Ecclesia sancta, & status Hierarchiæ militantis Ecclesiæ, splendores sacri Principatus ex arcanis Sanctorum proferuntur in secundo codicillo.*

Et inprimis sacrorum Regis, deinde Principum Purpuratorum, tandem Infulatorum, & reliquorum ad Hierarchiam militantem pertinentium, populorumque eis subiectorum, Christo Domino Præceptore, & monitore, atque exempla in montibus, ex quibus illuminat, & ad imitationem inuitat, proferente: siquidem scire, intelligere, & imitari Christum, non solùm est verùm Politicum esse, quod vnum hodie nomen æstimatur, sed & splendidum lumine à Sole illo æterno prodeunte. Hæc in angusto folio, benigne Lector, tibi præcognoscenda proposui, vt partitionis formam videns, & materiam ad tractandum congestam cernens, quale futurum sit ædificium, præcognoscas.

Adijciuntur tandem indices in vsum Prædicatorum, vt omnibus prosit, quod pro omnibus compilatum est, exemplo sanctorum Patrum, præcipuè S. Bonauenturæ Doct. Seraphici, & D. Thomæ Doct. Angelici, qui, postquam satis desudârunt in pertractanda Theologia speculatiua, quâ

fides firmatur, descendentes cum Christo de monte speculationis, steterunt in loco Campestri, doctrinam moralem illustrando.

Hos pro modulo meo saltem à longè sequi, & imitari exoptaui, contemptis æmulorum obtrectationibus, qui, dum aliquid plus Orbi fecisse superbè publicare contendunt, impetunt eos, qui solam in scriptis Dei gloriam, contemptâ aurâ vanæ gloriæ, quærunt, cùm ipsi mutuato lumine splendeant, quippe nihil nouum sub sole. Mihi satis est voluisse, & attentasse aliquid in gloriam Dei, & commodum publicum in lucem edere, quod assecutusné sim, vel non? Dei, & tuum iudicium esto.

Cæterum hoc vnum à te supplex expostulo, vt eo animo Opus hoc non modico labore elaboratum suscipias, quo à me compactum est, VALEAS.



IN GRATIAM ET VSVM PRÆDICATORVM
I N D E X
Materiarum applicabilium ad Prædicationem
P R O
DOMINICIS PER ANNVM
E T
FESTIVITATIBVS SANCTORVM.

Litera L. librum significat, T. tractatum libri denotat, C. caput indicat, N. numerum marginalem, seu Conceptum ostendit, P. paginam demonstrat.

Dominica I. Aduentûs.
Erunt signa in sole & luna.

DVOS Aduentus Christi Domini commemorat Ecclesia: Aduentum præteritum Christi in carne, & alterum futurum in Maiestate Iudicis. De primo Aduentu L. 1. T. 1. C. 1. n. 8. p. 8. De altero, qualis sit futurus, certificat Christus dicens: Erunt signa, *&c. In sole & luna, scilicet, in cælestibus, & terrestribus. In cælestibus scilicet stellis, & militiâ cælesti immutatio ordinis. In terrestribus quoque, quia Regna, & Respublicæ timore nimio affectæ turbabuntur, quorum ordo est persimilis ordini Astrorum. L. 1. T. 2. C. 20. n. 8. p. 190.*

Aduentum Christi Domini in Maiestate præcedent signa & insignia, quemadmodum & Reges coronandos præcedunt signa. L. 1. T. 2. C. 20. n. 1. p. 184. Post signa prædicta veniet Christus, & sedebit ad iudicandum orbem, ille idem, qui sedit in Throno Crucis, & iudicabit causas nostras, quænam illæ sint. L. 2. T. 1. C. 5. n. 66. p. 412.

Misera est hominum conditio, quòd ignorent futura, supplet tamen hunc defectum sensus odoratus. Lib. 1. T. 2. C. 8. n. 56. p 105.

Cùm præcesserit particulare iudicium vniuscuiusque, ad quid vniuersale futurum? Respondetur ad obturanda ora damnatorum, qui sicut in vita lamentabantur de Deo in tribus. L. 1. T. 4. C. 3. n. 23. p. 343. Ita & de alijs conqueri possent: vt igitur iustißima Dei prouidentia in omnibus appareat, vniuersis reuelatione iusti iudicij opus est. Aliam causam aßignat D. Thomas.

De his, etsi ipsa fabrica corporis humani admoneat, nam sensus communis datus est homini, tanquam Iudex, & Rex sensuum particularis, inter quos diiudicare debet: de quo L. 1. T. 2. C. 12. n. 80. p. 131.

Nihilominùs tamen ipſe Chriſtus in perſona id futurum eſſe reuelat, ille, qui ſecreta ſua communicat per Angelos. L. 1. T. 3. C. 1. n. 11. p. 230.

In tanta rerum reuolutione, conſilium Chriſti eſt: Leuate capita veſtra. *In capite eſt ſedes ſapientiæ, ſunt Aulici, Officiales, & Miniſtri eius, & ſuper omnia optimum, eſt mens. Leuare itaque caput, eſt leuare mentem in Deum, quam antiqui colebant vt Deam, cùm tamen ſecundùm veritatem ſit potius donum Dei. L. 1. T. 2. C. 20. n. 5. p. 188. Leuare mentem ad Auguſtißimam Virginem, quæ ſicut Regnis, & omnibus priuatis confert fulcra, ita & mentem firmat. L. 1. T. 2. C. 1. n. 6. & 7. p. 52.*

Iudex Chriſtus Dominus ſemper fuit in vitæ ſuauis, & ſeuerus in iudicando: hoc idem ſperandum de ipſo in vniuerſali iudicio. L. 1. T. 3. C. 2. n. 27. p. 240. vſque ad n. 29. vbi ſimulachrum recti iudicij Chriſtus in medio aureorum candelabrorum deſcribitur.

Dominica II. Aduentûs.

Cæci vident, ſurdi audiunt.

Poteſtas patrandi miracula eſt tradita à Chriſto, tanquam Diuinitatis ſignaculum, & diploma SS. Trinitatis, quo aſſecurari poterant homines Chriſtum fuiſſe Deum & hominem, quemadmodum traditur Legatis à latere, & Nuncijs Apoſtolicis diploma, ſub annulo Piſcatoris. L. 1. T. 1. C. 1. n. 5. p. 5.

Magnum ſanè miraculum, quòd cæci videant, maximè cæci à natiuitate, quibus Chriſtus viſum reſtituit, tanquam Deus corrigens id, in quo defecit natura. ibid.

Verùm & illud non poſtremum miraculum morale, quod exemplo Chriſti, operantur voluntarij pauperes, de quo Propheta: Beatus vir, qui poſt aurum non abijt, &c. fecit enim mirabilia. *Quænam illa? Mirabile ſanè eſt, quòd cùm videret omnes homines poſt aurum abire, viderat auro venalia iura. L. 1. T. 3. C. 2. n. 31. p. 243. Ipſi tanquam cæci illud contemnant.*

Pauperes Euangelizãtur, *nõ minus eſt hoc miraculum.* Nunquid aliquis ex Principibus in eum credit? *dicebant Phariſæi; ſed turba hæc maledicta, pauperes euangelizantur, de miraculis Chriſti orbi annunciant, quæ contemnebant Phariſæi, quia non erant ex illis, quos Chriſtus traxit. In Chriſto fuit vis attrahendi & incẽdendi eos. L. 2. T. 1. C. 3. n. 29. & 30. p. 380.*

Cæterùm non ſolùm traxit pauperes, ſed & multos diuites, quorum corda transformauit, ibidem n. 31. p. 381. Et alios quidem voce, vt Paulum: Alios inſpiratione internâ. Sed & magnum miraculum, quòd pauperes euangelizentur: Idiotæ facti Theologi: Variarum linguarum ſcientiâ eruditi per Spiritum Sanctum, atque hoc fidei noſtræ veræ non poſtremum eſt teſtimonium.

Dominica III. Aduentûs.

Miſerunt Iudæi ad Ioánnem, Tu quis es?

Miniſtri & Legati annunciantes ſalutem animarum, ſunt prædicatores, quos mittit Chriſtus ad Chriſtianos. L. 2. T. 3. C. 2. n. 22. p. 463. Tales igitur debent eſſe Prædicatores, vt ex mortalibus faciant immortales, ibid. n. 24. p. 469. Non tantùm in bello corporali, ſed etiam in ſpirituali ſunt ſigna, non ſolùm vocalia, ſed & ſemiuocalia, & muta, his Prædicatores excitare debent ad bellum ſpirituale, contra hoſtes inuiſibiles. L. 2. T. 3. C. 2. n. 30. & ſeq.

D. Ioánnes ſignis vocalibus excitabat populum ad ſalutandum Meßiam : Ego *(inquit)* vox clamantis in deſerto.

Dominica IV. Aduentûs.

Procurante Pontio Pilato Iudæam.

POteſtas ſæcularis, ſi non eſt tyrannica, qualis fuit ſub Pilato, & Principibus Sacerdotum, aſſimilatur Angelis tertij ordinis, mediæ Hierarchiæ, qui vocantur Poteſtates, & multò magis poteſtatis ſpiritualis ſtatus. L. 2. T. 2. C. 3. n. 37. p. 438.

Omnis poteſtas temporalis & ſpiritualis ablata eſt à Iudæis, & in tantam vilipenſionem deuenerunt, vt de eis dici poßit, quòd ſint fæx mundi, & hoc in pœnam infidelitatis, & coniurationis contra Chriſtum Meßiam. L. 1. T. 1. C. 2. n. 10. p. 11.

Rectas facite ſemitas. *Semitæ ducentes in Deum, ſunt intellectus, voluntas, memoria, hæ ſunt rectificandæ, intellectus per ſcientias, voluntas per directionem, memoria per reuocationem finis noſtri vltimi.* L. 1. T. 2. C. 5. n. 41. & 42. p. 86. & 87.

Rectæ ſunt ſemitæ, dum ex illis tolluntur impedimenta, & obices, ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, obliuio in memoria, hæ ſunt tollendæ. n. 42. in fine. p. 87.

Pro Die Natiuitatis Domini.

In principio erat Verbum.

TRiplex eſt Verbum, ſcriptum, eſtq; Sacra Scriptura, quam Chriſtiani tanquam ſpolia Iudæorum hæreditate poſſederunt, & Iudæi quidem ſpoliauerunt Ægyptum theſauris materialibus, Chriſtiani verò Iudæos ſpiritualibus. L. 1. T. 1. C. 2. per totum.

Verbum vocale, ſunt traditiones SS. Patrum, quæ licet non ſint ſcriptæ, ſed voce tantùm prolatæ, tamen de manu in manum traditæ ſunt, eſtq; illis fides adhibenda.

Tandem eſt Verbum perſonale, quod ſic vocatur, vt à nomine incipiamus, quia etiam nominum magna ratio habenda eſt. L. I. T. 2. C. 4. n. 31. p. 74. *Quia ſicut Verbum vocale noſtrum originatur à mente, ita Verbum Diuinum à Patre, remotis imperfectionibus.*

Dicitur etiam Filius, quia eſt eiuſdem naturæ cum Patre, eiq; conſubſtantialis, quod eſt de fide contra illos, qui contra Chriſti Diuinitatem coniurârunt. L. 1. T. 1. C. 2. n. 10. p. 11.

Vocatur item Rex, Imperator, Dominus, & quare? L. 1. T. 1. C. 1. n. 6. p. 6.

Hoc igitur Verbum eſt Rex noſter generatione, & Diuinâ voluntate, & quare venit in mundum & natus de Virgine? L. 1. C. 1. per totum.

Paſtores loquebantur ad inuicem.

NON ſunt contemnendi Paſtores, & Agricolæ agreſtes, quia illi fuerunt primi, quibus Angeli annunciauerunt Chriſti Natiuitatem. L. 1. T. 3. C. 8. n. 123. p. 311.

Audita eſt vox Angelorum canentium, & dicentium: Gloria in excelſis Deo; *ſicut magni hoſpites recipiuntur cantu, & muſicâ, in actibus publicis, & diſputationibus: ſic Chriſtus veniens è cælo hoſpes gratißimus, & nunquam viſus, cantu Angelorum, S. Stephanus diſputatione cum Phariſæis, quos confundebat, ita vt ſtridebant in eum dentibus, & Angeli canebant Deo. De beneuolentia, & Miniſterijs Angelorum erga homines.* L. 2. T. 3. C. 4. n. 4. p. 482. per totum.

Circumciſio Domini.

Vocatum eſt Nomen IESVS.

IN Republica diuerſa dignitatum nomina, alia ſunt propria Regibus, alia diuerſis Principibus, conceduntur ab antiquo, & quare? L. 1. T. 3. C. 4. n. 52. p. 258. *Chriſto Domino nomen proprium*

prium IESVS, de cælo concessum est.

Quatuor sunt præcipuè, quibus competit nomen inuictissimi, Deus, Mors, Natura, & Tempus. L. 1. T. 3. C. 4. n. 54. p. 260. Cæterùm solus Christus fuit inuictissimus in procuranda salute nostra, qui, cùm vt Deus esset ex omni parte Beatus, in Paßione ex omni parte fuit laceratus. Cæpit autem vincere in Circumcisione, ideòque ibi vocatus est IESVS, quod interpretatur Saluator, plura L. 1. T. 1. C. 1. n. 8. p. 8. vbi illustratur, quòd Christus descendit in terram armatus, vt vincens vinceret, & data est ei Corona, quæ est signum victoriæ.

Nomina inter Angelos diuersa, sunt indicium diuersi ordinis, & inter homines, sunt indicia morum. L. 1. T. 2. C. 4. n. 31. p. 74.

Epiphania Domini.

Obtulerunt ei Thus, & Myrrham.

TRes in mundo Monarchiæ eminentiores fuére, Romanorum, Græcorum, & Iudæorum. Tribus item proprietatibus Regijs ornati. Romani potentiâ, quæ per aurum, quod victorias parat, designatur, vnde victoriæ, & triumphi. Græci sapientiâ, quæ designatur per Myrrham amaram, quoniam multa amara gustanda sunt, antequam quis euadat in sapientia consummatus. Sanctitate Iudæi, quæ nomine Thuris intelligitur, quod offertur Deo in odorem suauitatis.

Quæ dispersa erant in diuersis Monarchijs, hæc cuncta reperiuntur in Ecclesia sancta. Potentia. Et portæ inferi non præualebũt contra illam. Sanctitas L. 2. T. 1. C. 1. n. 1. p. 359. & seq. Cùm etiam sit veritatis Magistra, adest illi multa sapientia, ibidem. In signum tantorum clinodiorum triplici idiomate vtitur Ecclesia in Missa, Latino, quod erat Romanorum, Græcorum, cùm cantat Kyrie eleison. Hebraico, dum toties repetit Alleluia.

Hæc igitur munera offerunt hodie Magi in persona Ecclesiæ, & nos offerre debemus myrrham tribulationum, aurum sanctitatis, & thus sanctæ orationis. Christus Rex natiuitate, & diuinâ, non humana voluntate. L. 1. T. 1. C. 1. n. 3. p. 3. huic tres coronæ datæ sunt à Patre æterno: Corona aurea, Corona ferrea, & luminosa, quæ per munera à tribus Magis oblata significatur. ibidē. n. 8. p. 8.

Plus Christus offerre nobis potest pro strena, quàm homines Christo, ac Reges. L. 1. T. 1. C. 3. n. 26. p. 28.

Dominica I. post Epiphaniã.

Requirebant eum inter cognatos & notos, & inuenerunt eum in templo audientem & docentem.

IMmanes Tyranni fuére, qui ex Regnis suis exulabant Sapientiam, cùm Christus Dominus exemplo proprio docuerit necessariam esse in his, quæ Dei sunt, vnde & dicebat: An nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse; ideò in Regnis Christianorum ordinauit Magistros, materiam, & modum tradendi sapientiam. L. 1. T. 3. C. 5. n. 70. p. 271.

In quo consistat Sapientia in ordine ad Deum, & regimen Politicum, & quæ sunt ad illud necessaria? ibidem. n. 77. & sequ. p. 276.

Scientia saluandi animam, quæ est scientia per ignorantiam, in quo consistit? ibidem. n. 82. p. 281.

Dicebant Iudæi: Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit eas? Nullus sine labore in Sapientia profecit, etiam illi, qui in statu innocentiæ nascerentur, solus Christus non habebat opus ediscere Sapientiam. L. 1. T. 3. C. 5. n. 73. p. 272.

Et erat ſubditus illis.

NVlli poteſtati Chriſtus Dominus fuit ſubiectus ex neceßitate, ſed ſolùm voluntariè, ſicut & B. V. Maria; immò omnem poteſtatem Reges habent à Chriſto. L. 1. T. 1. C. 3. n. 23. p. 26.

Puer autem creſcebat ætate & ſapientiâ.

AN liceat ex iuuenilibus moribus ſumere indicia de actionibus futuris, ex vultu, & moribus? L. 1. T. 2. C. 4. per totum. p. 73.

Et erat ſubiectus illis. *Chriſtus Dominus erat ſubiectus Regibus, non neceßitate, ſed voluntate. fusè* L. 1. T. 1. C. 2. n. 18. & *ſuprà.* p. 21.

Dominica II. poſt Epiphan.

Deficiente vino, dixit Mater Ieſu: vinum non habent.

QVantùm valeat interceßio B. V. Mariæ pro ſtabilitate Regni, fusè L. 1. T. 2. C. 1. n. 7. p. 52.

Nuptiæ factæ ſunt in Galilæa. *Inter Reges & Regna celebrantur nuptiæ, in inauguratione, & Coronatione. Vbi Regibus imponitur Corona, quæ victoriam de hoſtibus vitiorum præſignat.* L. 1. T. 2. C. 20. n. 2. p. 184.

Traditur Annulus, qui timor Dei, & quare? fusè ibidem C. 20. n. 2. p. 185.

Obligatio Sponſi erga Sponſam Rempub. & è conuerſo Reipub. erga Regem, pertractatur ibidem. C. 22. n. 24. p. 205.

Poteſtas, in ſtatu iſtiuſmodi matrimoniali Patrisfamilias, eſt triplex: Coniugalis, Paterna, & Herilis, de his fusè L. 2. T. 4. C. 4. n. 31. p. 350. *vbi etiam œconomicum regimen eſſe ſimile Politico declaratur, & quòad pluralitatem perſonarum neceſſariarum in regimine domus perfectæ, & in acquirendis neceſſarijs, quòad victum & veſtitum.*

Dominica III. poſt Epiphan.

Domine, ſi vis, potes me mundare.

NVlla macula deformior eſt peccato, quam ſummè abominatur Deus, hæ macula ſunt grauißimum iugum primis parentibus, & filijs eorum impoſitum, ad trahendum aratrum, proſcindens terram naturæ humanæ, pondus intolerabile. L. 2. T. 2. C. 3. n. 42. & 3. p. 442. *Ideò iure meritò Chriſtianos oportet ad Chriſtum recurrere. Non ſolùm dicendo,* potes me mundare, *verùm potes auſteritatem à iugo filiorum Adam, quæ à dæmone imponitur, mitigare, & pondus peccatorum alleuiare.*

Onerum quoque nomen habent peccata, ideò Dauid: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue, &c. *Onere ſuper caput appoſito nil grauius, ita & peccato. ibidem.*

Chriſtus Dominus venit ad tollendas has maculas. L. 1. T. 1. C. 1. *per totum, præcipuè* n. 8. p. 8.

In quo Reges ipſum imitari debent, & omnes ſuperiores, quorum officium eſt dealbare conſcientias. L. 1. T. 2. C. 5. *per totum, præcipuè* n. 40. p. 85.

Dominica IV. poſt Epiphan.

Ecce motus magnus factus eſt in mari, ipſe verò dormiebat.

ETſi Respublica ſiue Regnum accommodatißimè aßimiletur corpori humano, vt habetur in L. 1. T. 2. C. 2. n. 15. p. 57. *accommodatur tamen à nonnullis naui. ibidem.* p. 58. *In hac naui dormit quandoq; Chriſtus ex propoſito, vult enim exci-*

excitari orationibus, vt inquit Interlinearis. Dormit autem Dominus, vt rogationibus indigentium subueniat.

Aßimilatur etiam Regnum cum suo Rege ad Solem: Ordines Regni ad radios Solis. Cæteri status in Regno necessarij, vmbræ. Regna inexpugnabilia sunt, vbi Christus vigilat, & imperat vento & mari, atque imperio suo tranquillitatem facit. L. 1 T. 2. C. 4. n. 35. & sequen. p. 76.

Potestate Diuinâ Christus pacificauit vndas maris, adeò vt mirarentur homines dicentes: Quis est hic? &c. *Hinc redarguuntur, quòd Christum nuncupent hominem, & ex virtute imperantis non cognoscant Deum. L. 1. T. 1. C. 2. n. 17. p. 59. vbi multa de potestate Christi in temporalia, ex qua, quòd sit Deus, dignoscitur.*

Dominica V. post Epiphan.

Cùm autem dormirent homines.

Ipse Dominus explicare dignatus est, quodnam sit hoc semen, scilicet verbum, quod est multiplex. Verbum incarnatum, de quo L. 1. T. 1. C. 1. per totum; quod quidem in natura humana seminatum incarnatum creuit dignitate Regiâ, vt Legislatoris, quoniam instituit Regnum perfectius, quàm cæteri Legislatores, & Politici, aliud ampliauit. Est verbum scriptum item, & per traditionem acceptum.

Potest tamen per semen intelligi hoc totum vniuersum, quod multiplici decore exornauit, dum in eo diuersas creaturas produxit, ad quarum contemplationem ascendendum est multipliciter. L. 2. T. 3. C. 2. n. 26. p. 466

Periculosum est dormire, tepidè agere in contemplatione creaturarum, quas Deus creauit tanquam scalas: valde bonum, vt per earum contemplationem ascendat homo ad amorem Dei, qui est multiplex. ibidem.

Si enim iumenta formicæ docent hominem, iuxta illud: Interroga iumenta & docebunt te, *quantò magis, &c.*

Dominica VI. post Epiphan.

Simile factum est Regnum cælorum grano sinapis.

Granum sinapis significat Ecclesiam, quæ ex humilitate Christi, & opprobrijs Paßionis fit arbor Crucis, in qua volucres cæli resident, diuersi ordines; Et in Ecclesia Dei est, quippe Ecclesia, Hierarchia, de quo L. 2. T. 1. C. 2. p 369. per totum Hæc item arbor est Regnum sæculare, quod item est Hierarchicum. ibidem.

Ampliauit Christus Regnum cælorum armis, & vexillo Crucis. L. 1. T. 1. C. 5. n. 43. p. 45.

Volucres cæli, id est, omnium nationum homines habitant in ea, quia Ecclesia est sancta, & persimilis cælesti, & Catholicæ. L. 2. T. 1. C. 1. n. 9. p 363.

Volucres cæli, comparantur fideles corporibus cælestibus, quia hæc est differentia inter corpora cælestia, & terrena, quòd terrena mouentur amore concupiscentiæ, & omnia ordinant in suum emolumentum. Cælestia verò mouentur & influunt in commodum inferiorum. Ea quoque est differentia inter bonos Reges & Principes, atque Tyrannos, quòd & hi omnia in suum commodum, illi verò in bonum Reipublicæ ordinant, & sic differunt modo imperandi boni à malis.

S. Franciscus voluit fratres suos esse persimiles corporibus cælestibus, vt non solùm sibi viuant, sed & alijs proficiant. L. 2. T. 3. C. 2. n. 22. p. 463.

Dominica in Septuagesima.

Simile est Regnum cælorum.

Regnum cælorum est Ecclesia triumphans, & quia Ecclesia militans est persimilis, potest

dici Regnum cælorum. L. 2. T. 1. C. 2. n. 18. & ſequ. p. 370.

Inter operarios, quos vocauit Deus, qui plurimi, Reges, Ordines Regnorum, Papa, Cardinales, Epiſcopi, &c. connumerantur. Prædicatores, qui quales eſſe debeant L. 1. T. 3. C. 9. n. 135. p. 318. & L. 2. T. 3. C. 2. n. 29. p. 469.

Item Viri Religioſi, qui calamo exornant ſtatum Eccleſiaſticum, & ſuperant Prædicatores. L. 2. T. 3. C. 2. n. 32. p 470.

Hi comparantur Martyribus, & labor illorum Martyrio. ibidem.

Totâ die otioſi. *Quàm peſtilens ſit vitium Regnis otium, & quomodo differat à quiete, quæ eſt perfectorum.* L. 2. T. 3. C. 2. à n. 18. & vltrà. p. 461.

Tota vita hominis diuiditur in otium, & negotium. ibidem.

Voca operarios. *Principes ſæculares non vocantur in vineam Eccleſiæ ad operandum, ideò abſtinere debent à Regimine Eccleſiaſtico.* L. 2. T. 1. C. 4. n. 46. p. 394.

Dominica in Sexageſima.

Cùm turba multa. Exijt qui ſeminat.

R*ES ruſtica, & trituræ agrorum, non ſolùm priuatis hominibus, ſed & Principibus cordi eſſe debet. De agricolis multa, qualiter alij ſunt, qui attendunt aratro, alij arma portant, fusè* L. 1. T. 3. C. 8. n. 114. p. 303

Cùm turba multa.

NVnquid ex Principibus aliquis in eum credit propter turbam? ſed hæc turba maledicta, *dicebant Phariſæi.*

Mercatores currunt illuc, vbi merces ſuas cariùs vendunt. Iſta turba imitatur mercatores, quia ſequuntur, dum laborem in ſequendo illum exiguum carè vendant: quia momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, æternum pondus operatur in nobis. De mercatura & negotiatione L. 1. T. 4. C. 1. n. 1. p. 325.

Cùm turba multa eſſet cum Ieſu.

E*Rat Chriſtus Dominus perſimilis ſoli, quòd ſicut ſol trahit ad ſe vapores, ita Chriſtus trahebat vultu affabili, &c.* L. 1. T. 2. C. 4. n. 33. & 34. p. 76. & 77.

Dominica in Quinquageſima.

Aſſumpſit Ieſus diſcipulos.

C*Hriſtus Dominus Dux, ſplendens omnibus proprietatibus Ducis probi, de quibus* L. 2. T. 3. C. 1. n. 9 vſque ad 15. p. 455. *Ducit Apoſtolos Hieroſolymam ad erigendum vexillum Crucis, in quo depictus eſt modus præliandi.* Tradetur gentibus ad illudendum, flagellandum, &c. *& victoria atque triumphus reſurrectionis, vt illos edoceret, quòd licet labor redemptionis inciperet à triſtitia, deſineret tamen in gloria reſurrectionis.*

Cæcus autem ſedebat ſecùs viam. *Quàm nociua cæcitas mentis* L. 1. T. 2. C. 20. n. 5. p. 188. *inter alia puluis, quo Aquila excæcat oculos cerui, dum pugnat cum eo. Et quæ clarum viſum efficiant, ſcilicet bonitas, diſciplina, & ſcientia, hæc ſunt, quæ clarificant oculos conſiliariorum, ne errent in conſilijs.* L. 1. T. 3. C. 1. n. 17. p. 233.

Turcæ cùm Chriſtianos in mari nauigantes captiuare volunt, extendunt vexilla Chriſtianorum, ſic mundus his temporibus. Sic Hæretici & Pſeudopolitici fingunt ſe Chriſtianos, cùm ſolo nomine

 ſint

Feria IV. Cinerum.

Memento quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Memento homo.

Dominica I. Quadrages.

Ductus est IESVS, vt tentaretur à diabolo.

Dominica II. Quadrages.

Assumpsit Iesus Petrum.

dealbare conscientias subditorum, & ex tetro colore in nitidum transferre, & qualiter ad hoc deuenire valeant. L. 1. T. 2. C. 5. n. 38. 39. 40. p. 82. Significat etiam Diuinitatem. Vnde Daniel refert se vidisse Deum in persona senis, vestitu amictum candido, ibidem 38. Itaque candidatur ad Regnum cælorum candore delectiori conscientiarum, & operum.

Dominica III. & IV. Quadragesimæ.

Erat IESVS eijciens dæmonia.

Omne Regnum in se diuisum desolabitur.

Vnde ememus panes?

CHristus Dominus dictus est Princeps pacis, quoniam ad ipsum spectat omnium causarũ emergentium procellas pacificare, benè etiam potest dici Princeps vbertatis. L. 1. T. 2. C. 23. de vbertate fusè, quam prouidere tenentur Reges. n. 35. p. 213.

Principes consiliarij erant futuri Apostoli, persuadendo, & consulendo hominibus pacem cum Deo, ideò ab illis postulat consilium, vt doceret illos, quòd consilia bona non fundentur, nisi in sapientia, & bonitate Diuina. L. 1. T. 3. C. 1. fusè de consiliariorum proprietatibus; ibi quoque qualiter consiliarij sint oculi Reipublicæ, quòd licet vnus bonus sit in pretio habendus; nihilominus & numerus consiliariorum non est contemnendus, & alia plura. ibidem. n. 4. p. 226.

Dominica Passionis.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

ILli soli arguendi sunt, qui non sunt naturâ boni, ideò quandoque peccant & errant, & quia inter puros homines tales pauci sunt. L. 2. T. 3. C. 1. n. 1. p. 448. nam si aliqui reperiuntur, sunt munere Dei boni, solus Christus Dominus fuit naturâ bonus, qui nec peccare potuit, ideò dicere ei licuit: Quis arguet me, &c.

Aliter arguendi & corrigendi sunt superbi iuuenes, &c. indulgendum autem viris probis, & qui ex infirmitate, vel aliquâ prouocatione lacessiti deliquerint. L. 1. T. 2. C. 21. per totum, præcipuè n. 18. p. 199.

Dominica Palmarum.

Cùm appropinquaret. Rex tuus venit tibi mansuetus.

QVòd Christus sit Rex, immò ille solus perfectus, quia solus ille sufficiens, item pastor & protector noster est. L. 1. T. 1. C. 1. n. 7. p. 7.

Quare dicitur Pater & Pastor. ibidem. n. 7.

Differentia & conuenientia dignitatis Regiæ, cum dignitate Regum terræ. ibidem fusè. Rex Christus naturâ & voluntate Diuinâ, aliter tamen, quàm Reges terræ. ibid. n. 4. p. 4.

Quid nam sit illud, quod Reges splendidos reddit? Nimirum splendidum caput, corona splendida, & annulus desponsatorius. De his L. 1. T. 2. per totum vsque ad Tractatum 3. p. 48.

Corona Regum est splendida gemmis virtutum, inter quas non postrema est mansuetudo & affabilitas. L. 1. T. 1. C. 3. n. 26. p. 28.

Hic Rex Christus venit tibi; per hoc insinuatur, quòd si venit tibi, non sibi; igitur Deus est, quia solus Deus non indigebat redemptione.

Tiarâ, & tricoronâ est coronatus Rex noster Christus. Aureâ dum descendit de cælis in terram, tunc enim coronatio Regis nostri Christi fuit perfecta, & simul cum armis data est ei corona, & tandem in cruce corona L. 1. T. 1. C. 1. fuit tandem coronatus spinis, seu coronâ spineâ. Floridâ

Feria V. magna.

Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.

Pro Resurrectione Domini.

Surrexit, non est hîc.

De Triumpho Resurrectionis.

lo; verùm in futuro etiam de alijs dici potest, quia cùm mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, Vbi est Mors victoria tua? vbi stimulus tuus, & arma tua? *quando scilicet cor, quod primum viuit, primogenitus mortuorum Christus, qui seipsum resuscitauit, resuscitabit & membra.*

In resurrectione restituetur sanctis vsus potentiarum sensitiuarum extrinsecarum, & intrinsecarum, de quibus L. 1. T. 2. C. 5. 6. 7. 8. & C. 11. 12. n. 77. p. 126.

Dicite in nationibus, Dominus regnauit à ligno. *Regnat perfectiùs, quàm Reges terreni, quia & animus hominum. L. 1. T. 1. C. 1. n. 2. p. 1.*

Subiecit sibi Regna ligno Crucis. L. 1. T. 1. C. 5. per totum, p. 40.

Feria II. in Resurrectione.

Duo ex discipulis ibant in Emaus.

NOnné cor nostrum erat ardens, dum loqueretur nobis in via? *Quid mirum, quòd Christo loquente ardebat cor audientium in via; & quantò magis in Patria? ipse enim est potior Seraphinis, qui dicuntur ardentes, inflammantes, atque ideò assimilatur Seraphinis re, nomine, & proprietatibus. L. 2. T. 1. C. 3. n. 26. per totum, p. 377.*

Ibant in Emaus loquentes: Erat in Hierusalem Iesus, vir Propheta, potens verbo, & opere. *Naturâ faciliores sunt homines ad decipiendum, difficiles ad proficiendum, quoniam vt quis deficiat, sola natura sufficit; vt proficiat, opus est naturâ, consuetudine, & gratiâ Dei; id etiam clarè apparuit in his discipulis Christi, qui cùm viderant eum miracula talia facientem, quæ nemo hominum facere potest, virum Prophetam, non Deum credebant; & sic defectu fidei laborabant, item defectu spei. L. 1. T. 2. C. 6. n. 48. p. 93.* Nos, *inquit,* sperabamus, *&c. atque vt rem iam perditam dolebãt, sed charitas, quâ cogebant illum in hospitium intrare, vtrumque instituit. L. 1. T. 2. C. 21. n. 21. p. 202. Vbi debere esse amicitiam constantem, & charitatem circularem declaratur, atque reciprocam, qualis est inter Regem, & subditos.*

Cognouerunt eum in fractione panis. *Illuminatis oculis Christum agnoscunt. Illuminatos habentes oculos, si aspiciunt ad præterita facta, admirantur, commouentur, turbantur,* tremor apprehendit eos, *hoc istis accidit,* ideò reuersi sunt in Hierusalem. *Illuminantur autem oculi à Christo, quia Christus Dominus illuminat mentem, inflammat cor, & medetur ægris in via, & beatos beat in Patria amore beato. L. 2. T. 2. C. 2. n. 30. p. 433.*

In fractione panis. *Dilectio Regum ergà Rempub. maximè dignoscitur in prouisione panis. L. 1. T. 2. C. 23. n. 35. p. 213.*

Sed & benignitatem Dei si cuncta prædicent, maximè tamen, quòd non solùm micis gratiarum cœlestium pascat animas nostras, sed integro pane Eucharistiæ sanctæ, quem si frangat & diuidat inter Christianos, indiuisus tamen manet. Futuræ iucunditatis amabile præludium, & ara Sponsæ, inquit Vbertinus Episc: Celen: Abbas. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & gustauerunt donum Dei, cœlestia non sapere.

Feria III. in Resurrectione.

Pax vobis.

R*Egum munus præcipuum in Republica internam pacem, &c. tollendo lites, bella ciuilia propulsare, quibus qualiter occurrendum sit, habetur L. 1. T. 2. C. 22. n. 29. p.* 208.

Externam verò pacem, resistendo hostibus, de quo fusè ibidem. n. 24. p. 205.

Pacem animæ prouidere spectat etiam aliqualiter ad Reges, sed præcipue ad Episcopos, Prælatos, Parochos. L. 2. T. 2. C. 3. n. 47. p. 446.

Nonné cor nostrum erat ardens, & *Christus Dominus attrahit, incendit, & inflammat corda hominum in ordine ad cœlestia, & fidei arcana* L. 2. T. 2. C. 2. n. 17. & seq. p. 425. *de Doctoribus.*

Nihil charius pace, ideoq́, quia pacem relinquere in vltima cœna cogitauit, Apostolus dixit: Desiderio desideraui, *vt fusiùs explicatum est hic in Indice pro feria quinta Cœnæ Domini.*

Dominica in Albis.

Cùm esset sero, & fores erant clausæ propter metum Iudæorum.

Finis armorum pax, sapientiæ quies, ideòque iure meritò quæritur: Num sapientia dignitate superet arma? L. 1. T. 1. C. 5. n. 38. p. 41.

Græci inter omnia delectabantur sapientiâ, Romani armis, quæ ferunt pacem, sed multò perfectiorem pacem affert Sanctitas, cuius sedes erat Hierusalem, ac Monarchia Hebraica, ibi Templum, ibi Prophetæ & Leges, ab ipso Deo latæ. ibidem n. 38. *Christus maximè delectabatur pace, ideò eam contulit Apostolis in vltima cœna pro memoriali perpetuo, quo maximè opus habebant. Quænam sint illa, quæ nocent paci communi in Regnis, nimirùm rebellio, lites, bella.* L. 1. T. 2. C. 22. per totum, p. 205. *Quantum debeant Regibus subditi, pro eo, quòd sint in pace, & nos Christo, quòd fruamur pace conscientiæ.*

Dominica II. post Pascha.

Ego sum Pastor bonus.

Pastores multùm dilecti à Deo, adeò quòd ad sublimißimas dignitates ex authoritate promoti fuerint, sic Dauid & alij. Christus Sixtum Quintum Pontificem Summum ex pastorali voluit esse Summum Pontificem, quem magnis laudibus effert Piasecius. L. 2. T. 1. C. 5. n. 63. p. 410.

Voluit etiam nasci in Pastorum hospitio, quod non postremum dilectionis signum fuit, maximè tamen illi honore digni sunt, qui verbo & exemplo præeunt gregem. L. 2. T. 2. C. 3. n. 46. p. 445.

Rex *dicitur, quia ab eo pascendus est grex.* Rex, *inquit Aristoteles*, cùm sit bonus, diligentiam subditorum habet, quo bene se habeant, vt ouium pastor; *atque disputat:* An pastoralis amor superet paternum? L. 1. T. 1. C. 1. n. 7. p. 7.

Dominica III. post Pascha.

Modicum & iam nõ videbitis me.

Vita æterna patefaciet, quàm modicum sit vitæ præsentis tempus durationi æternæ, quæ omnem superat durationem temporalem. Deinde, quod proprium est temporis abscondere & manifestare. Tempus edax rerum tamq́, inuidiosa vetustas, æternitas: itaque tollet ab oculis nostris temporalia, manifestabit æterna, sicut nox tollit à nobis visionem terrenarum rerum, & manifestat stellas & cœlestia, & quia modicum non meretur nomen vitæ. L. 2. T. 3. C. 3. n. 38. p. 475.

Cùm Modicum, *inquit, insinuauit, hoc modicum recogitandum virtute cogitatiuâ, quæ est prouisor Sapientiæ, memoriâ tenendum, quæ est thesaurus animæ, non solùm hominibus priuatis, sed etiam Principibus.* L. 1. T. 2. C. 12. n. 80. p. 131. & n. 84. 85. p. 135.

Dominica IV. post Pascha.

Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat.

DVo sunt vituperanda, & nociua homini, Curiositas in scientia, tenebræ in ignorantia: velle scire futura per coniunctionem astrorum & Astrologiam iudiciariam, originem ventorum, volatum auium, fluxum & influxum maris, secreta naturæ, ista curiosè inuestigare, & incertum & periculosum est: incertum, quia propterea Salomon reprehendebat Astrologiam. L. 1. T. 2. C. 12. n. 83. p. 134.

Periculosum item, quia communiter horum scientiam subministrat sathan, vt decipiat, & eâ ratione deducat atque in ruinam inducat hominem, sicut in paradiso parentes hominum decepit scientiâ boni & mali, &c. De quo igitur interrogandum? De eo, quod ipsa scientia edocuit, dum & Magistros nobis reliquit, & obiecta sciendi annotauit, & modum sciendi præscripsit, maximè de scientia per ignorantiam dicendum: Notum fac mihi, Domine, finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciam quid desit mihi de eruditione. L. 1. T. 3. C. 5. n. 75. per totum, p. 274.

Solus Christus nouit quò vadit, quia ille solus nouit finem vltimum vitæ nostræ, & ille solus talem instituit Rempublicam, cuius incolæ instructi sunt, vt non solùm viuant, sed semper viuant. L. 1. T. 1. C. 4. n. 36. p. 39.

Clarum quidem est vnde venit homo, quia origo eius pulnis & cinis. Item vbi est? omnibus patet, quia in mundo labili, sed quærat, quò semper vadit?

Dominica V. post Pascha.

Amen dico vobis, si quid petieritis in nomine meo.

PLures sunt causæ, ob quas vicus, ciuitates, & Regna erecta sunt, sed præcipuè tres: Necessitas victus, atque amictus. Necessitas eruditionis. Necessitas defensionis. L. 1. T. 2. C. 1. n. 2 p. 49.

Hæc faciliùs à Deo obtinentur, ideò à Deo postulanda sunt.

Diuersæ Monarchiæ in diuersis fundamentis sunt erectæ, & aliæ quidem in vitijs, aliæ in docilitate, aliæ in sapientia, aliæ in virtutibus, aliæ in bonis legibus munitæ. Omnes tamen in vniuersum fundatæ sunt in puluere. L. 1. T. 1. C. 4. per totum, p. 31. ideóq; firmitas & stabilitas eorum postulanda est à Deo ac Christo Domino, qui solus firmam ac perpetuam fundauit Rempublicam, siue Regnum, vbi non solùm adest viuere & benè viuere, sed etiam semper viuere, quod vel maximè à Deo postulandum est. ibidē.

Quatuor inuincibilia solâ oratione vincuntur. L. 1. T. 3. C. 4. n. 54.

Dominica Rogationum.

Petite & accipietis.

LAus Regum & si in pluribus sit, de quo toto L. 1. T. 2. p. 48. In duobus tamen præcipuè consistit, in pietate erga Deum, & in pietate erga proximum. Et pietas quidem erga Deum requirit, vt ad Deum, tanquam ad asylum rectæ gubernationis recurrant per orationes mentales, & vocales. L. 1. T. 3. C. 5. n 70. p. 271.

Pietas verò erga proximum quid requirat? ibidem.

Gustus attendendus in oratione, hunc & sacra Scriptura in omni opere, & Philosophus requirit: Hilarem datorem diligit Deus. Seruite Domino in lætitia. Philosophus etiam dixit: Delectatio perfecit opus; ideò Deus ascendentes in Hierusalem ad adorandum & orandum, voluit esse absque omni anxietate, assecurando nullum futurum tunc periculum ab hostibus. Et D. Paulus ex eo sumit occasionem laudan-

laudandi ſtatum in continentia viuentium: Qui cum vxore eſt (*inquit*) ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi. *Hic guſtus in bonis operibus, & oratione præcipuè, eſt odor ſuauis, & fumus aſcendens ad Deum. Thimiama, &c. De guſtu L. 1. T. 2. C. 9. per totum, p. 110. De cæteris L. 2. T. 3. C. 3. p. 474.*

In Feſto Aſcenſionis Domini.

Exprobrauit incredulitatem illorum.

Fides eſt fundamentum ædificij ſpiritualis, ideò Christus corrigit hoc fundamentum, dum exprobrat incredulitatem Apoſtolorum, aliàs ruinoſo fundamento poſito, ruit domus; non ſufficit tamen credere tantùm, ſed opus eſt etiam rectè operari. L. 2. T. 2. C. 3. n. 45. p. 444.

Chriſtus Dominus errores diſcipulorum ſuorum noluit diſsimulare, ſed correxit. Petrum redarguit Apoſtolum. Similiter & Reges atque Patresfamilias non debent diſsimulare, ſed corrigere alios, & familiam. L. 1. T. 2. C. 18. n. 117. p. 176.

Quando diſsimulare licet? Maximè diſsimulandum non eſt, ſi quid aliquid contra honorem Dei. ibidem.

Euntes in mundum vniuerſum. *Poteſtatem, quâ Chriſtus mittit Apoſtolos in vniuerſum mundum, communicauit Chriſtus Dominus ſucceſſoribus D. Petri, Summis Pontificibus, qui prouident & tranſmittunt per orbem vniuerſum Euangelizantes verbum Dei, de Chriſto quippè, & Summo Pontifice intelligitur illud Ezechielis:* Accipe prunas ſuper Cherubim, & ſparge. *L. 2. T. 1. C. 4. n. 43. p. 392.*

Chriſtus Dominus venit è cælo ad prœliandum cum mundo, vitijs, diabolo, ideò datus eſt illi arcus, &c. L. 1. T. 1. C. 1. n. 8. p. 8. Vicit paupertate. ibidem. Et hodie triumphator aſcendit glorioſus in cœlum, & ſedet à dextris Dei.

Aſcendit in cœlum. *Quàm ſplendidum ſit cœlum, imaginari & contemplari licet ex ſplendoribus creaturarum, & illarum, quæ ſunt veſtigium Dei, vt aſtra, & ſimilia, & illarum quæ ſunt imago. L. 2. T. 1. C. 3. n. 34. & reliquis. p. 384.*

Quam ob cauſam deſcendit in hæc inferiora. L. 1. T. 1. C. 1. per totum, & C. 2. 3. 4. quam item ob cauſam aſcendit? vt firma, ſtabilia, & inexpugnabilia faceret Regna. L. 1. T. 2. C. 1. & 2. per totum, p. 48.

Dominica infra Octauam Aſcenſionis.

Cùm venerit Paraclitus, teſtimonium perhibebit, & vos teſtimonium perhibete.

Senſus corporei, Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus, & Tactus, teſtimonium perhibent tanquam miniſtri Sapientiæ, de prudentia Regum, de quibus fusè L. 1. T. 2. C. 13. n. 86. p. 137. Doctrina autem, & opera bona perhibent teſtimonium, & de Chriſto vt Magiſtro. L. 1. T. 3. C. 5. n. 70. per totum, p. 271. vbi Magiſtros ordinauit, docendi modum edocuit, &c.

Hæreticorum & Pſeudopoliticorum fallacia teſtimonia. L. 2. T. 2. C. 1. n. 6. & ſeq. p. 418. ſtylus mendax ſcribarum eius.

Reminiſcamini, quia ego dixi vobis. *Inter Aulicos Sapientiæ, de quibus L. 1. T. 2. C. 12. n. 79. p. 130. eſt etiam memoria mortis.* Mater Philoſophiæ (*dicebat Plato*) eſt mortis memoria. *de qua L. 1. T. 3. C. 5. n. 81. p. 280.*

Pro

Index in gratiam & vſum Prædicatorum.

Pro Feſto Pentecoſten.

Si quis diligit me.

CHaritas, *eſt dilectio Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti, illuſtratur in Indice conceptuum pro exequijs Regis regum. Spiritus Sanctus appropriatur dilectioni, ſine qua impoſsibile eſt conſeruari Regna temporalia. L. I. T. 2. C. 21. n. 14. 15. p. 196. & ſimiliter Regnum animæ vbi Rex Sanctiſſima Trinitas.*

Ad eum veniemus. *Impoſsibile eſt, quin Deus diligat diligentem ſe.*

Ad eum veniemus. *Signum autem, quòd quis diligat Deum, eſt, ſi credit, & conformiter ad fidem operatur. L. 2. T. 2. C. 3. n. 45. p. 444.*

Non ſolùm Spiritus Sanctus eſt Paraclitus, ſed eſt & Chriſtus Dominus, quia eſt cōſolator. ibidē.

Tanquam ignis. *Amor Seraphicus comparatur igni. L. 2. T. 1. C. 3. n. 40. 41. 42. &c. p. 390 quàm magis Spiritus Sanctus ideò deſcendit tanquam ignis, quia ignis eſt ſymbolum ſicut amoris Seraphici, ita & Diuini.*

Sic Deus dilexit mundum, vt: *dilectio declaratur obſequijs & muneribus. L. 1. T. 2. C. 21. n. 23. p. 204.*

In quo manifeſtatur dilectio Regum erga ſubditos. ibidem. n. 17. p. 199.

Feria ſecunda.

Sic Deus dilexit mundum.

MAgnum *dilectionis ſignum Regum erga Rempublicam, ſi vbertatem & pacem internam atque externam prouideant ſubditis, & quid ſubditi pro tanta dilectione debeant Regibus. L. 1. T. 2. C. 23. n. 40. p. 217. Si lites & diſſenſiones tollant, quibus Regna pereunt. L. 1. T. 2. C. 22. n. 27. p. 207. Quantò plus debemus Deo, qui ordinarium nobis præſtat cibum, non ſolùm ſuſtentantem, ſed lætificantem animam & corpus ſuauitate. L. 1. T. 2. C. 9 n. 63. p. 112.*

Sic Deus dilexit mundum, quòd viros *ſanctos deſcripſit in manibus ſuis. L. 1. T. 2. C. 21. n. 14. p. 196.*

Sed ſuper omnia Deo obligati ſumus, quòd nobis dederit vnigenitum ſuum, quippe omnes miſericordiæ Dei, procedunt ab hac miſericordia, ſicut riuuli à fonte, vt inſinuat Bernardus, dum ait explicans illud Dauidicum, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum. *Iſtæ, inquit, magnæ miſerationis filiæ ſunt, magnæ miſericordiæ. Methaphoricè, ſcilicet per effectus, ſunt riuuli à fonte artificiosè fabricati, aquam ſtillant ab illo fonte amoris, cui aſſimilatur Spiritus Sanctus,* vt filium ſuum vnigenitum daret. *Certat Deus cum hominibus bonitate, Abraham obtulit in holocauſtum filium, & Deus voluit ab ipſo ſuperari, obtulit filium ſuum vnigenitum. L. 1. T. 1. C. 1. & ſequ.*

Obtulit in paupertatem, humilitatem, paſſionem. ibidem.

Quantùm dilexerit hominem Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, fusè in Indice pro exequijs defunctorum. In anniuerſario Regis regum Chriſti Domini.

Feria tertia.

Ego ſum Paſtor bonus.

PAſtor *debet habere ſuper gregem paſcendum authoritatem, poteſtatem, dignitatem, de his fusè L. 2. T. 2. C. 1. per totum, p. 414. vbi etiam luporum, ſub ouina pelle, malitia multis declaratur.*

Paſtoris officium quodnam ſit? & quantùm lupi perſequantur paſtores. ibidem.

Fures & latrones *ſunt Iudæi Pſeudopoli-*

tici. L. 2. T. 2. C. 1. n. 13. 14. 15. & alijs. p. 422.

Ego sum ostium. *Dæmon conatur claudere ostia cordis sensuum vtrâque manu. L. 2. T. 3. C. 3. n. 42. & 43. p. 479. Sensus externi sunt ostia misericordiæ, de quibus L. 1. T. 2. C. 6. p. 89.*

Pro Festo SS. Trinitatis.

Data est mihi omnis potestas.

DE *potestate Christi spirituali & corporali, fusè L. 1. T. 1. C. 1. n. 5. p. 5. Quare magis fuerit vsus spirituali, quàm temporali. ibidē.*

Potestatem eandem, quam accepit Christus Dominus à Patre, tradidit Apostolis, & consequenter Successoribus Apostolorum. De potestate sextuplici Papæ. L. 2. T. 1. C. 4. n. 42. p. 391.

De potestate conficiendi Sacramentum Eucharistiæ. De potestate absoluendi. L. 2. T. 2. C. 3. n. 36. p. 437.

Tria attributa in Euangelio Dei, & Sanctissimæ Trinitatis insinuantur. Potentia, quæ attribuitur Patri, de hac vide L. 1. T. 3. C. 2. n. 21. p. 236. An aliqui Imperatores possunt dici inuictissimi? Cæterùm Christus & Apostoli fuerunt inuictissimi Sapientiâ quæ attribuitur Filio, cùm dicitur, Docentes eos; *hanc etiam tradidit Christus, & modum acquirendi sapientiam, ipse docuit, & Magistris reliquit modum docendi. L. 1. T. 3. C. 5. n. 75. p. 274.*

Bonitas, quæ attribuitur Spiritui Sancto, cùm dicitur, Estote misericordes.

Docentes eos credere *per fidem, operari per charitatem, sperare per spem, de fide vide L. 1. T. 2. C. 6. n. 48. p. 93.*

Quàm vtile sit contemplari arcana fidei & Regibus, & hominibus priuatis. L. 1. T. 2. C. 11. n. 77. p. 126.

Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium: *quales debeant esse prædicatores? quæ materia prædicandi? quis modus? L. 2. T. 3. C. 2. n. 29. 30. 31. p. 469.*

Pro Festo Corporis Christi.

Qui manducat meam carnem, viuet in æternum.

CVM *quanta reuerentia accedendum sit ad hoc Sacramentum, cum quanta alacritate, & quiete, ac pace conscientiæ. Reuerentia quidem, quia ibi est Deus; si enim pro vbertate temporali, subditi debent Regibus reuerentiam, quantò magis Christiani, Christo Regi, qui tam Diuino conuiuio illos excipit. L. 1. T. 2. C. 20. 21. 23. p. 184.*

Alacritate verò, si enim subditi Regibus debent obedientiam, alacriter, pro eo, quòd illos tuetur ab hostibus; quantò magis, dum per hoc Sacramentum formidolosos efficit dæmones, si enim vestes Sacerdotales, & benedictio eorum arcet dæmones, quantò magis hoc Sacramentum, & vestes quidem, quas non absque mysterio Episcopi accipiunt ab altari, & deponunt ad altare. vt L. 2. T. 2. C. 1. n. 8. p. 419. dicitur de benedictione. L. 2. T. 2. C. 3. n. 39. p. 439.

Dominica I. post Pentecost.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

I*Ta commendat misericordiam, vt non deseratur iustitia, istæ quippè sunt duæ manus, & duo brachia, quibus Regna conseruantur, ne ruant, detinentur. In his, etsi omnes homines maxime pœnitentes, qui seipsos exercent iustitiam, puniendo peccata, & Iudices aliorum;*

Dominica II. poſt Pentec.

Homo quidam.

Homo Chriſtus IESVS.

Dominica III. poſt Pentec.

Erant appropinquantes ad Ieſum.

Dominica IV. poſt Pentec.

Cùm turba multa irrueret in Ieſum.

Dominica V. post Pentec.

Amen dico vobis, nisi iustitia vestra.

Dominica VI. post Pentec.

Cùm turba multa esset cum Iesu, &c. Dixit ad Philippum.

Dominica VII. post Pentec.

Attendite à falsis Prophetis,

Non omnis, qui dicit mihi Domine.

Duo homines aſcendebant in templum, vt orarent.

TAnta eſt vis orationis debitæ, vt illa, quæ inuincibilia videntur, ſcilicet Natura, Tempus, Mors, & Deus, vincantur oratione, ideò ſæpiùs orandum eſt. L. 1. T. 3. C. 4. à n. 54. ad n. 55. & vltra. p. 260.

In bellis audacia neceſſaria, ſed præſumptio nociua. Quantò magis in bello ſpirituali, vbi pugna periculoſior. L. 1. T. 3. C. 4. n. 58. p. 262.

Et Phariſæus armatus tot armis: Ieiuno bis in Sabatho, decimas do, &c. & tamen victus eſt, quia publicanus victor deſcendit iuſtificatus in domum ſuam.

Dominica XI. poſt Pent.

Adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponeret manum.

INfirmitas corporalis eſt graue iugum ſuper filios Adam, ſed multò grauiùs iugum ſpirituale, quod deponere ſpectat ad Sacerdotes, Confeſſores, conſcientiarum directores, grauiſſimum autem iugum eſt mors; quid enim aliud ſunt mortui? niſi terra ſurda & muta. L. 2. T. 2. C. 3. n. 30. p. 433. fuſiùs L. 1. T. 3. C. 9. vbi de arte medicinæ corporali & ſpirituali. p. 312.

Suſpiciens in cælum ad Deum, omnia opera noſtra dirigenda ſunt.

Dominica XII. poſt Pentec.

Beáti oculi qui vident, quæ vos videtis.

BEátitudo temporalis Regum & Regni, non ſolùm pendet ab vno ſenſu oculorum, ſed etiam à bonitate capitis & ſenſuum. De his fusè ferè per totum T. 2. L. 1. p. 48. vbi fusè actum eſt: ſed præcipuè de ſplendoribus quinque ſenſuum exteriorum, in quo ille conſiſtat Beátitudo Chriſtianorum, à fide quæ eſt oculus, quo cernuntur Diuina. L. 1. T. 2. C. 6. p. 89.

Beátitudo Regni pendet item à myſticis oculis Senatoribus, de quo L. 1. T. 3. C. 1. per totum, p. 223.

Incidit in latrones. Ad Officiales Regum ſpectat ſecuritatem Regni prouidere. L. 1. T. 4. C. vlt. n. 37. p. 354.

Dominica XIII. poſt Pent.

Ite oſtendite vos ſacerdotibus.

IN quanta veneratione fuerunt Sacerdotes, apud diuerſas nationes, & in quanta veneratione debent eſſe apud Chriſtianos, ſiquidem ſunt Iudices non tam lepræ corporalis, quàm ſpiritualis, eorum ſententia innocens eſt, quem peccaſſe pœnitet: vt inquit Seneca primo Tragædiæ 8. Quem, inquit, peccaſſe pœnitet, pœnæ innocens eſt. L. 2. T. 2. C. 3. n. 40. p. 440.

Dignitas Sacerdotalis prouenit ex tribus: ex vocatione, vnctione, & poteſtate. L. 2. T. 2. C. 3. n. 35. p. 437.

Sacerdotum legis nouæ, Sacerdotes legis antiquæ typus fuêre, & vnctio illorum perſimilis eſt vnctioni Regum. ibidem. n. 35.

Poteſtas illorum eſt admirabilis, propter quam odio perſequuntur eos Hæretici, vt ſtultè & impudicè quidam profeſſus eſt, dicens: Amicus Dei, inimicus Cleri. Poteſtas illorum aßimilatur poteſtati Angelorum, qui vocantur Poteſtates. ibidem. n. 36.

Pro diuerſitate conditionum Sacerdotum, diuerſæ ſunt poteſtates illorum. ibid. n. 38. p. 439.

Occurrerunt illi decem viri leproſi. Modus curandi lepram ſpiritualem præſcribitur. ibidem.

Dominica XIV. post Pent.

Nemo potest duobus Dominis seruire.

De vmbratico splendore seruorum fusè per totum L. 1. T. 4. C. 3. p. 341.

Quinam sint illi, qui verè poßint dici Domini? vbi nomenclatura huius nominis, Dominus, deducitur & concluditur, qui verè Domini dici possunt. L. 1. T. 1. C. 1. n. 4. p. 4.

Quàm potens Dominus sit Christus Dominus, qui vicit mundum, contrariè quàm Reges huius sæculi, scilicet Cruce, & patientiâ. Disputant nonnulli, quâ ratione Romani subiecerunt sibi tot Imperia, de quo Aresi fol: 697. S. Thomas de Regimine Principum. Similiter David patientia regnare fecit: & de Romanis quidem dicit Sacra Scriptura: Sunt potentes viribus, & possederunt omnem locum consilio & patientiâ. *De Dauide verò dixit, cùm David Saul in spelunca pepercisset:* Et nunc scio, quòd certisśimè regnaturus sis. *Non dedecet igitur Reges patientia. L. 1. T. 2. C. 18. n. 116. p. 172. & dißimulatio fusiùs L. 1. T. 2. C. 9. n. 64. p. 113.*

Dominica XV. post Pent.

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim.

Tantam vim habent lachrymæ, vt vel illæ solæ faciant Regna, & Reges inuictißimos, Deum & mortem, quæ inuincibilia sunt vincant. L. 1. T. 3. C. 4. n. 54. p. 260. Sicut videmus accidisse hodie, vbi lachrymis commotus Christus. Misericordiâ motus mortuum suscitauit.

In particulari lacbrymæ viduarum mouent Deum in vltionem eorum, qui ipsas affligunt. L. 2. T. 3. C. 4. n. 50. p. 485.

Reges & Principes, atque viri nobiles debent compati subditis in miserijs.

Ex varia dispositione solis, inuestigatur diuersa dispositio animorum, hodie Christus lugubrem formam induit. L. 1. T. 2. C. 4. n. 34. & 35. p. 77.

Dominica XVI. post Pent.

Cùm intraret Iesus in domum cuiusdam Pharisæi.

Verißima est doctrina Christi, quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, &c. *Refert Euangelium, quòd Christus pascitur pane, & ipse pascit doctrinâ morali, & miraculis. Morali quidem doctrinâ, cum inquit:* Cùm inuitatus fueris ad nuptias, &c. *Habenda est ratio loci, quia licet Deus nobilioribus elementis, & astris, nobiliora & superiora loca dedit; & sensibus, inter quos primum locum habent olfactus, & visus, eò, quòd sit nobilior. L. 1. T. 2. C. 6. & 8. p. 89. & 105. arcentur tamen homines ab appetentia loci superioris, clementer, & inquit D. Ambrosius:* Vt persuasio humanitatis asperitatem excluderet.

Inter Ordines Regni sublimior locus Regibus debetur. L. 1. T. 2. C. 3. n. 23. & 24. p. 65.

Deus, quem ignorantes colebant Areopagi idololatræ, erat Deus panis. L. 1. T. 2. C. 23. vbi etiam fusè de vbertate, quam in Republica Principes procurare debent, vt à populo diligantur: eisque vltrò obediant. p. 213.

Dominica XVII. post Pent.

Magister, quod mandatum magnum in lege?

Duplex disputatio proponitur, & quæstionibus difficillimis ventilatur à Christo, vna de manda-

mandatis & legibus, quodnam sit principalius? Altera de Diuinitate Christi.

De primo habes L. 1. T. 1. C. 3. n. 21. p. 25. de lege, & iustitiâ Politicâ qualiter Christi Domini fuit principalior, & vtilior, quàm antiquorum Politicorum?

De secundo L. 1. T. 1. C. 1. & sequentibus per totum.

De charitate & pietate erga proximos L. 1. T. 2. C. 16. p. 156. per totum.

Dominica XVIII. post Pent.

Ascendens IESVS in nauiculam transfretauit.

Offerrebant illi Paraliticum.

CONfide fili. *De confidentia in Deo, si confidentiam sumas, pro fide habes. L. 1. T. 2. C. 6. n. 48. p. 93.*

Si autem confidentiam sumas pro fiducia, hæc confidentia in solo Deo collocanda est tempore belli, & pacis. L. 1. T. 2. C. 15. n. 101. p. 151.

Remittuntur tibi peccata tua. *Remissio delictorum est signum dilectionis Regis erga subditos, & remissio peccatorum, est magnæ misericordiæ effectus, de qua Dauid:* Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam: *& subdit,* & secundùm multitudinem miserationum dele iniquitatem meam. *Primam misericordiam præbet Deus, dum non statim punit, atque quis peccat: alterã, dum peccata delet. Cæterùm, cùm Reges remittant delicta, id debent facere cautè, & attentis certis conditionibus. De dilectione subd. L. 1. T. 2. C. 21. n. 15. p. 197.*

Deus autem pro voluntate suâ vnde ipsi magna gloria, pro qua gratias agit Ecclesia, dum cantatur, Gratias tibi agimus propter magnam gloriam tuam. *An verò in maiorem gloriam Dei cedat innocens, quàm pœnitens peccator, de hoc aliàs dictum est.*

Dominica XIX. post Pent.

Simile factum est Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.

REX. *Regis est nomen sublime & sanctum, vt inquit Seneca, gloriosum & eminens. L. 1. T. 1. C. 1. n. 1. p. 1.*

Christus Dominus Rex noluit Regiam dignitatem propriam, interserere opibus, aut pretioso vestimento, nam fuit pauper. ibidem & C. 2. p. 11.

Regem igitur declarabat Regnorum institutio ampliatio. ibidem. C. 4. p. 31. & C. 5. p. 40.

Christus fuit Rex, & in quantum Deus, & in quantum homo. L. 1. T. 1. C. 2. p. 11.

Deus Pater nuptias Filio suo Christo Domino fecit, quando ipsum vniuit naturæ humanæ, dum exiuit à Patre & data est ei corona. *L. 1. T. 1. C. 1. n. 8. p. 8.*

Sic enim olim Sponsus & Sponsa coronabantur, vt insinuat S. Chrysostomus, dum inquit: Idcircò coronæ imponuntur capitibus, vt victoriæ signa sint, &c. scilicet de tribulationibus. *Coronabantur etiam in signum gloriosi capitis, gloria sapientiæ & decore intrinsecè, atque extrinsecè. L. 1. T. 2. quasi per totum, p. 48.*

Dominica XX. post Pent.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

DIlectio *filiorum in eo consistit, vt erudiantur, & prosint Reipub. ideò tradendi Magistris sapientibus, qui illos instituant in pietate, in scien-*

INDEX
PRO FESTIVITATIBVS SANCTORVM.

Non

De S. Catharina.

Pro S. Andrea Apoſtolo.

Fides eſt ex auditu.

Pro S. Nicolao Epiſcopo, Confeſſore.

De Conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Beati, qui audiunt verbum Dei.

Apex nobilitatis apud Deum est, summus sanctitatis gradus, quem assecuta est B. Virgo Dei munere, quòd fuerit præseruata à peccato originali, actuali, mortali, & veniali. ibidem.

Corona B. Mariæ Virginis fuit stellata. L. 1. T. 2. C. 14. n. 94. p. 145. & Regum coronæ atq; Christianorum, debent esse ex virtutibus. ibidem.

Adde. Immaculata Conceptio B. Virginis Mariæ, & præseruatio à peccato originali, fuit possibilis, congrua, & de facto, quòd fuerit possibilis patet, quia priùs fuit electa in Matrem Christi, quàm peccatum Adæ præuisum. Congruum item fuit, vt qualis Christus esset naturâ, talis B. Virgo priuilegio, & ita factum esse etiam inimici Machometani testantur; de his fusè in Commentarijs super secundum sententiarum pertractaui, vide ibi.

B. Virgo Maria purior omni creaturâ sensibili, & intelligibili, inquit Concilium Generale septimum; sed fuerunt sanctificati in vtero matrum, vt D. Ioannes, Hieremias; igitur Augustissima Virgo, non solùm fuit sanctificata, sed etiam præseruata ab omni peccato originali, & veniali. De puritate L. 2. T. 3. C. 3. n. 41. p. 478.

Pro S. Thoma Apostolo.

Beati oculi.

Illi sunt beati oculi Reipub. qui lucent bonitate, & scientiâ, & ardent amore in Rempub. & Regem: illi verò sunt vituperabiles, quorum oculi sunt excæcati vitijs. L. 1. T. 3. C. 1. n. 15. p. 232.

Noli esse incredulus, sed fidelis. *Hæresin antecedunt plurima crimina, & mala conscientia, &c. L. 2. T. 2. C. 1. n. 6. & sequentibus, p. 418.*

Hinc colligitur, quòd ad veræ fidei cōseruationem concurrit voluntas, siquidem mater Hæreseos est peruersa, & peccatis excæcata voluntas. L. 2. T. 2. C. 1. circa finem, p. 422.

Pro Festo S. Stephani Protomartyris.

Stephanus interpretatur Corona.

Coronas temporales recipere debent Reges, non ab alio, nisi à Summo Pontifice, exemplo multorum Regum Poloniæ. Coronæ autem æternæ, seu iustitiæ, à Christo Domino expectandæ sunt. L. 2. T. 1. C. 4. n. 47. p. 395.

Stephanus interpretatur Corona, hæc data est Christo descendenti de cælo, vt testatur S. Ioannes, vt vincens vinceret, hæc corona est S. Stephanus, hac coronâ vicit Scribas, & Pharisæos. L. 1. T. 1. C. 1. n. 8. p. 8.

Christus vincit Luciperum, dum coronam spineam detraxit ex capite eius, & proprio capiti imposuit, ita firmiter, vt omnibus spoliatus, solâ coronâ spineâ contentus fuit; & quia S. Stephanus disputando, tanquam spinis rationibus pungebat Scribas, & Pharisæos; ideò non solùm aurea, sed & spinea illi accommodari potest. De corona spinea L. 1. T. 1. C. 1. n. 9. p. 10.

Corona gloriosa, labore & meritis acquirenda est, exemplo Christi, & S. Stephani L. 1. T. 2. C. 14. n. 94. p. 145.

Corona multipliciter accipi potest. ibidem. n. 93.

Christus Dominus communicauit S. Stephano secreta cælestia, communicanda & publicanda, alijs verò non reuelanda. L. 1. T. 2. C. 20. n. 10. p. 191.

Pro S. Ioanne Euangelista.

Comparatur Aquilæ D. Ioannes in multis, & habet proprietates eius. L. 2. T. 3. C. 1. n. 6. p. 453. ille enim pugnauit cum omnibus hostibus Eccle-

Eccleſiæ Hæreticis, ſicut pugnat aquila cum ardeola, hos in Euangelio refutauit, vt diſcurrenti per omnia puncta Euangelij patet, nam imprimis cùm dicit: In principio erat Verbum, *confutat Arianos, ſiquidem nulla creatura fuit in principio, niſi in eſſe obiectiuo, ita quòd ſi Deus creâſſet Angelum ab æterno, ille non fuiſſet in principio, ſcilicet in Patre, qui eſt principium Diuinitatis. L. 1. T. 1. C. 1. n. 3. p. 3.*

Confutat eoſdem, cùm inquit : Erat lux vera. *Vera, inquit, quia ſolus Deus eſt lux per eſſentiam, cætera per participationem. ibidē. n. 3.*

Negantes Chriſti poteſtatem in temporalia redarguit, cùm dicit : In propria venit. *L. 1. T. 1. C. 1. n. 6. p. 6. de quo plura in noſtris inſtitutionibus ſacris vide.*

Aquila conſpectu felix, quæ etiam in profundò mari prædam ſuam piſcem cernit, ſed & S. Ioannes felici & acuto aſpectu in mari vt aquila, in eſſentiæ Diuinæ profundo aſpexit verbum. In principio erat Verbum. *ibidem.*

Aquila auis feliciſſimi augurij, & ſignum triumphi in bellis; & D. Ioannes triumphauit de tenebris, & erroribus Hæreticorum, ſpargens lumen veræ fidei. Erat lux vera, quæ illuminat. *L. 2. T. 3. C. 1. n. 6. p. 453.*

Aquila non læditur, ſed recreatur aſpectu ſolis, & radiorum eius. Non ſolùm non ſauciatur, verùm delectatur & vegetatur in conſpectu ſolis (inquit S. Auguſtinus) Sic etiam D. Ioannis candidam Aquilam geſtant Poloni pro Stemmatibus, quære L. 1. T. 2. C. 5. n. 37. p. 82.

Eſt item auis, quæ ſingulari docilitate prædita eſt, inquit Philoſophus; ideò eſt ſymbolum prudentiæ, & D. Ioannes ob eandem cauſam dignus fuit, cui reuelarentur ſecreta cæleſtia, & futura multa in Apocalypſi, in Pathmos inſula. Quatuor animalia Ezechielis ſunt ſymbola Principum, ſeu virtutum, quæ ſpectant ad Principes, præcipuè Aquila. ibidem. n. 37.

S. Ioannes ſpeciali priuilegio caſtitatis & puritatis gaudebat, ideòque ſub Cruce cum Auguſtiſſima Virgine aſſiſtebat Chriſto morienti ad recreandum puritatis odore Chriſtum morientem, quem totus mundus idololatriâ, & libidine, male olente, & cadauera in monte Caluariæ ſepultorum, inſuaui imò peſtilenti odore affligebant. L. 2. T. 3. C. 3. n. 40. 41. p. 477.

Circumciſio Domini.

Vocatum eſt nomen eius IESVS.

N*ominum ratio habenda eſt. L. 1. T. 2. C. 4. n. 31. p. 74. quia Summi Regis Filius voluit cognoſci ex verbu, Romani item aſſumebant nomina ab eo, quod delectabat; & Chriſtiani nomina Sanctorum. L. 2. T. 1. C. 5. n. 58. p. 404.*

Romani nullis tribuebant nomina, tanquam ingenui animi ſigna, niſi amoris, ſcilicet nomina cognatorum, fratrum, conſanguineorum, & eiuſmodi. Cæterùm, ſacræ literæ teſtantur etiam artificibus nomina magnæ dignitatis à Regibus tributa fuiſſe, quam ob cauſam? L. 1. T. 4. C. 2. n. 14. p. 336.

Chriſtus Dominus iuremeritò vocari potuit Rex, à quo paſcebatur grex, Imperator, Legiſlator, Patronus, Magiſter, & Dominus, quam ob cauſam? L. 1. T. 1. C. 1. n. 6. & 7. p. 6. Vocatum eſt *(tamen)* nomen eius IESVS, *id eſt* Saluator, *quia nec homo purus, nec Angelus, quia omnis homo fuit ex maſſa perditionis, nec Angelus, quia plus deberet homo pro ſalute animæ Angelo, quàm Deo pro creatione.*

Nec denique purus Deus, qui eſt impaſſibilis, & iuſtitiæ Dei debuit ſatisfieri per Paſſionem, ideò debuit eſſe homo Deus, quam hodie incipit operari ſalutem.

Chriſtus Dominus non in puluere fundauit Eccleſiam,

clesiam, nec ſimplici terra, vt fuit fundata Synagoga, ſed in petra, cuius fundationis initium fuit Sanguis Chriſti. L. 2. T. 1. C. 1. n. 11. p. 364.

Ideò quoq; Eccleſia militans dicitur ſancta, præter rationes, quæ habentur loco prædicto, quia Sanguine Chriſti eſt vncta, ſicut Reges & Sacerdotes oleo ſacro vnguntur, differenter tamen. L. 2. T. 2. C. 3. n. 35. p. 437.

Epiphania Domini.

DVM tres Reges, ſeu Magi deferunt honorem Chriſto Regi recens nato, eumq; adorant, recognoſcunt ipſum eſſe Regem ſublimiorē omnibus Regibus, quorum perſonas gerebat, & aſſumptione ad dignitatem Regiam, & gubernatione, & munificentiâ. L. 1. T. 1. C. 3. n. 20. p. 24. vſq; in finem Capitis.

Hic Rex Chriſtus optimam inſtituit Rempub. & perfectiorem, quàm alij Legislatores, quia vniuerſaliſſimam, vtiliſſimam, & perpetuam. L. 1. T. 1. C. 4. per totum, p. 31.

Hic idem ampliauit Rempub. Chriſtianam mirabiliter. L. 1. T. 1. C. 5. per totum, p. 40.

Iuremeritò itaquê offerunt illi aurum, thus, myrrham. Auro deſignante potentiam, & arma. Thure ſapientiam, & myrrhâ ſanctitatem; hæc quippe in tribus principalibus orbis Monarchijs, diſperſa, puta potentia, Monarchia Romanorum, ſapientia Græcorum, & ſanctitas Iudæorum, vbi erant Prophetæ, templum, &c. in Chriſto & Monarchia eius vnita ſunt. L. 1. T. 1. C. 5. n. 38. & ſequentibus, p. 41.

Deus honorandus eſt operibus bonis, & donis, ſic honorârunt illum Magi. L. 1. T. 2. C. 21. n. 23. p. 204.

Purificatio B. V. Mariæ.

Tulerunt Ieſum ſecundùm legem Moyſi.

AD obſeruantiam legum omnes tenentur ſub pœna ruinæ, & priuatione Regni, quæ quidem leges ſunt tripartitæ. L. 1. T. 2. C. 1. n. 14. p. 56.

Cæterùm, Imperatores & Reges, non tam arctè vt cæteri, ſed de congruo. Ridiculum autem eſſet Chriſtum Regem ſubijcere legibus, & conſequenter B. Virginem Mariam; nihilominùs tamen, ſicut ille vltrò ſe ſubiecit legibus ex humilitate, ita Auguſtiſſima Virgo Maria voluit obſeruare legem Purificationis, eſto non eguerit vllâ purificatione, ab omni immunditia, & à peccato exiſtens libera.

Num legibus, vel arbitrio viri prudentis meliùs gubernentur Regna? L. 1. T. 2. C. 11. n. 73. p. 122. ſiquidem Regnum Iſraëliticum legibus Diuinis gubernabatur, inter quas erat lex de Purificatione.

Beatiſſima Virgo, vt ait Concilium Generale ſeptimum, Immaculata, & omni ſenſibili & intellectuali naturâ purior, diſcurre per omnia, purior Angelis, purior cælis, & tamen voluit purificari, & legem de purificatione obſeruare. De Puritate L. 2. T. 3. C. 3. n. 41. p. 478.

Pro S. Matthia Apoſtolo.

Erat pernoctans in oratione Dei.

NON abſq; myſterio Chriſtus Dominus erat pernoctans in oratione Dei, eligendo Apoſtolos, vt edoceret Electores, quòd conditiones bonæ electionis ſint difficiles, & à Deo poſtulandas eſſe. L. 2. T. 1. C. 5. n. 62. p. 408.

Maximè quia in electionibus attendendum ad

ad dotes animi & corporis, vt fieri debet in electionibus Regum, Episcoporum, & aliorum in dignitatem promouendorum. ibidem fusè.

Non solùm homines priuati, sed & Reges opus habent oratione. L. 1. T. 2. C. 15. per totum, præcipuè n. 104. p. 155.

Maximè à Deo postulanda est mentis eleuatio. L. 1. T. 2. C. 20. n. 5. p. 188.

In Festo S. Casimiri Poloni.

INter multas prærogatiuas, quibus Deus dignatus hunc Sanctum, præcipuè erat donum castitatis, & donum eleuationis perpetuæ mentis in Deum, vnde & Ecclesia orat in festo illius, qui semper mentem eleuatam habebat in Deum De castitate L. 2. T. 3. C. 3. n 41. p. 478. De eleuatione mentis L. 1. T. 2. C. 20. n. 4. p. 188.

Pro Festo S. Ioseph Confess.

Cùm esset desponsata Mater Iesu Ioseph.

QVam ob causam Christus voluit S. Ioseph esse B. Virginis Mariæ Sponsum, & sui corporis nutricium, &c. Quia nobilitate Deus delectatur specialiter. L. 1. T. 3. C. 6. n. 84. & vltra vsq; in finem capitis, p. 282.

Deinde, quia per hoc est proprium officium Angelorum. L. 2. T. 3. C. 4. per totum, p. 482. item L. 2. T. 1. C. 3. n. 26. p. 377. Seraphinorum officium est, vt omnes assistant Deo, in quibus sedet tanquam super sedem Regis, super Cherubim, tanquam super tribunal iudicij, Cathedram Magisterij, super Thronos, tanquam super tribunal iudicij, cuius sunt executores, & promulgatores: hi dicuntur sedes Dei, & Throni, quòd eleuati super terram, & quòd sedentem suscipiunt per amorem, sapientiam, & iustitiam. Aliorum quoq; Angelorum officia sunt diuersa, nam Dominationes præcipiunt, Potestates ordinant, Principatus dirigunt; & Angeli quidem priuatos homines, Archangeli Prouincias, Potestates totam naturam humanam custodiunt. Omnibus prædictis S. Ioseph persimilis est loco citato. L. 2. T. 1. C. 2. n. 20. 21. p. 372.

Sicut Sol ille æternus refulsit in Spiritus Angelicos, illuminando illos; ita & mons sublimis S. Ioseph resplenduit ab illis, dum pluries illum instruebant, mysteria cælestia reuelabant. ibidem n. 22.

Pro Festo Annunciationis B. V. Mariæ.

Missus est Angelus.

ANgeli illuminantur à Deo mediatè, & immediatè: sic Angelus Gabriel immediatè à Deo illuminatus fuit, in denuntiatione Incarnationis Augustissimæ Virginis. L. 2. T. 1. C. 2. n. 21. p. 373.

Non absq; speciali mysterio ad B. V. Mariam, missus est Archangelus Gabriel, vt personæ dignitas corresponderet officio; nam sicut Seraphinorum officium est assistere Deo, eum Seraphico amore complectendo, qui explicatur L. 2. T. 1. C. 3. n. 40. p. 391.

Cherubinorum, in quibus residet Dei sapientia, ij approbant sapientem mundi gubernationem ex officio. Angelorum verò, qui vocantur Throni, officium est assistere Deo, approbando, & publicando iusta Dei iudicia.

Archangelorum officium est, munditiam inspirare, & ideò ad purissimam Virginem mittitur. De his Angelorum officijs L. 2. T. 1. C. 2. n. 20. p. 372.

Mittitur autem cum legatione à Consistorio Diuino, de assumptione naturæ humanæ ex purissimis sanguinibus B. V. Mariæ, quod fuit possibile

ſsibile congruè, & de facto, ita eſt L.1. T.1. C.1. per totum, p.1. quia venit vt vinceret paupertate cupiditatem diuitiarum, humilitate ſuperbiam, Paſſione, de peccatis, & diabolo triumpharet, & voluptates confunderet.

Adde, quid facilius ſit ad percipiendum imbecillitati intellectus humani: Myſterium Trinitatis, vel Incarnationis. Sanè myſterium Incarnationis; quia in myſterio Trinitatis, ea creduntur, quibus excedit, & excellit Deus homines, nimirùm Trinitas cum conſubſtantialitate: in myſterio verò Incarnationis ea proponuntur credenda, quæ ſunt infirma, & videntur non competere Deo. Hoc tamen non obſtante, non ſunt impoſſibilia, nec incongrua ei coniunctione, vt intelligi poteſt ex L.1. T.1. C.1. p.1. & ſequentibus.

Dominus de cælo in terram proſpexit, *in terram abſq; macula, Auguſtiſſimam Virginem, non ſolùm vt videret, ſed etiam, vt ex ea carnem aſſumeret in ſalutem humani generis, non ſicut homines, qui vident oculo corporeo, non autem oculo cordis, & compaſſionis.* L.1. T.2. C.6. n.45. p.90.

Pro S. Adalberto Epiſcopo & Martyre.

Ego ſum Paſtor bonus.

Fieri poteſt, quòd aliquis ſit bonus in perſona, malus in regimine. L.1. T.2. C.1. n.12. p.56. S. Adalbertus fuit bonus, & in perſona ſanctus, & in regimine zeloſus.

Parabat triumphum Chriſtianis ſignis vocalibus, & mutis; de quibus L.2. T.3. C.2. n.27. p.468. Compoſuit Canticum & tradidit Polonis, quod Auguſtiſſimæ Virginis encomia continet, & vocatur idiomate Polonico Bogárodźicá.

Adde, perrexit S. Adalbertus in Pruſſiam vt paſtor, volens lupos in oues transmutare, quod rectè aſſecutus eſt, non doctrina, ſed ſanguine, à lupis quidem morſibus laceratus eſt, ſed tandem eo ipſo in oues fidei Chriſtianæ tranſmutati ſunt.

Pro S. Marco Euangeliſta.

NVM Prædicatores, vel Scriptores Librorum, qui erudiunt voce, vel qui calamo, ſint vtiliores Eccleſiæ Sanctæ. L.2. T.3. C.2. n.31. p.469.

Num potiùs ſignis vocalibus, vel ſemiuocalibus, vel certè ſignis mutis parent Chriſtianis victoriam. ibidem.

S. Marcus vtrumq; præſtitit, & Chriſtum prædicauit, & Euangelij librum compoſuit.

Pro SS. Philippo & Iacobo Apoſtolis.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.

IN Eccleſia manſiones plures ſunt, tres Hierarchiæ, ſex ordines. L.2. T.1. C.2. n.19. per totum, p.371.

In aula Regum manſiones multæ ſunt, verùm ſicut à domo Dei omnes peccatores repelluntur, ita à domibus Regum repellendi ſunt ambitioſi, ſuſurones, adulatores, auari, libidinoſi, guloſi, crapuloſi, & alijs vitijs obnoxij. L.1. T.3. C.3. n.41. p.249.

In præſenti ſæculo cernimus domum magnam, totum vniuerſum, & domum paruam, ſcilicet œconomicam, à quibus ſumitur ratio inſtitutionis domus Politicæ. L.1. T.2. C.1. n.1. & 2. p.48. fuſiùs L.1. T.4. C.4. per totum, p.349. Chriſtus Dominus docet eſſe aliam domum, multò ſublimiorem, ſcilicet æternam, in qua ſunt manſiones diuerſæ, pro Regibus tamen, & rectè gubernan-

Bernantibus ſublimiores. L. 1. T. 2. C. 1. n. 2. p. 49. & L. 1. T. 2. C. 12. n. 85. p. 136.

Beata domus ſiue parua, ſiue Politica, vbi cor (id eſt) gubernator domus influit viuidè ad tutandum exiſtentes in ea. L. 1. T. 2. C. 2. per totum, p. 57.

Regna ſunt domus Politicæ, quorum inexpugnabilitatis cauſæ, & ruinæ referuntur. L. 1. T. 2. C. 1. per totum, à n. 1. vſq; ad n. 14. p. 48.

Nullibi meliùs conſeruantur theſauri, quàm in domo, vbi tutò conſeruantur, nec vllus rapiet eas. L. 1. T. 4. C. 4. n. 36. p. 353. vbi de conſeruatione opum L. 1. T. 3. C. 7. n. 109. p. 200.

In viſibili mundo triplicem domum eſſe aſſerunt Politici, & qualiter differant, docent. L. 1. T. 2. C. 1. n. 2. p. 49. *ſcilicet totum vniuerſum, Regnum, & Oeconomiam.*

Pro Inuentione S. Crucis.

DVX & Vexillifer S. Crucis, eſt glorioſus Pater S. Franciſcus. L. 2. T. 3. C. 1. n. 9. & ſequentibus, p. 455.

Sacerdotes quoq;, qui curam animarum gerunt, in bello ſpirituali ſunt vexilliferi. L. 2. T. 2. C. 3. n. 48. p. 447. *Adde, quàm prudens & induſtrius debeat eſſe vexillifer.* L. 2. T. 3. C. 1. à n. 9. in finem. p. 455.

Quare dæmonem vicit Chriſtus ſigno Crucis, non ferro? L. 1. T. 1. C. 1. n. 8. p. 8.

Quare item coronã ſpineam ei eripuit? ibidẽ.

Coniuratio facta eſt contra Crucem, & Regiam dignitatem eius, quòd humilis, pauper in Cruce mortuus fuerit, & plurima tormenta paſſus fuerit, non poſſit eſſe Rex. L. 1. T. 1. C. 2. n. 10. p. 11. *ſed refutatur ibidem.* n. 12. 14. 15. p. 14.

Chriſto Domino deſcendente de cælo, vt vincens vinceret, data eſt corona triplex: Aurea vt Regi, luminoſa vt Triumphatori, ſpinea vt Bellatori contra Luciperum, qui tali coronâ voluit ornari. L. 1. T. 1. C. 1. n. 8. p. 8.

Cruce ampliauit Regna Chriſtus. L. 1. T. 1. C. 5. n. 37. p. 40.

Eâdem fundauit Imperia. ibidem. C. 4. & 5.

Reuerentia, quæ imagini defertur, in illum cuius eſt imago, reflectitur. L. 1. T. 2. C. 21. n. 22. p. 203.

Pro S. Stanislao Epiſcopo & Martyre.

Ego ſum Paſtor bonus.

DIuus Stanislaus Paſtor bonus, non ſolùm pauit oues, ſed & lupum Boleslaum, à quo innumeris morſibus laceratus eſt, qui tamen, vt fertur, in ouem eius precibus transmutatus eſt, & in pœnitentia mortuus. L. 2. T. 2. C. 3. n. 39. p. 439.

Inter ſtupenda miracula, quæ Deus per S. Stanislaum operatus eſt, & hoc vnum magnæ conſiderationis eſt, quòd poſt tot centena annorum, oſſa illius odorem ſuauiſſimum ſpirabant. De odore L. 1. T. 2. C. 8. n. 56. p. 105.

Idem Sanctus monens Reginoldum Cardinalem, ne contradiceret Canonizationi eius, faſſus eſt vnguentis proprij ſanguinis, ſe ſanctificatum eſſe. ibidem n. 60. p. 110.

Adde, bellicoſiſſimus Rex Boleslaus Audax, ſic dictus ob bellicam fortitudinem, ignorans nouum belli genus, & inſolitum præliandi morem, ideò tanquam lupus ab oue, ſeu potiùs à paſtore ſuperatus eſt, in quo inexplicabilem Deus ſuam virtutem perhibet, quia hæc eſt virtus Dei, quòd lupi in oues transferantur. ibidem.

Apparitio S. Michaëlis Archangeli.

ANgeli oculo corporeo non apparent, cùm ſint ſpiritus, qui nõ cernũtur oculo corporeo, quia

Pro Feſto Sancti Bernardini Confeſſoris.

Pro S. Antonio Confeſſore Ord: Minorum.

Filio ſapienti pater gloriatur.

Natiuitas S. Ioannis Baptiſt.

Nunquid deficiet nix ex lapidibus, qui ſunt ſub monte Libano?

Mirum est, quod ait Propheta, non deficere niuem ex lapidibus, cum experientia doceat oppositum; nam orto sole in vere nullibi priùs deficit nix, quàm ex lapidibus, id est, quia in montibus. Si dixisset, ex monte Libano, esset verisimiliùs, id est, quia in montibus altis durat nix etiam in æstate, sed mysticè; niuis similitudine intellexit sanctitatem, per lapides Regna electorum Dei, vbi inter alia erat Regnum Hebræorum, vbi vigebat sanctitas, & niueus candor, qui nobis repræsentatur in D. Ioanne. Hic in tenera ætate petijt eremum, ne leui saltem maculare vitam crimine posset; hoc idem de Regnis Christianorum dicendum est, vbi mons Libanus est Ecclesia Catholica S. Romana, quæ candore sanctitatis semper fulget. Est enim vera, sancta, Catholica L. 2. T. 1. C. 1. per totum, præcipuè n. 6. p. 362.

Regna verò Christiana sunt lapides, in quibus non deficit nix candoris, & sanctitatis, etiam vrgentibus flammis vitiorum, quia sanctitas in quolibet Regno viget, non quidem in singulis generum, sed in generibus singulorum. ibidem. n. 13. p. 336.

Consiliarij conscientiæ non sunt despiciendi, quin potiùs consulendi in his, quæ ad conscientiam spectant, vnde laudantur milites, quòd consuluerint D. Ioannem Baptistam. L. 1. T. 3. C. 1. n. 7. p. 228.

Pro Festo SS. Petri & Pauli Apostolorum.

Potestas D. Petri multiplex à Christo tradita, sextuplici ala Cherubin exprimitur. L. 2. T. 1. C. 4. n. 50. p. 398.

D. Petrus & Successor eius, sunt duo Cherubini aurei, qui assistunt Oraculo, nimirùm statui Ecclesiastico, cauentes vel maximè, ne Principes sæculares se intromittant in negotia, & causas Ecclesiasticas. L. 2. T. 1. C. 4. n. 44. & 45. p. 393.

A S. Petro quæsiuit Christus, quid de illo sentirent homines; & nunc de Cruce quærit à nobis, quid putant esse filium hominis in Cruce. Et alij quidem offenduntur paupertate Christi, alij humilitate, alij passione, & dicunt esse hominem purum, de hoc L. 1. T. 1. C. 2. n. 13. 14. 15. p. 15. Nos dicimus cum S. Petro: Tu es Christus Filius Dei viui.

Tu Rex & natiuitate, & Dei voluntate, aliter tamen, quàm alij Reges. Tu superas Reges assumptione, gubernatione, sufficientiâ. Tu perfectissima instituisti Regna. Tu miro modo ampliasti instituta. De his L. 1. T. 1. per totum Tractatum, p. 1.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.

Nominum impositio non debet esse ab euentu, & casu, sed magnâ deliberatione, vel Spiritus Sancti instinctu. Hinc Romani non concedebant nomina honorifica, nisi virtuosis. L. 1. T. 4. C. 2. n. 14. p. 336.

Nec item commutatio, nisi magno mysterio, sicut nomen S. Petri commutatum ex Simone, in nomina Cephæ, & Petri. Et ratio istorum est, quia nomen est inditium, & insigne virtutis, sanctitatis. Reatus & macula est, peccatori nomen sanctum imponere. L. 1. T. 2. C. 4. n. 31. p. 74.

Regna firmantur fide, ideò Reges, Principes, &c. debent attendere ne fides contemnatur, immutetur, sed amplificetur, vt omnes cum D. Petro dicant: Tu es Christus Filius Dei viui. *L. 1. T. 2. C. 6. n. 49. & sequentibus, p. 94.*

Visitatio B. Virginis Mariæ.

Quanta felicitas domui S. Elizabeth, & emolumenta ex Visitatione B. Virginis Mariæ, & quanta felicitas domus Politiæ, scilicet

Pro Festo S. Bonauenturæ Episcopi Confessoris.

Pro Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Optimam partem elegit.

Pro Feſto S. Annæ.

Simile eſt Regnum cælorum theſauro.

Feſtum S. Mariæ Angelorum.

Transfiguratio Domini.

Paupertas, humilitas, Passio nihil nocet Regali dignitati, vt probatur fusè loco citato. Verùmtamen prouidendum erat infirmitati humanæ in Apostolis, ideò & splendorem Regium, & impassibilitatem, & seruorum dignitatem, scilicet Moysen & Eliam, in monte illis placuit manifestare. ibidem.

Non sine causa voluit in illo monte apparere Moyses, vt insinuatur, quòd sicut Moyses fuit Legislator, ita & Christus, sed perfectior, quàm vllus legislator, quoniam non solùm confert leges, sed etiam iuuat ad obseruantiam earum. L. 1. T. 1. C. 1. n. 1. p. 1.

Magnæ charitatis signum erga Moysen, & Eliam fuit, quòd illis reuelauerit secretum de Passione Diuina. L. 1. T. 2. C. 20. n. 10. p. 191. cui reuelanda sint secreta.

Resplenduit facies eius sicut sol. *Subditi ex vultu Regis inuestigare possunt animum Regis; cùm facies Christi resplenduit vt sol, tunc in facie vultus Regis Christi, legebatur vita, qualis esset futura. L. 1. T. 2. C. 4. p. 73. per totum, præcipuè n. 33. p. 76.*

Christus Dominus quandoq; faciem habebat leonis, quandoq; aquilæ, quandoq; hominis, hodie Angeli, imò Dei. ibidem n. 34.

Vestimenta autem facta sunt alba, &c. *Quam ob causam alba, & non alterius coloris? L. 1. T. 2. C. 5. n. 38. p. 82.*

Pro Festo S. Laurentij Mart.

STrenuus *Christi Athleta, & miles fortis, pro Christi honore acriter decertans, contempsit voluptuosam vitam, quod proprium est militibus, pro lecto moli, craticulam igne candentem eligendo, contempsit item mortem audacter redarguendo Tyrannum, quod proprium esse debet militibus. L. 1. T. 3. C. 4. n. 58. p. 262. Imitatus Christum in lecto Crucis morientem.*

Granum frumenti Christus Dominus, sapientia supereminens, tractatus vt insipiens, amens, vel extaticus. L. 1. T. 3. C. 9. n. 139. p. 321.

Nisi granum frumenti, &c. *Difficultas est: Num corpus sit propter animam, vel è conuerso anima propter corpus; verùm id, quod deterius est, propter nobilius esse debet, & sic etiam quia corpus est deterius, quàm anima, mens & ratio, quàm sensualitas, ideò &c. L. 1. T. 2. C. 12. n. 84. p. 135.*

Granum frumenti est vita præsens in terra, vel in germine, abscondita cum Christo in Deo *(vt inquit D. Paulus) Cùm autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria, tunc iam granum erit in horreo gloriæ, vt insinuat Aggæus Propheta:* Ponite *(inquit)* corda vestra, &c. *Vita præsens meretur nomen vitæ, vbi ob continuas infirmitates in vita præsenti creauit Deus duas officinas. L. 1. T. 3. C. 9. n. 128. p. 314.*

Interrogatus de diuitijs, vbinam sint? Respondit: Manus pauperum in cælestes thesauros eas deportauerunt. *Quæ de manu Dei accipimus, Deo sunt reddenda mediatè, vt diuitiæ per pauperes, vel immediatè, vt propriam vitam. L. 1. T. 3. C. 7. n. 111. p. 301.*

Pro Festo Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

COR *Ecclesiæ Sanctæ, est Augustissima Virgo. Omnes tanquam membra corporis sic se habent, quòd alij quidem nascuntur, alij moriuntur, & in sepulchris dormiunt. Quantum ad corpus mortale. De sola Augustissima Virgine deuoti eius sanctissimè sentiunt, quòd Beatissima Virgo assumpta fuerit in cælum, non solùm quoad animã, sed etiam quoad corpus gloriosis dotibus; Quòd*

autem Beatißima Virgo, sit cor Ecclesiæ, semper vigilans super stabilitatem Regnorum, habes fusè L. 1. T. 2. C. 1. n. 6. p. 52. vbi illustratum est Beatißimam Virginem esse cælum empyreum, & influentem firmitatem Regnis, sicut cor est firmamentum corporis, quoad sensus motus, & vitæ, quoniam est animæ receptaculum.

Corporis vigor in duobus consistit: in influentia, & vigilantia, fusè L. 1. T. 2. C. 2. n. 17. p. 59.

Astra influunt in hæc inferiora, ibidem.

Augustißima Virgo lucidißimum sydus altè collocatum, plus influit in inuocantes illam. ibidem.

Anima influit in sensus, plus B. V. Maria in peccatores. ibidem n. 18.

Sepulchrum B. V. Mariæ odoriferum repertum ex floribus Paßionis Christi. L. 1. T. 2. C. 8. n. 58. 59. & 60. p. 108.

Pro Festo S. Bartholomæi Apostoli.

Erat pernoctans in oratione Dei.

Delectatio perficit opus, inquit Philosophus. Suauitas in orando delectat Deum. De gustu L. 1. T. 2. C. 9. per totum, p. 110.

Plura sunt nomina in Repub. quibus gaudent Principes, & Reges. An verò poßint dici inuictißimi? disputatur L. 1. T. 3. C. 4. n. 56. p. 261.

Verùm quatuor sunt inuictißima: Natura, Tempus, Mors, Deus: quæ tamen vincuntur oratione, & fletibus, precibus, & gemitibus, fusè ibidem, n. 54. & ideò pernoctandum est in oratione.

Oratione quoq; vincuntur hostes visibiles, ideò his armis munitus Constantinus Magnus, decertabat, & vincebat; & inuisibiles, quia oratio est flagellum dæmonum, arma offensiua, & defensiua. ibidem. n. 55.

Tria sunt, quæ maximè decent & homines priuatos, & Principes, faciuntq; deuotos: continua præsentiæ Dei consideratio, continuum studium placendi Deo, & continua Deo supplicatio tempore pacis, & belli. L. 1. T. 2. C. 15. à n. 102. vsq; in finem, p. 152.

Natiuitas B. V. Mariæ.

Certabant inter se sæcula, ortum B. V. Mariæ expectando, pro summa felicitate Natiuitatem B. V. Mariæ recipere desiderando. Nec mirum, quia ipsa est fulcrum Regnorum, cælum empyreum, stabilitatem conferens Regnis, meritis, & intercessione suâ. L. 2. T. 1. C. 1. per totum, p. 359.

B. Mariæ Virginis influxus in Christum Dominum, fuit in omni genere causarum, materialis, quia subministrauit materiam corpori Christi; formalis, quia ex purißimo sanguine eius, formatum est Corpus Christi Domini. In genere efficientis, quia actiuè concurrit ad formationem corporis. Et deniq; finalis, in ordine ad salutem generis humani. L. 1. T. 2. C. 2. n. 19. p. 61.

Influit in omnes extensiuè, in iustos, & peccatores. ibidem n. 20.

Influit per calorem trahendo ad Filium corda peccatorum, & calefaciendo corda Sanctorum, & per motum remouendo corda hominum ab amore mundi. L. 1. T. 2. C. 2. n. 21. p. 63.

Influit per lumen pelendo tenebras. Felicißima ergo sunt nostra sæcula, quòd ortu tam luminosi syderis gaudent.

Exaltatio S. Crucis.

Vexillo Crucis Christus Dominus fundauit, & ampliauit Regnum Christianorum. De modo ampliandi, seu dilatandi Regna, vide totum L. 1. T. 1. C. 4. p. 31. & præcipuè C. 5. n. 43. p. 45.

In Feſto S. Matthæi Euangeliſtæ.

Vidit Ieſus hominem.

Dedicatio S. Michaëlis Archangeli.

Pro Feſto SS. Angelorum, & præcipuè S. Angeli Cuſtodis.

nes. Diuina Hierarchia non item, & quare? n. 21.

Angeli ſuperant nutrices in educandis infantibus. L. 2. T. 3. C. 4. n. 51. eſtò ſuperentur ab illis in ſupportandis ærumnis. ibidem.

Magna pietas Angelorum erga homines inſinuatur, fusè ibidem, per totum.

Sacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumq́; noſtrorum obſeruator, & Cuſtos hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat, inquit.

Cum Angelo Cuſtode acriter pugnandum eſt contra dæmonem, & artes, ac tela eius. L. 2. T. 2. C. 2. n. 31. p. 433.

Pro Feſto S. Franciſci.

QVantùm S. Franciſcus venerabatur Sacerdotes. L. 2. T. 2. C. 3. n. 34. p. 436.

D. Franciſcus per totam vitam ſuam erat in otio ſacro, quiete, & contemplatione. vide L. 2. T. 3. C. 2. n. 19. vſq; ad n. 24 p. 462.

Species contemplationis, admiratio, dilatatio, alienatio, cernere licuit in Beato Franciſco. ibidem. C. 2. n. 24. p. 465.

Canit Eccleſia: Quem huius non deſeruit numen vel omen nominis. *Numen & omen iiſdem literis conſtat, quorum vnum eſt alterius declaratiuum. L. 1. T. 2. C. 4. n. 31. p. 75.*

D. Franciſcus Dux in bello ſpirituali duxit ad Chriſtum, & reduxit deuia deuitando, demonſtrando æterna gaudia, fusè explicatur L. 2. T. 3. C. 1. n. 8. p. 455.

Vnde prouenit, quòd B. Franciſco omnes creaturæ obtemperabant. L. 1. T. 2. C. 20. n. 3. 4. p. 187. Vnde item, quòd à Deo firmam mentem in Deo, & cœleſtibus habebat. ibidem.

Vnde tandem, quòd doctus fuerit, quia mentis inſtrumentum eſt ſcientia, & mentem ſemper ad Deum eleuatam habebat. ibidem. n. 5.

Ex nomine Sancti Franciſci, Eccleſia colligebat ſanctitatem eius, & Summus Pontifex ex vultu intellexit animi bonitatem. L. 1. T. 2. C. 4. n. 31. p. 74.

Pro Feſto SS. Simonis & Iudæ Apoſtolorum.

Hæc mando vobis.

INter plurima laude digna à Chriſto inſtituta, in fundatione Regni Chriſtiani, fuerunt etiam leges peroptimæ, maximè lex Charitatis, quæ perfectiùs fundat, & firmat Rempub. quàm opes, imò potiùs quàm ſapientia, quàm virtutes aliæ, quia hæc ducit in temporalem, & æternam felicitatem. L. 1. T. 1. C. 4. n. 31. 32. 34. per totum, p. 34.

Præmium charitatis expreſſiſſe videtur Seneca, cùm ait: *Nullum ornamentum faſtigio dignius eſt, quàm illa corona ob ciues ſeruatos, ſicut Obſidialis ex gramine, his, qui vrbem obſidione liberaſſent. Muralis, murorum pinnis præmunita, his, qui primùm muros Vrbis obſeſſæ aſcendiſſent. Caſtrenſis, ligneis ſtipitibus ad inſtar palli effectis, his dabatur, qui primùm hoſtium valle cinctorum caſtra egrediebantur. Naualis, ſed iſtorum omnium præcipua Ciuica (inquit Seneca) ob charitatis decus egentibus præſtanda. L. 1. T. 2. C. 16. per totum, p. 156.*

De Communi Apoſtolorum.

Ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te.

GLoriantur Apoſtoli, quòd reliquerint omnia caduca, gloriantur item, quòd ſecuti fuerint Chriſtum, ſicut Heliotropia, *quæ ſequũtur ſolem, & pulli aquilarum ſolis radios contemplantes.*

accensi, mortem contemnebant, imò gaudebant, cùm essent morti destinati, cùm dixit: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices, &c.

Plenitudo legis est charitas. Hanc charitatem fundit Christus ad instar firmamenti. L. 2. T. 2. C. 2. n. 20. p. 426. ibidem habes, quòd influit charitatem ad instar ignis, vel ad instar solis; ideò ignem, vel solem adorauêre idololatræ antiqui.

De Communi Martyrum.

Si quis vult venire post me, tollat crucem suam.

CRVX *Sancta tanquam vexillum in prælio. Vexilliferi officium est, vt sciat ardente prælio crucem agitare, & alia signa militaria, qualis fuit D. Paulus. L. 2. T. 3. C. 2. n. 27. p. 468.*

Ardebat mundus malitiâ, & persecutione, sed animosi vexilliferi, D. Paulus, qui portabat nomen Christi coram Regibus, D. Franciscus, qui stigmata Iesu Christi in corpore suo expressa gestabat. Martyres Sancti, qui ore, & sanguine Diuinitatem Christi diuulgabant in vexillo depictum, vt fieri solet in bellis iuxta illum Senecæ versum.

Nomen Ducum vexilla præscriptum gerunt. *L. 2. T. 3. C. 2. n. 27. & sequen. p. 468.*

Tres Cruces, tanquam tria vexilla, post Christum portandæ sunt. Abnegationis suijpsius: Abneget semetipsum. *Tolerantiæ*: Tollat crucem suam. *Imitationis*: Et sequatur me. *Has Martyres portauêre.*

Scriptores librorum sunt persimiles Martyribus, & quare? L. 2. T. 3. C. 2. n. 32. p. 470.

De Communi Martyrum tempore Paschali.

Ego sum vitis vera, & vos palmites.

NON *sine speciali mysterio Ecclesia Sancta, orationes suas publicas, & priuatas terminat, obsecrando* Per Christum Dominum nostrum; *quoniam sicut palmites humorem trahunt ex vitis radice, ita Ecclesia orat, humorem vitis, quæ est Christus, in nos palmites deriuari, & attrahi; quippe Christus illuminat intellectum, inflammat corda, multò perfectiùs, quàm firmamentum radijs virtutum. L. 2. T. 2. C. 2. n. 20. & consequenter 21. p. 426.*

Vitis in palmites, & Christus in fideles, de influxu Christi in omni genere causæ, fusè L. 1. T. 2. C. 2. per totum, p. 62.

De influxu item B. M. V. in Regna, persimili influxui cæli Empyrei L. 1. T. 2. C. 1. quasi per totum, simulq́; de influxu Christi Domini. ibidem.

De Communi Confessoris Pontificis.

Homo quidam peregre proficiscens tradidit bona sua.

T*Radidit bona Ecclesiæ Christus peregre proficiscens, Pontificibus, vt essent arma contra hostes Ecclesiæ, qualiter autem his armis & Ecclesiam defendant, dum reuertetur sindicatum requiret, & nunc quidem quia tacet, & quasi non videt, videtur eorum obliuisci, & longè abesse, sed tunc austerè rationem exiget. L. 2. T. 2. C. 1. n. 6. & reliquis, p. 418.*

Vigilate, quia nescitis, &c. *Vt leones nonnunquam à somno victi, oculis vigilare cernuntur, sic Pontifices vigilare debent super gregem suum, eò, quòd magnum eis prælium est cum Hæreticis, Iudæis, & Pseudopoliticis, atq́; capite illo-*

Pro Communi Doctorum.

Vos eſtis lux mundi.

Commune Virginum.

Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus.

Commune SS. Mulierum, & Viduarum.

Commu-

Pro Habitu suscipiendo, vel emittenda in aliqua Religione Professione.

Omnis

De Visitatione, educatione, & correctione Religiosorum.

De celebratione Missæ à nouo Sacerdote.



INDEX CONCEPTVVM PRO EXEQVIIS PERSONARVM STATVS ECCLESIASTICI, ET SÆCVLARIS IN PARTICVLARI.

Pro Anniuersario Regis Regum Christi Domini.

MOS antiquissimus Ecclesiæ Sanctæ est, Anniuersaria pro defunctis obeundi, tum in consolationem, & ædificationem viuentium, tum in subsidium, & suffragia pro animabus defunctorum.

Aliâ sanè intentione celebrant fideles, cum Ecclesia S. Anniuersaria Regis Regum Christi Domini, quàm cæterorum hominum: cùm enim fuerit Deus & homo, nullam peccati maculam contrahere potuit, à qua ipsum mundari oporteret, itaq; Anniuersarium mortis Christi, & passionis eius celebratur in rememorationem diei Sabathi, vt inquit Titulus super Psalm. Dauid. Cùm enim opus salutis nostræ inter opera Dei sit æterna memoriâ dignum, iuxta illud: Domine nomen tuum, & memoriale tuum in æternum, & homo debilißimæ sit memoriæ, vnde Eusebius affirmat, quòd cùm dixit Dauid: Quid est homo, quia magnificas eum? In Hebræo est Enos, id est, obliuiosus; ideòq; necessaria ei erat rememoratio. Et D. August. Memoria (inquit) quasi venter est animi, lætitia verò atq; tristitia, quasi cibus dulcis & amarus, quæ omnia hominis membra viuificat, & confirmat, & communiter dulcia conuertuntur in amara, vnde Horatius ait: Dulcia in bilem conuertuntur, amara verò in dulcia. In rememoratione igitur Paßionis Domini, amaro cibo animus noster refocillandus est. Si enim dedimus annos ad refocillandum animum, dulcibus negotiorum cibis, iustum est, vt demus diem ad refocillandum amaris, maximè, quia ista rememoratio est diei Sabathi, diei festi Christi Domini, vt inquit D. Ioannes: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, hic dies festus est, in quo vicit mortem. Multa fuerunt festa apud Iudæos, vnde locutus est Christus ad discipulos: Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo, quia Christi dies festus, ad quem ascendit, fuit, in quo paßione suâ redemit mundum, vt inquit Origenes: Etenim magna ei festiuitas est nostra salus. Rememoranda est igitur nobis hæc festiuitas Christi, quam comparauit redemptione nostrâ, multò perfectiùs, quàm Principes & Reges comparant sibi nomen, & memoriam heroicis actionibus, ac arcium, & vrbium fundatione.

Rememoranda nobis est, celeberrima charitas Dei erga genus humanum, siquidem D. Paulus id nobis inculcat, scribens ad Rom: Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Pereundum nobis fuit, nisi is, qui partes naturæ humanæ tuebatur, venisset, vidisset, & vicisset, de quo L. 1. T. 1. C. 1. n. 8. p. 8.

Horret animus meminisse in quali statu res humanæ fuére ante Aduentum Christi, ibi regna vel in vitijs, vel in diuitijs erigebantur. L. 1. T. 1. C. 4. n. 30. p. 33. nullus erat, qui auxiliatrices manus porrigeret naturæ perditæ, mundo fætoribus vitiorum repleto, aut erudiret, quâ ratione poßint semper viuere. ibidem. aut Deum iratum placare. Nam nec Deus purus, quoniam pati non potest, nec Angelus, quia pro tanto beneficio, magis obligatum esset genus humanum Angelo subsidium ferenti, quàm Deo creanti: Canit

autem Ecclesia: Quid nasci profuit, si redemi non profuisset? *Nec tandem purus homo, quia cuncti erant ex massa perditionis. Deus autem placari non potuit, nisi à persona magis grata, superante grauitatem delicti. Solus ergo Deus & homo, paupertate, humilitate, & passione succurrere potuit, perdito generi humano, solus ille, qui cùm esset nouus Rex, nouum saluandi mundi inuenit modum, de quo L. 1. T. 1. C. 2. n. 14.*

Itaq; commendat charitatem suam nobis potiùs, quàm sapientiam, quoniam (vt inquit D. Paulus) supereminentem scientiæ charitatem, cernimus in passione Christi. *L. 1. T. 3. C. 2. p. 240.*

Quoniam sicut nubes tegunt solem, ne obtutibus aspiciatur, sic charitas Dei nebulis humilitatis Passionis, quodammodo abscondit sapientiam, omnipotentiam Dei, eò, quòd tunc esset tempus potiùs patientiæ, quàm potentiæ, cùm charitatis vinculis omnipotentia Dei ligabatur, & sapientia deridebatur, dum absconditus erat vultus eius, de Deo dixit Scriptura: Nubes latibulum eius; *sed & de sapientia Dei rectè dici potest,* Charitas latibulum eius, *quod & de cæteris attributis Dei affirmandum est.*

Commendat igitur Deus charitatem suam in nobis, commendat tota SS. Trinitas, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Commendat, inquam, Deus Pater charitatem suam, quòd hominem creauerit, & in gratiam eius mundum condiderit, cuius contemplatione, per gradus ascenditur in contemplationem Dei; quòd homini prouideat elementa, quibus sustentetur, quòd conseruet vitam, & ipsum ad immortalitatem ordinet, de quo L. 2. T. 1. C. 3. n. 34. p. 384.

Sed multò magis commendat charitatem suam in nobis, quòd Filium suum miserit in hunc mundum pauperem, humilem, passibilem, luminosum, tamen cum duplici potestate, temporali, & spirituali. L. 1. T. 1. C. 1. n. 3. & 6. p. 2. in eum finem, vt vincens vinceret, lumine tenebras, virtutibus vitia, passione diabolum, à n. 8. vsq; ad finem T. & ibidem C. 2.

Commendat item charitatem suam in nobis, eò, quòd salutem humani generis in crucis ligno constituit, & per crucem Regnum Christi amplificari voluit. L. 1. T. 1. C. 5. n. 43. p. 45.

Multùm commendat charitatem suam Abraham erga Deum, quòd mandante Deo filium proprium immolari voluit, sed multò magis Deus certans charitate cum hominibus, commendauit nobis charitatem suam, dùm non solùm voluit filium proprium offerre, pro salute humani generis, sed de facto obtulit, & immolauit. L. 1. T. 1. C. 2. n. 15. p. 16. nec proprio filio pepercit. ibidem n. 15. quòd ex obedientia Christus mortuus fuerit, & ex voluntate Patris, vt habet D. Anselm. Lib. Cur Deus homo, licet etiam pro veritate seipsum morti obtulit, potiùs enim voluit mori, quàm tacere, & peccatum Iudæorum dissimulare. Pro iustitia etiam, quæ requirebat satisfactionem, pro transgressione Adami.

Commendat item Spiritus Sanctus charitatem suam, quia per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo, *in Incarnatione & Cruce,* per illum conscientias nostras emundat sanguine suo, non sanguine hircorum, aut vitulorum, &c. *Hebr. 9.*

Christus etiam Dominus commendat charitatem suam in nobis, quia quod erat maiestatis, quod erat potentiæ, totum propter nos occultauit; aliter enim nec tractaretur, nec manducaretur, totum & totus expansus in nostrum vsum, ita vt de illo rectè dixerit Abbas Guarricus: O Deum prodigum sui pro hominis amore. *L. 1. T. 1. C. 2. n. 15. p. 17. magis enim dilexit genus humanum, quàm sua, quàm suos, quàm seipsum.*

Tria sunt præcipuè, quæ soli Christo competunt, & ideò sunt propriè sua: origo à Patre, impaßibilitas, & honor, hæc ex charitate, & amore in salutem nostram minùs dilexit, quia cùm originem traheret ex Deo, & ipse Deus, Dominus, Iudex, Rex, Patronus, vt habetur L. 1. T. 1. C. 1. n. 7. p. 7. factus est pro nobis seruus, vt seruis Patrem faceret Deum.

Laudibus effertur charitas D. Aug. quòd alloquens Deum, illis verbis vsus sit: Si tu, cùm sis Deus esses Augustinus, & ego cùm sim Augustinus essem Deus, ego potiùs vellem esse Augustinus, vt tu esses Deus; *vnde exclamat hæc considerans quidam:* Charitas Augustini vicit sapientiam eius; *cùm igitur Christus esset Deus de Deo, factus est pro hominibus seruus, vt seruos faceret filios Dei, certè charitas Christi, vicisse videtur scientiam Dei, & Deus vicisse seipsum, vt nobis charitatem suam commendaret.*

Magis item dilexit salutem generis humani, quàm suos, quis carior Christo Augustißimâ Virgine Matre? permisit cor, & animam eius gladio doloris inexplicabilis, & compaßionis percuti, & penetrari: quis carior Apostolis? permisit tamen, vt eum aspicerent in Cruce totaliter laceratum, in vita pauperem, in morte ærumnis consumptum, non ob aliam causam, nisi ob salutem humani generis. L. 2. T. 2. C. 2. n. 29. p. 432. quanto dolore affecti fuêre amici eius, dum intuebantur Dei sapientiam, tractari vt hominem amentem, abiectum, & totaliter consumptum.

Commendat deniq; charitatem suam in nobis, quia magis dilexit salutem nostram, quàm seipsum, quoniam seipsum exinaniuit, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, adeò, quòd non erat aspectus hominis in eo. Prædicta omnia, in quo maximè commendat charitatem suam in nobis, operatus est, cùm adhuc peccatores essemus, in quo summam charitatem commendauit: non vt inquit D. Paulus: Pro impijs mortuus est, nam pro bono forsitan quis audeat mori. *Forsitan, inquit, pro bono audet ne quis mori; acsi diceret, fieri potest, quòd pro bono quis moriatur, & de facto in Regno Poloniæ plures mortuos esse, pugnando fortiter pro bono Patriæ, testantur Annales, & Vega testatur in Regno Hispaniarum fuisse confraternitates equitum, quorum professio erat opibus, & vitâ defendere innocentes, contra oppreßionem hostium, magnæ id charitatis est opus. Cæterùm, maiorem charitatem commendat Christus nobis, cùm pro malis, & peccatoribus mortuus est.*

Commendat etiam nobis charitatem per causam, quoniam nulla causa mortis eius fuit, nisi salus nostra. L. 2. T. 2. C. 2. n. 29. p. 432. & fusiùs L. 2. T. 1. C. 3. n. 37. p. 386.

Commendat item paßionis modum, & tandem per effectus, qui sunt innumerabiles, sed præcipuè, quòd trahit ad se, inflammat corda nostra, illuminat intellectum, influit in Cruce in corda nostra perfectiùs, quàm astra in sublunaria influunt, influit in omni genere causarum, per lumen, motum, & calorem, de quo L. 1. T. 2. C. 2. n. 15. p. 57.

Ab instanti conceptionis Christus charitatem suam nobis commendauit, sed præcipuè in morte. L. 1. T. 2. C. 20. n. 10. p. 192. Vnde D. Bernard. O charitas, quàm potens es, quæ Deum mori docendo euacuasti. *L. 2. T. 1.*

Secreta etiam cælestia, olim omninò ignota, nobis reuelauit, & ideò cor & pectus lanceâ aperiri permisit, vt quid à nobis requirat Deus, intelligamus. L. 1. T. 2. C. 20. n. 10. p. 192.

Præcipuè reuelauit D. Francisco, S. Birgittæ, qui Iesum in cruce, recenti sanguine perfusum viderunt, & cor illorum attraxit, & incendit, vt solet L. 2. T. 1. C. 3. n. 30. p. 381.

Commen-

Commendat etiam charitatem ſuam nobis, Deus Spiritus S. vnctione differenti ab vnctione Regum, & Sacerdotum, quæ ſit oleo ſancto, hæc autem ſanguine Chriſti, de quo L. 2. T. 2. C. 3. p. 436. Ex quo concluditur, quòd etſi Deus dignus ſit charitate, & amore noſtro, vt ametur propter ſe, hoc eſt, propter ſuam maieſtatem, & immenſas perfectiones, præcipuè tamen, vt Deus eſt nobis conueniens, ſeu, vt operatur in noſtrùm commodum Deus Pater creando mundum, & quæ in eo ſunt, Deus Filius reparando per paßionem ſuam genus humanum, Deus Spiritus S. diſponendo ad beatitudinem. Neq; enim ſolum amamus amicum, propter honeſtatem & virtutem, ſed etiam quia amat nos, ideòq; eum redamare debemus, quantò magis Deum redamare dignum eſt, qui prior dilexit nos, & ſeruauit nos à perditione damnationis æternæ, & quietem beatitudinis, ac vitam ſanguine ſuo nobis comparauit.

Concludo verbis Senecæ: Nullum ornamentum faſtigio dignius eſt, quàm illa corona ob ciues ſeruatos, *hæc ille: Nos autem dicere debemus*: Ob genus hominum ſeruatum, charitate Dei nullum ornamentum Chriſto dignius, *Amen.*

Pro Exequijs Summorum Pontificum, qui ſunt Reges Sacrorum.

Mortuus eſt Rex, non eſt mortuus reliquit enim ſibi ſimilem.

QVòd Reges moriantur non eſt mirum, hæc quippe eſt conditio omnium hominum, ire in domum dormitionis. L. 1. T. 2. C. 11. n. 78. p. 128. Ideòq; & Regibus perſuaſum eſſe volunt Scriptores tam Sacri, quàm Politici, mortis memoriam ſemper præ oculis habendam. L. 1. T. 2. C. 12. n. 80. Id mirabilius videtur, quòd mortuus ſit Rex, qui Deus, & homo Sanctus ſanctorum. Eſto enim mors, natura, Deus &c. ſint inuincibilia, vt habetur L. 1. T. 3. C. 4. n. 54. p. 260.

Sanctitas tamen Regis Ezechiæ præualuit contra mortem, quare quòd ſanctus ex moriatur Chriſtus, id ſanè mirum videtur; verùmtamen ſubſequentia verba ſolantur de morte eius mærentes: Non eſt (*inquit*) mortuus, *cuius ratio eſt, non ſolùm quia* dux vitæ mortuus regnat viuus, *Chriſtus mortuus, qui eſt dux vitæ æternæ, ornatus omnibus proprietatibus, quæ in Ducibus requiruntur. L. 2. T. 3. C. 1. n. . p. 455.* Et ipſe regnat viuus, *& alios viuificat; verùm etiam quia dicitur*, quòd non ſit mortuus. *Præter prædictam cauſam alia aſſignatur conſolationis ratio*, quia reliquit ſibi ſimilem. *Quis autem ſimilior Chriſto, quàm Summus Pontifex, Chriſtus Dominus fuit Rex ſummus hominum, & Summus Pontifex eſt ſummus hominum, vt dixit Tacitus, Chriſtus Dominus eſt ſummus Sacerdos, quòd fuerit Rex, & qualis. L. 1. T. 1. C. 1. n. 5. p. 5. quòd fuerit Rex ſacrorum, vel ex eo intelligitur, quòd fuerit inſtitutor Sacramentorum, & Reipub. Chriſtianorum, quæ item merentur dici ſacra; neq; enim inſtituta fuit in temporalibus diuitijs, ſed in ſpiritualibus, in ſapientia cœleſti, in virtutibus ſacris. L. 2. T. 1. C. 1. n. 11. p. 365. Sicut igitur Chriſtus fuit Rex Sacrorum, ita & Summus Pontifex fuit Rex ſummus, ſicut Chriſtus reſpectu Chriſtianorum fuit caput, ita & Pontifex Opt. Max. eſt caput omnium Prælatorum, imò & Chriſtianorum ſaltem ratione peccatorum, & indirectè bonorum temporalium. L. 2. T. 1. C. 4. n. 50. p. 398. Quoad poteſtatem remittendi peccata, & dirigendi poteſtates temporales in æternitatem, atq; poteſtatem confirmandi, atq; deponendi Reges. L. 2. T. 1. vt ſupra.*

Deinde sicut Christus ex eo dicitur Rex Sacrorum, quia sacra instituit, ita & Summus Pontifex est Rex Sacrorum, quia sacra distribuit, & dispensat, licet eadem ratione Sacerdotes dici possint Sacrorum dispensatores, quia Sacra distribuunt, et tamen est principalis, & summus Sacramentorum dispensator, mysteriorum fidei & iurisatus, seu vt communiter dicitur, rationis status interpres. ibidem. n. 56.

Christus Dominus fuit Deus & homo, & Summus Pontifex est in terris vice Deus, & homo, maior homine, minor Deo, summus hominum, vt dixit Tacitus: sed tamen vices eius in terris tenens; fuit ergo illi persimilis, non solùm quoad dignitatem, sed etiam quoad personam fuit persimilis, & quoad potestatem. L. 2. T. 1. C. 4. n. 50. p. 398. Sextuplex potestas Summi Pontificis, sextuplici alá Cherubin exprimitur.

Fuit persimilis quoad gubernationem, quia sicut Christus est Monarcha, & gubernatio eius Monarchica, ita & Summi Pontificis. L. 2. T. 1. C. 1. n. 12. p. 366. & sicut Christus gubernat Hierarchiam Triumphantem, ita Summus Pontifex Hierarchiam militantem. ibid. C. 2. per totum.

Fuit similis Christo quoad virtutem humilitatis, quia sicut Christus ita se humiliauit, vt se diceret seruum, & venisse in mundum ad seruiendum saluti hominum, ita Summus Pontifex, in principio suorum diplomatum, assumit nomen serui, immò & re ipsa est seruus, vt inquit D. Bernardus loquens ad Eugenium Papam: Non ideò (*inquit*) seruus, quia vni seruis, sed omnibus. *Et iterum:* Vbiq; strepitus, vbiq; iugum seruitutis tuæ te premit. *Non est inuidenda tanta dignitas, siquidem cui plus dignitatis adijcitur, plus de illo exigitur seruitutis. L. 1. T. 4. C. 3. n. 24. fusè p. 344.*

Deniq; est persimilis Summus Pontifex Christo Domino, quoad influxum in corpus Ecclesiæ. Qualis autem influxus fuerit Christi Domini, & est de facto. L. 1. T. 2. C. 2. per totum.

Quare concludendum est, quòd esto Christus fuerit mortuus, non est tamen mortuus, quia reliquit similem sibi, qui esto heri fuerit summus, viuens, hodie mortuus factus est infimus, & qui heri fuit Rex gubernans orbem, hodie redactus est in cadauer, & successu temporis in puluerem, quia tamen reliquit sibi similem, non quidem stirpe, electione tamen. L. 2. T. 1. C. 5. n. 61. p. 407. & quia prouidè electus fuit ad Summum Pontificatum, prouidè, sanctè gubernauit, & sanctè mortuus est, ideò laudet illum vrna, *& splendores eius vt lux luceant in æternum.*

Pro Exequijs Cardinalis.

Non enim Angelis subiecit orbem terræ.

MAgna est authoritas dignitatis Cardinalitiæ: Cardinalibus, & Principibus purpuratis Deus subiecit orbem, illos verò subiecit labori, & morti, ac potestati suæ; ille enim est, qui aufert spiritum Principum. L. 1. T. 2. C. 20. n. 11. p. 193.

Visibiliter mundum gubernare non est Angelorum munus, sed illorum, qui sunt persimiles Angelis, qui dicuntur Throni commissariè. L. 1. T. 2. C. 20. n. 11.

Orbem cæli & terræ fundauit Deus in cardinibus, immò & vitam honestam in quatuor cardinalibus virtutibus, à quibus deducitur nomen Principum purpuratorum Ecclesiæ. Nomen Deo gratissimum, & hominibus more Romanorum impositum, scilicet Cardinalium nomen. L. 2. T. 1. C. 5. n. 58. p. 404. Hi sunt cardinum superliminaria, qui dederunt lucem, scilicet fidei, orbi terræ sanguine proprio, quòd vel ipsa purpura, quâ induuntur, manifestat; quæ quantum honorem

Cardinalium illuſtrat fuſè n. 60. Hi calcárunt Hæreſes, & vitia, imitandò Chriſtum, qui purpuratus aſcendit in cælum. ibid. n. 59. His igitur Deus tradidit orbem terræ, ſcilicet gubernandum, ſicut in ipſis eundem fundauit: hi etſi non ſint Angeli, ſunt tamen perſimiles Angelis, in quibus iuſtitia requieſcit, ideòq; dicuntur Throni. L. 2. T. 1. C. 5. n. 65. p. 411. Sicut enim Thronis, ex ordine tertio, primæ Hierarchiæ, ſubiecit Deus orbem, quòad adminiſtrationem iuſtitiæ, aſſiſtentiam Deo eam adminiſtranti, & publicationem iuſtitiæ eius: ita & Cardinalibus ſubiecit orbem, quòad hoc, vt eſſent Aſſeſſores Papæ in iudicando, & inquiſitionis ſacræ Præfecti, atq; Iudices delegati.

Subiecit etiam orbem Cardinalitiæ dignitati, quòad reformationem orbis, in his, quæ ſpectant ad ſalutem, & hoc ex delegatione Summi Pontificis, ad quem ſpectat prouidere tranquillitatem in ſignis, & doctrinam ſalutarem plantare per deputatos à Sede Apoſtolica. L. 2. T. 1. C. 4. n. 56. p. 402. nec aptiores eſſe, ad id muneris poſſunt, ſicut Cardinales muniti authoritate, & dignitate, partim Sedis Apoſtolicæ, partim propriâ, ſine qua etiam lites decernere inter Principes eſt difficile. L. 2. T. 1. C. 6. n. 63. p. 408.

Nec ſolum orbem, ſed & electionem Principis orbis Summi Pontificis, eorum prudentiæ ſubiecit, zelo, & pietati, de qua L. 2. T. 1. C. 5. n. 62. p. 406.

Cæterùm hæc dignitas, & authoritas magno labore comparatur, & multas requirit virtutes, quæ in ſacra Scriptura per diuerſos Thronos inſinuantur. L. 2. T. 1. C. 5. n. 65. p. 411. Tum magnos, & induſtrios Principes, prædictæ præclaræ virtutes, non fauor vel aura popularis, ſummo huic in Eccleſia Dei magiſtratui admouet, quia ſicut virtus facit Reges, ita & Cardinales. L. 1. T. 1. C. 3. n. 25. p. 28. eâ ratione, vt nauem Eccleſiæ S. rectè & ſalubriter dirigant, à tempeſtatibus ac procellis periculoſis, & prædonum multitudine rabioſâ defendant, inſtruendo quid cauendum, quid fugiendum, quidué ſequendum ſit illis, qui in prædicta naui nauigant, in portum ſalutis æternæ, vt & tumeſcentes fluctus frangere ſciant, & ſcopulos euitare non ignorent, vel accommodare Theologicarum atq; Cardinalium virtutum, pericula deuitare, vento ſecundo ſpirante, Diuinarum inſpirationum vti fructuosè ſciant, & cæteras difficultates, quæ in hoc procelloſo immenſo pelagi ſpatio euenire ſolent, euitare poſſint. Splenduerunt prædictæ virtutes, & induſtria in eminentiſſimo Cardinali N. quem defunctum intuemur, ita vt minimè requiratur longior, & accuratior laudis, & meritorum eius proclamatio. Laudet igitur illum vrna, & ſplendores eius vt lux luceāt in æuum.

Pro Exequijs Epiſcoporū.

Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum.

Pontifices conſtituuntur à Deo, mediatores inter Deum, & homines, Apoſtolorum ſucceſſores. L. 2. T. 2. C. 1. n. 2. & tribus præeminentijs donantur, dignitate, potentiâ, & præeminentiâ. L. 2. T. 2. C. 1. n. 2. p. 414.

Eſt autem dignitas Pontificum, quòd ſint & ſpeculatores, & Dominationes, ac Duces pugnantes contra Hæreſes, Politicos, Schiſmaticos, Iudæos, ideò aſſimilati Angelis, qui dicuntur Dominationes. *ibidem n. 3.*

Poteſtas verò, vt præſint ſpiritualibus bonis, & vitijs extirpandis, quod quia fieri non poteſt ſine debita authoritate, & potentiâ, ideò bonis temporalibus opus habent, & Senatoriâ dignitate muniti ſunt in Regno Poloniæ, vt & Reges,

dum opus eſt, monere poſsint, pro antiquo more. ibidem n. 5.

Non obſtat, quòd facultates illorum, toruo oculo aſpiciunt hoſtes Eccleſiæ, & impugnant, ſed fruſtra, n. 6. & 7. nam cauillationes illorum tolluntur, & euaneſcunt n. 9. atq; Pontifices pro veræ fidei defenſione à Deo conſtituti, ex illis, & patre illorum diabolo triumphant. n. 11. nec ſolùm ex illis, ſed etiam ex malis filijs, Pſeudopoliticis, maximè verò ex Iudæis, qui aureis armis pugnant, & ex proprijs filijs, nam eſto ſit pax Eccleſiæ à paganis, & alijs hoſtibus, ſed non à proprijs filijs, quorum plagæ cùm ſint inteſtinæ, ſunt inſanabiles, n. 14. vbi ſupra.

Tandem præeminentia Pontificum ad ſæculares ſeu ſtatus ſpiritualis in ordine ad ſæcularem, maximè conſiſtit in ſubiectione, quòad iudicia ſtatus ſæcularis, quæ, quàm ſit antiqua, & ab omnibus approbata, declaratur n. 15. L. eodem. Hæc ſunt, quæ toruo oculo aſpiciunt hoſtes Eccleſiæ. Si tamen Pontifices memores fuerint doctrinæ D. Bernardi, explicantis eorum munia, ex omnibus illis triumphabunt, vt contingit huic Præſuli, dignitate, potentiâ, præeminentiâ condecorato, qui iam ex illis triumphat, ideò laudet illum vrna, & ſplendor eius vt lux luceat.

Pro Exequijs alicuius ex Doctoribus Eccleſiæ.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eos.

Educatio filiorum maximè curæ eſſe debet, & vt optimis Præceptoribus tradantur opus eſt. L. 2. T. 2. C. 2. n. 17. p. 425.

Optimi Præceptores ſunt Eccleſiæ S. Doctores, quibus traditi ſunt filij, ſcilicet fideles S. Romanæ Eccleſiæ Matris, ad erudiendum in fide, religione, ſcientiâ, & moribus, ibidem n. 18. priùs tamen in fide, & moribus optimis, quàm in ſcientijs n. 19. Hi ſunt Aquilæ, & Angeli ſecundi ordinis, & ſecundæ Hierarchiæ, Aquilæ quidem, quia accedentes ad Cedrum ſacræ Scripturæ, tollunt medulam Cedri, rectam ſacræ Scripturæ intelligentiam proferunt. Hi ſunt Aquilæ, quæ prouocant ad volandum pullos ſuos, illuminando intellectum, & inflammando voluntatem, n. 21. 22. & 28. eodem Libro. Expandunt prædictæ aquilæ alas ſuas: veritatem ſpeculatiuam, & practicam, n. 27. & ſuper pullos ſuos volitant, ſpargendo lucem & lumen, n. 25. & aſſumunt bonos Chriſtianos, qui delectantur luce, relinquunt autem in tenebris eos, qui odiunt lucem, Hæreticos, Iudæos, Pſeudopoliticos, n. 26.

Non ſolùm autem in vita, ſed in morte ſunt aquilæ, nam mors perſimilis eſt aquilæ, quæ tollit medulam Cedri, animam educit è carcere. Mors expandit alas ſuas, timorem iudicij, & pœnæ, ſeu mortem naturalem, & violentam. Volitat ſuper pullos, ſuper mortales, ſcilicet, & maximè peccatores, qui ſunt pulli mortis, & aſſumit eos, malos quidem ad pœnam, bonos verò ad præmium, dum igitur moriuntur Doctores S. monent pullos ſuos de morte, & aſſumptione illorum, per bona opera in cælum.

Hi quoq; Doctores SS. ſunt Angeli, qui dicuntur Virtutes, quia diſponunt fideles ad ſuſcipiendas illuminationes Diuinas, & ſic inferiores reducunt ad ſuperiores, & dæmones, ne noceant comprimunt, quod propriè eſt Angelorum, qui vocantur Virtutes. Verè hic noſter defunctus N. Doctor in Theologia, fuit Aquila in vita, & in morte, volitans ſuper pullos Chriſtianos, populos, & eos aſſumens in cœlum, ideò laudet illum

lum vrna, & splendores eius vt lux luceant in æuum.

Pro Exequijs alicuius ex Clero.

Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.

MVltiplicem gradum Cleri esse in Ecclesia Dei, manifestum est, sed præcipuè triplicem insinuat Propheta, duos extremos, & tertium medium. Primus est, incipiendo à minoribus ordinibus, vsq; ad Sacerdotium. Medius est Sacerdotum, Confessorum, ac curatorum, ad quos spectat regimen animarum; & tandem tertius variorum Prælatorum, & Præpositorum, quilibet laude dignus est, sed medius præcipuè. Et Sacerdotum quidem dignitas in magna veneratione semper fuit, etiam apud Gentiles, & Christianos. L. 2. T. 2. C. 3. n. 34. p. 436. soli diffidentes eam odio persequuntur, n. 36. quæ quidem dignitas prouenit ex tribus, scilicet vocatione, vnctione, & potestate, de quibus fusè ibidem. n. 35. 38. 39. 40.

Potestati Sacerdotali adijcitur potestas illa, quâ instituti sunt ad excipienda peccata, & absoluendum, de qua n. 40. 41. 42. 43. Et tandem extenditur, & augetur potestas illa in Clero habente curam animarum, quorum officium & influentia in populum, est septiformis, septem nominibus metaphoricis expressa à S. Scriptura, illi enim sunt architecti, agricolæ, pastores, fideiiussores, medici, speculatores, & duces populi, à n. 44. vsq; ad 48. Ex quibus qualis eorum vita esse debeat, siquidem iuxta documenta Sanctorum. Quantùm pastor præcedit gregem, tantùm vita Sacerdotalis, & directoris animarum, ad æternitatem debet esse sanctior, & sublimior vitâ plebis, tanquàm mensura perfectior eorum, & hoc est quod insinuat Propheta, dum ait, pennæ columbæ deargentatæ: candidi, & lucidi dies, & anni eorum esse debent, quibus vt pennis volare debent ad instar argenti, cauendo ne posteriores dies, mortis scilicet, sint pallidi amore auri materialis ambitionis, aliorumq; vitiorum, sed ignitæ charitatis auro in Deum, & salutem animarum, potestate illis tradita, propter quam assimilantur Angelis, qui vocantur Potestates, n. 37. qualis fuit iste N. vitâ functus est, ideò laudet illum vrna, & splendores eius vt lux luceant.

Pro natali vnius ex Institutoribus Regularium.

Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes, quoniam homines sunt.

PRO varietate complexionis hominum, varij sunt mores illorum, alij sunt boni naturâ, alij consuetudine, alij præceptis, & institutis. Ideò Deus, cuius prouidentia cuncta disposuit, prouidit hominibus legislatores, non solùm illos, de quibus fusè actum est in institutionibus sacris, scilicet timorem, honorem, &c. quibus homo auocatur à peccatis, verùm etiam & illos, qui legibus, præceptis, & Regulis, institutione, normam viuendi præscripserunt.

Et quoniam vltra modum viuendi Eremitarum, Anachoritarum, qui Christum Dominum sequebantur, pro possibili, Regula perfectionis in conscientijs illorum impressa est, & alij modi viuendi ordinati legibus, præceptis, authoritate Summi Pontificis confirmati, à quatuor Regularum

rum institutoribus calamo præscripti, ideò in Ecclesia Dei, quatuor Regulæ à Sanctißimo Papa approbatæ reperiuntur. L. 2. T. 3. C. 1. n. 1. 2. 3. p. 448. quatuor fluminibus ex paradiso irrigantibus, Hierarchiam Ecclesiasticam præsignat. Similiter & visione Ezechielis, præfiguratæ per 4. animalia, vt illustratur ibidem n. 4.

Porrò institutores Regularum assimilantur Angelis, qui dicuntur Principatus, tertij ordinis mediæ Hierarchiæ, qui est non postremus splẽdor illorum, eò, quòd erudiant inferiores, & vltrò, & liberè obediant Potestatibus Superioribus, quod proprium est prædictæ Hierarchiæ, & ordinis Angelorum. Tum aßimilantur item Ducibus exercitus, & inde non minorem habent splendorem, competunt enim illis ea, quæ clarum reddunt ducem, ibidem n. 9.

Sed inter istos licet tempore posterior, perfectione tamen maximus fuit gloriosus Pater noster S. Franciscus, vt fusè illustratur, & deducitur eodem Lib. n. 9. quoniam optimi ducis proprietatibus, & qualitatibus ornatus fuit. Vnde de ipso canitur: Est dux fidus, clarum sydus, ducit, reducit deuia, quod etiam sedulò operatus est, dum luxum in edendo, vestiendo, eundo, &c. per Regulam à se conscriptam composuit. Quare splendores eius vt lux lucent, & lucebunt in perpetuas æternitates.

Pro Exequijs vnius Religiosi.

Meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum.

COmparando statum Religiosorum ad sæcularem, comparando item statum Religiosorum vitam actiuam ad contemplatiuam, Prædicatores ad librorum Scriptores, dubitari potest, quænam sit sors, & pars melior. Vterq; status tam sæcularis, quàm Religiosorum, si in eo rectè vita agatur, est medium opportunum ad salutem, multas tamen ob causas status Religiosorum, est pars melior, tutior, & securior: esto hostes Ecclesiæ id negent, affirmantes Religiosos otiari, quod quàm falsum sit, etiam ex doctrina Arist. insinuatur. L. 2. T. 3. C. 2. n. 18. p. 461. nam etsi etiam sit vituperabile, quies tamen laudabilis est, & multa commoda affert bono publico. Similiter & otium sacrum; nam ex tali otio intelligitur fructus administrationis in illuminando, n. 21. quæ quidem illuminatio est tam per vitam actiuam, quàm per contemplatiuam, ibidem. Nam finis contemplationis est dilectio, dilectionis quies in Deo, quo nihil melius.

Cæterùm, hic Religiosus translatus in quietem æternam, de mente S. Francisci, non solùm contemplationi deditus fuit, sed & actioni, nam egit Signiferum præferens signa vocalia, semiuocalia, & muta: quæ illustrantur loco citato n. 27. his signis ex hominibus mortalibus, faciunt immortales Religiosi, signis quidem vocalibus, prædicatione, quæ quàm sit laboriosa, n. 28. & 29. signis semiuocalibus, doctrinâ, & scriptis in lucem editis, librorum editione, quæ superat prædicationem, & comparatur martyrio; Tandem signis mutis, scilicet bonis exemplis. Sic igitur vitâ actiuâ, & contemplatiuâ hic bonus Religiosus deseruiens orbi Christiano, cui contemplatio dedit perfectionis alas, actio verò coronauit opus, vt habetur loco citato n. 36. Quare laudet illum vrna, & splendores eius vt lux luceant in æuum.

Pro Exequijs vnius Virginis.

Recedite non est puella mortua, sed dormit.

EST tantæ dignitatis Virginitas, vt dignè illam laudare vix possibile sit. L. 2. T. 3.

C. 3. n. 37. p. 475. *Hinc Doctores, SS. Virgines assimilant Coronis, floribus, sacrificijs, aromatibus odoriferis, ibidem n. 36. p. 476. quales autem sint hi flores, declaratur ibidem, n. 39. quales item coronæ, n. 40. qualia aromata, quæ odore suaui mundum male olentem impleuerunt, & in Caluariæ monte cor Christi lætificauerunt. Cæterùm, non incongruè etiam comparantur Angelis, quòad puritatem, n. 41. & vigilantiam, ibidem: quin etiam in multis, Angelos superant homines casti, ibidem; præcipuè, quòd castitas Angelorum natura eis competit, hominibus autem virtute, & continuâ cum hostibus, dæmone, & concupiscentia carnis pugna; vigilantia quoq; Angelorum tanta est, quòd cùm sint spiritus, in sacra Scriptura vigiles vocantur; tales debent esse Virgines, debent vigilare, ne claudatur eis ianua, non quidem à Christo, quia ille omnes recipere paratus est; sed ab hoste maligno, vtrâq; manu claudente fores. L. eodem, n. 42. Deinde vt lucernas eorum extinguere laborat, n. 44. sed sic vigilantibus mors, non est mors, sed vmbra mortis, n. 43. ita vt de illis dici possit,* Non est mortua, sed dormit, *quia viuens, sic se gessit, acsi mortua esset mundo, n. 44. ideò quoq; moriens viuit, & dormit somno paulò diuturniore, quàm esse solet somnus communis. Quare* splendor eius vt lux luceat.

Pro Exequijs Viduæ.

Viduas honora, quæ veræ viduæ sunt.

P*Otiori quidem ratione Virginalis status, ad Ecclesiasticum statum, & protectionem spectat, nihilominus & status Vidualis, à tanto fauore minimè excludendus est, & ille quidem ob puritatem, & vigilantiam Angelis assimilatur, hic autem, scilicet Vidualis, ob pietatem. L. 11. T. 3. C. 4. n. 46. p. 482. Porrò pietas Angelorum erga genus humanum, est tanta, vt longum sit eam retexere, refertur tamen, ibidem n. 33. & qualiter cum illa certat pietas Vidualis, illustratur. Non sparsim tamen Viduæ pietate certant cum Angelis, sed illæ tantùm, de quibus D. Paulus:* Viduas honora; *siquidem triplex est status Viduarum, bonus, optimus, & nequam, ibidem n. 47. Bonæ, & laudabiles sunt, quæ domus curam habent. Meliores, quæ se seruitio Dei dedicárunt, hæ & illæ partim superant pietate Angelos, partim superantur. Hæ igitur sunt honorandæ à Magistratibus, Iudicibus, nec affligendæ sunt, sub pœna Diuinæ vltionis, inter quas hæc tumulanda collocanda est, quæ longè moribus abfuit à Viduis reprehensibilibus, de quibus ibidem, n. 53.* Laudet igitur eam vrna, & splendores eius vt lux luceant in æuum.

INDEX CONCEPTVVM PRO EXEQVIIS PERSONARVM SÆCVLARIVM.

Pro Exequijs Regis.

Eris corona gloriæ, & diadema Regni in manu Domini.

SOluamus bono Principi stipendia lachrymarum, quia ille soluit stipendium mortis suæ, *dicebat olim D. Ambr. Hoc idem & Respub. dicere potest, migrante bono Principe in alium mundum, quæ semper paternum affectum huius Principis sensit, vt mos est, & esse debet bonis Regibus. L. 1. T. 2. C. 16. n. 106. p. 158. Cùm igitur amisit tam bonum Principem, magnum inde subijt damnum, & tristitiam incurrit, vt habetur ibidem n. 116. Illud*

ſolum ſolatur, quod eſt in manu Dei. Eris corona gloriæ, & diadema regni in manu Domini. *Quippe etſi nomine coronæ, plura intelligi poſſint, præcipuè tamen perſona Regia. L.1. T.2. C.3. n.2. p.64. ſimiliter etſi per manus Dei attributa Diuina intelligantur, præcipuè tamen prouidentia: Eſt igitur, & fuit in manu Dei, in Diuina prouidentia ante aſſumptionem, ad Coronam, & poſt, diſponente illum varijs aduerſitatibus, ſicut corona eſt in manu artificis, quam igne purificat, varijsq́ instrumẽtis percutiendo in formam redigit, & ſplendidam efficit, partim in manu prouidentiæ Dei, conferentis ei hunc dignitatis apicem, ille enim eſt, qui dat Coronas cui vult. Fuit itaq́ in manibus Dei, qui fuit homo, qui fuit Rex Chriſtianus, & tandem deſijt eſſe Rex, quòad omnes iſtos ſtatus fuit in manu Dei, & inprimis in quantum homo, etſi enim pari, vt ſic cum cæteris hominibus quòad conditionem naturæ, mortalis fuerit neceſſitate, & lege, fati mortuus, verùmtamen dum viueret excellentior cæteris hominibus, exſtitit ſplendore extrinſeco & intrinſeco, de quibus L.1. T.2. etiam in quantum homo, extrinſeco quidem, quia Regio ſanguine progenitus, vetuſtate nobilis, nouitate felix.*

Magna autem res eſt priſcâ nobilitate ſplendeſcere, Auos, Atauosq́ numerare Reges, & longo Imperatorum cenſeri ſanguine; ſed nec minor ſplendor extrinſecus, nouitate virtutum, & heroicarum actionum fulgere L.1. T.2. C.6. per totum; auget extrinſecum ſplendorem generoſitas vultus. L.1. T.2. C.4. per totum. Capillamentis ſolaris decor, ibidem C.6. p.93. Quinq́ ſenſuum vigor, eodem C.6. 7. 8. 9. 10. Capitis fulgor, L.1. T.2. C.3. per totum.

Quod ſi ſplendorem intrinſecum intueamur, certè etiam, vt homo cæteros homines Diuina prouidentia ſuperauit parente ſapientiæ, ingenio, quia ex nobiliſſimo ſanguine geniti, cæteris ingenio communiter præſtant. Nobiliſſima ſponſa ſapientia gaudebat, quomodocunq́ ſumatur, ſiue pro ſcientia, ſiue pro prudentia, ſiue pro politica doctrina, &c. ibid. C.11. per totum. Adijciebant ſplendorem Aulici, Cubicularij, Officiales, miniſtri ſapientiæ, qui Reges etiam vt homines communiter ſequuntur, eodem Lib. Cap.12. n.80. p.131.

Neq́ ſolùm in quantum homo, verùmetiam vt Rex fuit in manu, & ſpeciali prouidentia Dei, dum ipſum dignatus eſt Coronâ, quæ nulli Principum, niſi ſolis Regibus conceditur. L.2. Auget prouidentiam, quòd ei Coronam contulit, tanquam bene merito, neq́ enim decet coronam capiti imponere, niſi meritis præcedentibus. L.1. T.2. C.14. n.94. p.145. Nec qualemcunq́ coronam, ſed diadema Regium, virtutibus ornatum, & tanquam gemmis ſplendentem, quæ (vt inquit Cicero) ſunt labor, fortitudo, induſtria, clementia. Hæ ſunt, inquit, virtutes Imperatoriæ, labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, clementia in humanis. Et vt cùm ſacris loquamur viſione Ezechielis, qui dicit ſe vidiſſe quatuor animalia, & quatuor facies vni. L.1. T.2. C.4. n.35. & 36. p.79. Accedunt & alia, quibus actiones Regiæ ſplendent, & coronam eius cõdecorant, de quibus L.1. T.2. C.22. n.21. p.20. Eundem tanquam Regem, dignatus eſt annulo tribus gemmis ſplendente, quibus exprimuntur obligationes Regiæ, dilectio ſubditorum, hoſtium domeſticorum, & extraneorum compreſſio, & vbertatis prouiſio. Iam verò ſi comparetur ad alios Reges ethnicos, omninò fatendum eſt, etiam ipſum fuiſſe in manu Dei, & prouidentia ſpeciali. Ita enim ipſum diſpoſuit, vt nihil attentauerit, niſi in quo placere poſſit Deo, cuius præſentiam in omnibus actionibus ſuis venerabatur. Orationibus ſemper deditus, fide Chriſtianâ inſtructus, quâ carent ethnici. Hinc in negotijs regiminis Deus illi

ſemper opitulabatur, cuius auxiliatricem manũ experiebatur. L. 1. T. 2. C. 15. n. 99. p. 149. Et quod maximum eſt, ethnicorum Regum coronæ vnà cum vita pereunt, Chriſtianorum verò nunquam ex capite eorum decidunt, ſed manu tenentur à Deo, in vita, & morte. Vnde etiam poſtquam deſierint eſſe Reges per mortem, non ſpoliantur coronâ, ſed coronâ gloriæ ornantur, quod erat vltimo loco declarandum. Verùm credibile eſt, quòd Rex noſter ſicut moriturus vixit, ita mortuus viuit, coronatus coronâ glorioſâ, ſanctitatis, & perẽnis vitæ ſuperiori loco, & lumine, quàm cæteri homines collocatus. L. 1. ſicut ſpecialiter fuit à Deo dilectus, & fauoribus ornatus.

Pro Exequijs Senatoris.

Num ignoratis, quomodo Princeps & maximus cecidit hodie in Iſraël.

OMnes in vniuerſum conſiliarij prudentes, *magis ſunt neceſſarij Regibus, quàm multa pecunia, & auri pondera magna, nec ſolùm attendendum ad bonitatem Senatorum, ſed & ad numerum. L. 1. T. 3. C. 1. n. 1. & ſequen. p. 223. Neq; ſolùm ſæculares, & ſpirituales conſiliarij Regibus neceſſarij ſunt, ſed etiam priuati, exemplo Chriſti Domini, ibidem n. 5. 6. 7. 8. 9. Item conſiliarij mortui, & iſti vel maximè ſunt neceſſarij, quia in pluribus Reges rectè inſtituunt, n. 10. & 11. Cæterùm, conſiliarij Senatores, qui ſunt viri Principes, adeò neceſſarij ſunt, vt ſine ipſis Imperium videatur cæcum, ipſi enim ſunt oculi, & lumina Reipub. ſiquidem ordo, & ſtatus Senatorum genuinus, ſcilicet Eccleſiaſticorum, & ſæcularium, rectam imperandi formam conſilijs rectis manifeſtant. ibidem n. 1. & 8. Horum requiſita ad duo puncta reduci poſſunt, eſto Politici plura requirant, n. 14. 15. & 17. Hi ſunt luminaria, neq; ſolùm ſunt luminaria, ſed & fulcra Regnorum, per quæ fides Catholica firmatur, & conſeruatur, n. 18. & 19. fulcra ſplendidiſſima.*

Porrò ſplendores Senatorum ex dignitate, & habilitate, bonitate, ac eruditione colliguntur, ibid. n. 13. 15. & 16. Item ex acceſſorijs perfectus ſplendor eorum eluceſcit, & non poſtremus ex nomenclatura, ibid. n. 12. Senatoriæ dignitatis; deducitur autem nomen Senatoris à ſenectute, corona autem dignitatis ſenectus, quæ etſi præcipuè ſenectuti, ac diuturnitati annorum competat, quadrat tamen etiam ſenectuti virtutis, ſicut enim corona Regum non tam eſt pretioſa ex auro, quàm ex virtutibus, ita & ſenectutis corona eſt ex virtutibus. Ex quibus concluditur Senatorem, Principem maximum, dignitate, authoritate, potentiâ, & prudentiâ ſublatum eſſe, qui vt ſidus terreſtre lucebat, ſunt enim Senatores veluti id, quod aſtra in cœlo lucidiſſima. Et Regnum quidem perſimile eſt firmamento, Senatores ſideribus; qualia verò prædicta ſidera eſſe debeant, luminoſa, & virtuoſa. L. 1. T. 3. C. 1. n. 16. p. 233.

Quòd cùm adeò ſplendidi, & dignitate ſublimes ſint Senatores, impoſſibile videtur, quòd cùm cadunt, vel potiùs deſcendunt in ſepulchra, vel aſcendunt in cœlum, obſcurentur, & ignorentur eorum deſcenſus in ſepulchra, & non potiùs vt fulcra domus ſapientiæ laudibus celebrentur, illi enim firmârunt Regna, & verâm in Regnis religionem tutati ſunt. L. 2. T. 3. C. 1. n. 11. p. 457. Quid igitur hoc loco de N. Senatore ampliſſimo dicam, percurrenda omninò, quæ dicta ſunt de Senatoribus, & illa applicanda, ipſum verò laudet vrna, & ſplendores eius vt lux luceant.

Pro Exequijs Iudicum, & Tribunaliſtarum.

Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terrã.

A Iuſtitia deducitur nomen Iudicis, & à laudibus iuſtitiæ Iudicis rectè ſplendor laudis emanat. Porrò virtutum omnium Regina Iuſtitia, magnâ dilectione & obſeruantiâ digna eſt, ob rationes, de quibus L. 1. T. 3. C. 2. n. 23. p. 238. & fuſiùs n. 37. & 38. p. 247. vbi quare iuſtitia vocatur ſanctitas. Ex dictis ibi facilè intelligitur, quid ſit iuſtitia, & quàm latè patet, & quòd ad omnes actiones priuatas, & publicas ſe extendat. Et primum quidem, ſcilicet, quid ſit iuſtitia, ſubtiliter deducitur ex nomenclatura loco citato, n. 35. & 37. Secundum verò, ex diuiſione iuſtitiæ, de qua n. 36. Porrò effectus iuſtitiæ ſunt innumeri, nam hæc honores dignis, hæc præmia meritis, hæc coronas immortalitatis gloriæ largitur fortibus, hæc bella definit, hæc pacem moderatur, hæc Principem intra præſcriptos regiminis cancellos, hæc ſubditos in officio, ſocios in fide continet, hæc ſontes punit, innocentes abſoluit, pellit latrocinia, Regna conſeruat, Principes & Reges inſerit. Sed præcipuè Iudices, inter quos primus eſt Rex, deinde Tribunaliſtæ, & tandem miniſtri Iudicij, ibid. n. 23. 24. & 30. Hinc illis à ſacra Scriptura omnis decor, locus ſublimis, ſplendor veſtium, ac authoritas promittitur. Circumda tibi (*inquit*) decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtibus; *ſub hac tamen conditione, ſi in iudicando imitentur Chriſtum Dominum, de quo ibid. n. 24. ita vt iudicium illorum, quale ſit ex ſimulachro recti Iudicij Chriſti Domini, intelligi poteſt, de quo n. 27. Et quia talis fuit hic* N. *qui in alium mundum migrauit, ideò ſicut Iudices cæteros locus, veſtes ſpecioſæ, & omnis honor decet, præcipuè vt in corpore Politico, locum & fortitudinem brachiorum obtineant, de quo n. 29. ita huic prædicta in cœlo exoptare iuſtum eſt. Quòd ſi Iudices per oppoſitum Deum & Chriſtum in iudicando imitari negligant, ſi pro buccella panis iuſtitiam vendiderint, n. 34. ſi item non ſatis procurauerint, vt miniſtros iudiciorum, ſcribas, cauſidicos, &c. bonos, & doctos habeant, ne ſint auari, & ignorantes, tantis præmijs indigni iudicabuntur, n. 31. At hic* N. *cuius exequias celebramus, id præcipuè præ oculis ſemper habuit, & ſummopere iuſtitiam diligebat iudicans terram, ideò* laudet illum vrna, & ſplendores eius vt lux luceant in æuum.

Pro Exequijs Aulici virtuoſi.

Ero in gloriam in medio eorum.

NON *eſt dubium, quòd bonus Rex ſit in gloriam, & ſplendorem Aulicorum, vt autem aulici ſint in gloriam Regibus, duo præcipuè neceſſaria ſunt: vt ſint boni, & eruditi. Bonitas autem requirit, ne ſint vitioſi, & vituperabiles vitijs, quæ enumerantur L. 2. T. 2. C. 5. n. 40. vſq; ad 42. excluſiuè, p. 86. item vt ſint eruditi, n. 48. Deinde, vt ſint virtuoſi, & ſplendidi ſplendore extrinſeco, quem quidem in aulicis ſuis minùs curat maieſtas Diuina, ſed maieſtas terrena requirit, ibidem. Et ſplendore intrinſeco, qui eſt ex ornatu virtutum, inter quas prima eſt pietas, hæc præcipuè eſt præcipuum aulicorum ornamentum, & ſplendor, ibid. n. 43. & in particulari amor in Deum. Deinde amor in Regem, n. 45. hic in quo conſiſtat, n. 46.*

Vlteriùs vigilantia, & ſedulitas in procuranda propria ſalute. Amor in proximum, in quo conſiſtit, n. 47. Deniq; mortis meditatio ſæpiùs reuoluenda, quia inde eruditio prouenit omnium magiſtratuum, officialium, n. 49. & 50. & maximè aulicorum, inter quos hic, qui de præſenti ſæculo migrauit, non poſtremus, fuit vir bonus, eruditus, virtuoſus, ſplendidus vtroq; item fulgore extrin-

extrinseco, & intrinseco, amans bonum communis honoris Domini sui, vigilans, & vltimum finem proprium continuò reuoluens, ideò credibile est, quòd inter cœlestes Aulicos, in lumine collocatus sit, cuius splendores vt lux luceant in æuum.

Pro Exequijs Militis strenui.

Militia est vita hominis super terram.

NEcessarios esse milites in Repub. vel ex eo colligitur, quòd bellica inuincibilitas, & Regnorum firmitas in eis consistit. L. 1. T. 3. C. 4. à n. 52. vsq; ad 56. p. 250.

Sunt autem inuincibiles si adorant Christum, illusoriam adorationem militum in passione, conuertendo in Religiosorum deuotionem. L. 1. T. 1. C. 2. n. 10. p. 12. *Si sunt præditi robore corporis, & animi. Corporis quidem, si manus robustas habent, dextram & sinistram, sic enim robur militum ad manus in corpore Politico comparatur,* ibid. n. 57. *Animi verò, si voluptates contemnant,* n. 64. *& mortem non formidant,* ibid. n. 58. *Et quia Deus non solùm docet manus militum ad bellum, sed etiam digitos illorum ad prælium, ideò etiam robur digitorum manuum militum, fusè explicatur* n. 57. *Et manus quidē dextræ digiti sunt: Frugalitas castralis, modestia in vestitu, magnitudo animi in despiciendis delicijs, frænum à vitijs, moderata cupiditas prædæ. Manus verò sinistræ quidnam sit? explicatur* n. 63. *nimirùm Æmulatio, de qua Starowolscius, hostium contemptus, spes victoriæ, religionis memoria, & ipsius virtutis. Super omnia robustos, & strenuos milites facit, si sint muniti bonâ conscientiâ. Hæc de militibus corporalibus exaranda sunt, sed milites spirituales maiori laude digni sunt.* L. 1. T. 3. C. 4. n. 62. p. 263.

Hic miles defunctus, militans pro inuincibilitate Reipub. strenuè egit, robustus corpore & animo, cuius manus Deus, & digitos manuum ducebat ad bellum, munitus militiâ spirituali, & bonitate conscientiæ condecoratus, martyrij meritum, vt credibile est, obtinuit; ideò splendores eius, vt lux luceant in æuum.

Pro Exequijs Magistri & Gymnasiarchæ celeberrimi.

Moritur doctus & indoctus.

INter doctum & indoctum, est differentia talis, qualis inter cadauer, & corpus viuum, quippe anima hominis est sapientia, quæ inter alia id operatur, vt homo sapiens, alios sapientes facere, & erudire valeat, iuxta illud Salomonis: In corde sapientis requiescit sapientia, & indoctos quosq; erudiet. *Vnde satis agrestes fuerunt illi Reges, & Principes, qui sapientiam à Regnis exulare conabantur.* L. 1. T. 3. C. 5. n. 70. p. 231. *è conuerso multùm laudabiles, qui fouebant sapientes,* n. 72. *Siquidem nullus naturâ sapiens,* n. 73. *ideoq; Christus Dominus magistros ordinauit, modum docendi præscripsit, & materiam subministrauit,* n. 75. *In qua noster vitâ functus Gymnasiarcha, plurimos erudiuit, & præcipuè in pietate, & scientia colendi Deum,* n. 77. *In eloquentia,* 78. *in Politica,* 78. *in gubernatione suijpsius, & arte vincendi hostes animæ,* n. 79. *& eos in his omnibus fecit consummatos,* n. 81. *Atq; in particulari in scientia saluandi animam, seu scientia per ignorantiam,* à n. 82. *vsq; in finem Capitis. Quare etsi doctus & indoctus, in oculo corporeo moriantur, tamen fides docet, quòd sicut in vita, ita & in morte magna differentia est, inter doctum & indoctum, maximè in scientia saluandi animam, in quo fuit eruditus*

ditus hic noſter N. *Gymnaſiarcha, ideò* laudet illum vrna, *maximè quia* in corde eius requieuit ſapientia.

Pro Exequijs viri nobilis.

Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem.

NObiles, plus cæteris Deo ſunt chari. L. 1. T. 3. C. 6. n. 84. p. 282. *Eſt etiam in magna veneratione apud homines, & quam ob cauſam? ibidem n. 85. dubitant tamen Politici, quales Nobiles promouendi ſunt ad Magiſtratus, & dignitates, num nobiles ſanguine? an verò nobiles vetuſtate? an nouitate felices, ac propriâ virtute? n. 86. & 87. Deciditur difficultas n. 88. Reipub. etiam nobilitas cara eſt, quia robur exercitus in prælio corporali, eſt nobilitas, n. 90. Cùm igitur nobilitas ſit in tanto valore, & honore apud Deum, & tam neceſſaria Reipub. maximè procurandum eſt, ne nobiles deſcendant in corruptionem perſonæ, n. 93. In corruptionem morum, n. 92. & 97. ideòq́; bonus Princeps exceſſibus nobilitatis obuiare debet, n. 98. quia magna infelicitas Regni, vbi de nobilitate triumphant vitia, n. 97.*

Cæterùm, nobilitas vera nunquam deſcendet in corruptionem, ſed maximè in morte eluceſcit, n. 99. Nobiliſſimus fuit hic noſter nobilis N. *Deo charus, & Reipub. neceſſarius, pro qua ſtrenuè pugnauit, ideò* laudet illum vrna, & ſplendores eius vt lux luceant. *Neq́; enim ſolùm fuit nobilis ſanguine, ſed & virtute, ac ſanctitate, cuius nobilitatis diſtinctio Lib. eodem n. 86. 91. & ſequentibus habetur.*

Pro Exequijs viri opulenti.

Corona ſapientum diuitiæ eorum.

ORnamento magno ſunt diuitiæ ſapientibus, ſicut & ſapientia diuitibus; *diuitijs enim merentur nobiles, vt ſint ciues Reipub. & ſine diuitijs Reſpub. conſiſtere non poteſt pace, & bello, quoniam opes, ſunt inſtrumenta bellorum, & neruus. L. 1. T. 3. C. 7. n. 102. p. 294. Neq́; tamen diuitiæ, debent eſſe finis vltimus viri opulenti Chriſtiani, n. 106. ſed modus & animus in abundantia opum ſeruandus eſt, n. 102. etſi enim poſſeſſio diuitiarum non ſit mala, vſus tamen & acquiſitio mala eſſe poſſunt, n. 105. poſſunt enim diuitiæ, ſeu acquiſitio diuitiarum, imò & vſus earum, eſſe laudabilis, & vituperabilis, n. 107. nam ſi diuitiæ rectè diſponantur, ex amore in Deum, & Rempub. pro defenſione fidei, &c. rectus diuitiarum eſt vſus, quia tunc reponuntur diuitiæ in manus Dei, n. 108. & 109. quæ in die mala liberant hominem, n. 112. Cæterùm, amare diuitias propter ſe, eſt hominis parui animi: amare autem diuitias ſpirituales, laudabile eſt, quia & quoad acquiſitionem, & vſum, ſemper ſunt abſq́; vituperio, licet enim etiam vſuram ſpiritualem à Deo accipere, iuxta illud D. Pauli:* Mihi viuere Chriſtus eſt, mori lucrum, *vt ſi quis in gratiam proximi, cogitur degere in hoc mundo, ceſſat lucrum præmij cœleſtis, vnde vſura creſcit.*

Sunt etiam laudabiles opes ſpirituales, quoad vſum, quia his firmatur homo, ideò in homine comparantur arterijs, ſicut diuitiæ naturales venis, artificiales verò neruis, n. 103. Coronatus diuitijs noſter opulentus, deceſſit & naturalibus, & ſpiritualibus, ideòq́; laudet illum vrna, *quòd rectè diuitias acquiſierit, eaſq́; diſpenſauerit, &c.* & ſplendores eius vt lux, *&c.*

Pro Exequijs vnius terrigenæ, ſiue nobilis agricolæ.

Quiq́; terrigenæ, & filij hominum ſimul in vnum diues & pauper.

Omni

OMni laude agricultura digna eſt, & ex antiquitate, atq; alijs ſplendoribus, laudibus effertur L. 1. T. 3. C. 8. n. 114. 115. & 120. p. 303. maximè agricolæ nobiles, qui arma portant, hi enim vbertatem n. 119. & victoriam Regnis parant, ac libertatis antiquæ defenſores, qui ſuſtentant Regna, vt pedes corpus humanū, 1. n. 123.

Neq; tamen contemnendi ſunt agricolæ agreſtes, qui etſi inter ciues Reipub. non computentur, n. 124. p. 311. nec olim ad bella aſſumebantur, n. 118. maximè in Regno Poloniæ vno Piaſto, vel altero excepto, qui etiam ad Imperium aſſumptus fuit, & hoc miraculosè, ibidem; non ſunt tamen vilipendendi, nec contemnendi, vel malè tractandi, vt fieri ſolet his temporibus in Polonia, ſed potiùs in egeſtate ſubleuandi, & exactionibus non moleſtandi, nec crudelitatis notam incurrant, qui talia agunt, & vindictam Dei ſentiant, qualem ſenſit Regnum Poloniæ Anno 1648. à ruſticis Kozacis attritum. De hoc mundo migrauit hic N. Laudet vrna hunc terrigenam, qui mitis erat ingenij, & robuſtus agricola arma portans, villanos, & agreſtes humaniter tractauit, & in egeſtate ſubleuabat, ideóq; laudet illum vrna, & ſplendores eius vt lux luceāt in æuum.

Pro Exequijs Mercatoris.

Negotiamini dum venio.

NEgotiatio ſiue mercatura, adeò neceſſaria eſt Reipub. vt ſine ipſa Regnum vel Reſpub. congruè conſiſtere non poſſit, etſi enim mercatores non ſint ciues vel partes Reipub. ſequuntur tamen Rempub. vt vmbra corpus, nec qualiſcunq; vmbra, ſed vtilis. L. 1. T. 4. C. 1. n. 1. p. 325. quanquam non omnes mercaturæ ſunt laudabiles, ſaltem corporales; nam vſura eſt perniitioſa Reipub. fænebris negotiatio, Colybiſtica ſeu Campſoria, quandoq; laudabilis, quandoq; vituperabilis, ibidem, n. 2. & 3. Mercatura autem ſpiritualis vtiliſſima eſt, hanc præcepit Chriſtus, dicens: Negotiamini dum venio, & ex illa lucra ſunt quærenda, ſiquidem non ſunt nociua, ſicut lucra temporalia nociua eſſe poſſunt, ibidem n. 5. & 6. Si immoderatè, & iniuſtè tractentur, n. 7. Vt verò mercatura ſit iuſta, conditiones mercaturæ, quæ ipſam iuſtificant, & laudabilem reddunt, obſeruandæ ſunt, & requiruntur, vt ſint vtiles Reipub. n. 8. & 9. p. 331. Hoc obſeruauit hic N. ideò laudet illum vrna in æuum.

Pro Exequijs Medici.

Honora medicum propter neceſſitatem.

ETſi medici ex ſententia quorundam, non cōputentur inter Ordines Regni, tamen vt habetur L. 1. T. 3. C. 9. n. 125. p. 312. computandi videntur, ibidem. Et quia medicina ſuperat cæteras artes origine, medijs, & fine, n. 127. & quia Altiſſimi præceptum eſt, Honora medicum propter neceſſitatem; ideò creauit duas officinas medicamentorum, n. 128. p. 314. & eis præfectos inſtituit, ſcilicet medicos, ideò valde honorandi ſunt medici. Hoc ipſum inſinuat finis medicinæ, ſcilicet ſanitas, quæ deſiderabilis eſt omnibus, n. 130. p. 315. Item labor in acquirenda perfecta medendi ratione, quæ difficilis eſt obtria, n. 131. & 132. Verùm maiori honore digni ſunt medici ſpirituales, & præfecti medicinarum ſpiritualium, atq; officinarum, quæ autem illæ ſint, habetur n. 141. p. 323.

Cæterùm hic N. Medicus, cùm ei competant illa, quæ in optimo medico requiruntur, dignus eſt, vt illum honoret vrna, tanquam optimum præfectum officinæ, antidotum corporalium.

Pro Exequijs artificis.

Arte ſuâ vſus eſt diligenter.

CVM natura nihil aliud ſit, quàm artis Diuinæ ratio, rebus omnibus ad ſuos fines mouen-

tibus, indita est ars naturæ auriga, ad perficienda opera, vel rationis, vt sunt artes liberales, vel corporis, vt sũt mechanicæ, ideóq; primus artifex est Deus, & Verbum incarnatũ, tandem animarũ in ordine ad operationes, vtens potentijs vt instrumẽtis. L. 1. T. 4. C. 2. n. 11. 12. & 13. p. 334.

Reges quoq; potẽtissimi, artifices dicũtur à sacris, & Politicis. Ars artium est regere populũ, ibidẽ.

Ideò artifices laude digni sunt, & ex modo operandi non mediocrem habent laudem, operantur enim ad eum modum, quo operatur Deus, n. 15. p. 337. Priùs enim arefactâ mente concipiunt, ac deinde in effectum producunt: quod etiam in Deo reperitur, si sunt fideles, industrij, laboriosi, fugientes otia, n. 17. hi etsi non computentur inter Ordines Regni, n. 12. sunt tamen valde necessarij Reipub. n. 14. maximẽ qui diligenter vtuntur arte suá, quippe ditari possunt ex seipsis, iuxta illud commune eloquium: Satis diues, si ex arte viues. *Sicut è contra egestatem operata est manus remissa etiam Reipub. n. 14. p. 336. Hic N. artifex cùm industrius, fidelis, & laboriosus, arte suâ vsus diligenter fuerit,* laudet illum vrna.

Pro Exequijs alicuius serui.

Magnus & paruus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo.

MVltiplex est magnitudo seu Principatus, & ei correspondens seruitus. L. 1. T. 4. C. 3. n. 20. p. 341. Seruitus item multiplex est, n. 21. Omnes tamen tam magni, quàm diuersi serui erunt, vbi meruerunt, scilicet in cœlo: non est quòd lamententur Atheistæ de Deo, quòd alios voluerint esse magnos, alios liberos, alios seruos, ibidem n. 23. 24. Imò serui siue seruitute vltroneá, siue legali, siue conductitiá, si sua munia debitè obeant, maiores habent merendi occasiones, & postulandi à Deo libertatem æternam, ibidem n. 25. maximè quia in præsenti vita sunt sub obedientia serui Dominorum, & obedientia est nobile martyrium, ac affixio cruci, ibidem n. 26. Quòd si serui cum debito timore (qui triplex est) deseruiunt Dominis suis, absq; dubio ibi erunt serui, scilicet in cœlo, laboribus addicti. Labor enim etiam inter splendores seruorum computatur, ibidem n. 28. Hic noster N. *seruus, cùm obseruauerit ea, quæ seruorum sunt,* laudet illum vrna, *& ibi collocetur, vbi & magni fruuntur Deo.*

Pro Exequijs Patrisfamilias, seu Oeconomi.

DVO sunt, quibus attendere debet Paterfamilias, seu Oeconomus, ad regimen domus, & sufficientiam necessariorum in domo. Et regimen quidem domus, vt rectum sit, coniugem rectè instituat oportet, prolem educat benè, item disponat ordinatè familiam, ac seruos; hæc quippe sunt, ad quæ se extendit potestas œconomica, quæ est triplex: Coniugalis, Paterna, & Herilis. L. 1. T. 4. C. 4. n. 31. p. 350. Has potestates moderatè exercere debet, & diligenter attendere, ad quid obligetur in potestate coniugali, n. 31. item ad quid in paterna, ibidem; tandem ad quid in herili, n. 35. p. 352. Aliud quod œconomia requirit est, prouidere sufficientiam, quæ fit pecuniarum acquisitione, & vsu, qualis autem acquisitio esse debeat, vt sit iusta, dicitur n. 36. vsus itẽ qualis, n. 38. Seruorum quoq; semper rationem habere debent Domini, vt sint fideles, ibid. n. 35. Neq; tamen in tanta domus occupatione, postponere debent opes spirituales, & ditari labore spirituali, n. 37. Hic noster N. *Oeconomus, supra dicta omnia obseruauit sagaciter, ideò* laudet illum vrna in æuum.

CAPVT



CAPVT PRIMVM.

Christus Dominus æternus Deus, æterniq; Patris Filius, Rex super omnes Reges terræ; quo fine venerit in mundum carne indutus, illustratur.

GLoriosum atq; adeò eminens esse nomen Regis, vt soli DEO propriè tribuendum sit, & sacræ literæ & Philosophorum dogmata asserunt: *Quoniam magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos*, inquit Propheta. *Psal. 94.* Vbi Deum esse Regem super omnes Reges affirmat, cùm dicit (*super omnes Deos*) Deos pro Regibus positos, vel hinc intelligimus quod septuaginta Interpretes habent, *Rex magnus super omnem terram*: vt sic Deos Reges terræ dictos intelligamus. Philosophus quoque in libris Ethicorum solum Deum propriè Regem esse docet. *Lib. Ethic. cap. 10.* *Non est*, inquit, *Rex, nisi sit ex se sufficiens, & bonus omnibus antecellat; talis autem nullius rei indiget, non ergo suas ipse, sed eorum, qui reguntur, vtilitates considerat.*

Competere tamen Regis nomen, etiam Regibus terræ, sed tanquam Vicarijs Dei & Imaginibus animatis ipsius Dei, certum est. *Rex est imago animata Dei*, (inquit Seneca) *ideòq; simili quadam veneratione haberi, simileq; munus in terris exercere Reges, vel consequens inde est, atq; Deum in regendo referre, ideòq; & Reges dici debent*: Rex enim à rectè regendo, dicitur. I.

Rex est animata Imago Dei.

His tamen sic positis, solum Christum Regem, propriè atque eminenter dictum prædicat Christianitas; illudque vt fide certum credendum proponit; siquidem ille solus est sibi sufficiens, ille bonis omnibus antecellit, ille nullius rei indiget, sed omnia in commodum gregis sui considerat, & dirigit. *Rex* (inquit Aristoteles) *cùm sit bonus, diligentiam subditorum habet, quò benè sese habeant, vt ouium pastor*; *Aristoteles.* disputatq;: An beneficiorum magnitudine superet paternum amorem, quòd essendi causâ enutritionis ac eruditionis, pater sit? Cùm tamen causâ essendi enutritionis & eruditionis Christianæ CHRISTVS sit, ille Rex, Pastor, atque Pater noster est; & hæc quidem certa sunt: Nimirùm quòd CHRISTVS sit Rex eminentior Regibus terræ. 2.

Christi Regnum est perfectius Regnis terrenis.

Certum item est, regnum eius longè perfectius esse omnibus regnis terrenis; Reges terræ imperant regnis corruptibilibus, hic Rex CHRISTVS imperat & his, & Spiritibus cœlestibus, atque animabus immorta-

libus. Homines reguntur Principatu Politico à Principibus ad fouenda bona temporalia, Chriſtus Dominus Principatu Hierarchio, quo fouentur bona gratuita, & temporalia ordinantur ad Cæleſtia vt fuſius infra. Siquidem hoc eſt præcipuum in quo Principes Chriſtiani Chriſtum Dominum imitari tenentur, atque ideo id vel maximè hoc opus inſinuabit Principibus, cæteriſque, qui bona terrena tuenda, atque amplianda ſuſcipiunt: *Regnum eius & Regnum omnium ſæculorum*, & dominatur non ſolùm his, quæ ſunt, vel fuerunt, ſed etiam vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. Præterea regnum terrenum gubernatur legibus, & fieri poteſt, quòd prudentes Legiſlatores præſentent, & præſcribant regnis leges perfectas, ſed vires ad obſeruandas leges conferre non poſſunt. Chriſtus autem ſubiectis regno ſuo, ſubſidia ad obſeruandum confert, cor & animum inclinat, atque proprio exemplo prouocat ad earum obſeruantiam: Regna terrena defenduntur ab inimicis viſibilibus, & maximè à morte temporali, à Regibus, etiam cum periculo vitæ, aut detrimento ſanitatis, ille autem poſuit de facto vitam pro ouibus ſuis. Hæc certa ſunt. id de quo certant Theologi eſt, An Chriſtus Dominus ſit Rex generatione Diuinâ vel voluntate humanâ? An ſit Rex natus, vel datus, vel Diuinâ voluntate conſtitutus? An ſit Rex non ſolùm in ſpiritualibus, ſed & temporalibus, & vſum earum habuerit?

Pſalm. 144. num. 13.

Regiam poteſtatem Chriſtum Dominum non accepiſſe ab hominibus euidens eſt, ſi quidem cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent homines vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus, cùm enim ipſe ſit eminentior cunctis Regibus; minus decens erat, vt voluntate hominum eſſet Rex, atque ita nec ſucceſſione, neq; electione humanâ fuit Rex: fuit igitur Rex voluntate Diuinâ, neque tamen eo pacto, quo Reges terræ fatentur ſe Dei gratiâ eſſe Reges, etſi enim Deus dat Regna Regibus, quos diligit, illis qui cum ſapientia inhabitant, & nemo cum ſapientia inhabitat niſi qui Deum ſcit, (cuius gratiâ Rex eſt) colere & venerari eum inquam, cuius gratiâ ſemper felix, & auguſtus regnat. Nihilominus tamen longè aliter Chriſtus eſt Rex Dei voluntate, & Regia dignitas diuersâ ratione confertur à Deo Chriſto, quàm alijs Regibus, non ſolùm ſecundùm Diuinitatem, ſed & ſecundùm humanitatem, nimirum vnione hypoſtaticâ, ſeu aſſumptione naturæ humanæ ad verbum, vt iam dicetur: *Inde eſt Imperator, vnde & homo. Inde poteſtas illi, vnde & Spiritus*, inquit Tertullianus de Regibus terræ, inde quoque & Imperium Chriſti, ſed multò aliter.

Tertullianus in Apologet. 30.

Et licèt Chriſtus ſit naturalis Rex omnium vt Deus, non tamen repugnat, quòd etiam vt homo, Deo donante, illud habeat (vt inquit Chryſol.)

Chryſologus.

Putas

Putas (inquit) quòd honorem à Deo dedignatur accipere, qui ab hominibus tantas accepit iniurias, aut existimas quòd conferri sibi Regnum à Patre fastidit, qui ab inimicis pœnas, mortemque suscepit? Si enim à Patre accepit substantiam & communicatam essentiam; cur & regnum accipere non potuit? Accepit igitur regnum à Patre, & generatione æternâ vt Deus, & donatione atque voluntate Diuinâ vt homo, vterq; modus accipiendi competit Christo, quod iam paulò fusiùs illustrandum est. 3.

Christus Dominus Rex Natiuitate & Diuinâ, non humanâ voluntate.

Accepit dignitatem & potestatem Regiam vt Natus, cùm enim præpotens Deus sit Rex vniuersorum, cùm in multis, tum etiam in eo superat Reges terrenos, quòd illud Imperium habet à natura propria, cùm sit omnium rerum principium & vltimus finis. Superat & in eo, commune est Regibus terræ, quod abhorreant socium Imperij. Alexander Magnus vnum solum Imperatorem esse debere indicauit, vnum solem in mundo aspiciens, cui fauet Philosophus dicens: *Rerum natura malè administrari non vult, & multorum Principatus non est vtilis.* Aristoteles. Vnus ergo Princeps, vnde, quos vnum cepit vteri hospitium, hos vnum non potuit capere Romanum Regnum. Sed limitatio Imperij humani id operatur, cùm verò præpotens Deus sit, infinitæ virtutis & bonitatis, ipsa bonitas requirit quòd consortem regni habeat, est enim bonitas naturâ suâ communicabilis, quæ non est absque tali potestate, qualis ipsa est, scilicet infinita, cui ergo communicat bonitatem vna cum essentia & virtute, eidem communicat potestatem & Regiam dignitatem.

Communicauit autem verbo æterno essentiam & bonitatem, communicauit itaque & Regiam dignitatem, & cùm verbum æternum non sit alius Deus, sed alia tantùm Persona Diuina: hinc non à pluribus Dijs, sed ab vno solis Personis distincto, regitur cœlum & orbis. Et hoc est quod dicit D. Ioannes mystica illa aquila. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum:* Ioan. 1. n. 1. Principium communicationis essentiæ Diuinæ est Pater æternus, in hoc principio erat verbum ita perfectè, vt si Deus crearet Angelum ab æterno, non poterat de eo dici, quòd esset in principio, scilicet in Patre, qui est principium communicationis Diuinæ essentiæ, non enim esset natus, sed productus per creationem; quod reijcit D. Ioan. cùm ait: (*Et Deus erat Verbum, & consequenter Rex & Dominus omnis creaturæ*: Ioan. 1. n. 1. Et inferiùs (inquit D. Ioannes) *Erat lux vera, quæ illuminat &c.* Marsilius. Deus à natura sua illuminosus est, lux vera, lux æterna, de qua Marsilius sic ait: *Deum quæris accipe lumen clarius lumine solis, quantò lumen solis est lucidius tenebris, ad quod si solis lumen comparetur, etiam millies, milliesq; clarius est, vt esse videatur lux vmbra*: Deus itaq; solus est eminentissima lux, ab hac luce Diuina (inquit D. Ioannes) emanauit lux item vera, Filius Dei, tantò splendidior luce creatâ, quantò Deus superat cre-

turam lux Diuina Filius Dei consubstantialis Patri, in splendoribus sanctis genitus, lux imparticipata emanans per generationem à Patre luminum; hanc idem S. Ioannes dicit verbum Diuinum productum à Patre, ob multas rationes, quas breuitatis causâ omitto.

Habet enim se ad Patrem sicut sermo ad mentem, sicut verbum vocale à corde nostro prolatum: sic verbum æternum è corde Patris, in quo Inquilinus erat. Item sicut verbum nostrum scriptum, non sensim syllabatim, sed simul & semel scriptũ, imperfectionib⁹ reiectis, sic verbum Dei est exaratum; quia semel Deus locutus est. Ex his habetur Christum Dominũ esse Regem, Natiuitate, & lucẽ de luce Diuina emanatione & productione.

4. Est item Christus Dominus Diuinâ voluntate.

Quòd verò sit Rex Diuinâ voluntate & non electione vt cæteri Reges, iam dilucidandum est: Cùm enim ex Consistorio æterno Sanctissimæ Trinitatis decretum esset redimendum lapsum naturæ humanæ; filius Dei obtulit satisfactionem pro genere humano, statimque eum fieri hominem vnione hypostaticâ determinatum est, & sic ratione vnionis hypostaticæ datus est mundo Rex, qui tanquam Gigas geminæ substantiæ Diuinæ & humanæ DEVS & HOMO, supremam regalis Imperij dignitatem, partim à natura vt Deus, partim ab vnione naturæ humanæ in hypostasi Diuina obtinuit, atque ex forti & infirmo, æterno & temporali, super totum ordinem Compositorum, Creatorum, resultauit Christus. Mirabile constitutum, in vna Persona Dei & hominis, vt inquit D. August.

Considerandus est (inquit) Christus vt fortis & infirmus: Fortis, *In principio erat verbum, & verbum erat Deus*: quid autem fortius eo, per quem sine labore facta sunt omnia? Vis infirmum nosse? Verbum Caro factum est per vnionem, verbum abbreuiatum est per Passionem: Verbum forte creauit nos, verbum abbreuiatum redemit nos, verbum æternum fecit nos, vt esset quod non erat, verbum abbreuiatum fecit, vt quod erat non periret, vnde obtinuit perfectam potestatem, non solùm in homines, quos redemit, sed etiam in Creaturis terrestres, quæ homini subijciuntur, imò & in cœlestes, quæ ex hominum redemptione non exiguum fructum, & vtilitatem perceperunt.

Itaque Christus Dominus est Rex, & vt natus, cùm enim esset verus & naturalis Dei filius, Paternam debuit obtinere hæreditatem. *Nam si filius, & hæres.* Si enim filij adoptiui dicuntur hæredes Dei, quid naturalis filius? Est ergo Rex natus & datus voluntate Sanctissimæ Trinitatis, quæ illam vnionem & connexionem vtriusq; naturæ in personalitate Diuina operata est, vnde dignitas personæ redundat, ac resultat moraliter in naturam humanam, & maxima potestas. Ideo datus est cum duplici potestate, spirituali, & temporali. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Vbi signum illud

D. Paulus ad Galat. 4. n. 17.

Matth. 28.

illud omnis non distribuit illud pro partibus solius regni, quia id quod sequitur, scilicet in cælo & in terra, distribuit partes regni Christi in communi partes regni cæli & terræ; sed distribuit omnem potestatem, scilicet spiritualem & temporalem, iuxta illud apud D. Ioannem. *Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est*, (id est) omnes species iudicij spiritualis & temporalis. Duas potestates recognoscimus in Christo: Pontificiam & Regalem. Pontificiam; *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, &c.* Regiam quoque. *Dominus Iudex noster, Legifer noster, Dominus Rex noster.* Nam sicut Melchisedech in lege naturæ fuit Rex & Sacerdos, iuxta illud. *Melchisedech Rex salem Sacerdos Dei summi*: & Moyses in lege scripta etiam fuit Sacerdos & Rex, seu Princeps temporalis. Sacerdos, iuxta illud, *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*: vtrumque dicit D. Augustinus fuisse Summos Sacerdotes; & D. Gregorius Nazianzenus ambos fuisse æquè Sacerdotes: Rex verò seu Princeps temporalis, vt patet in tota Exodo, vbi dicitur hanc potestatem à Deo accepisse, & exercuisse. Vnde Philo Hebræus Regem eum vocat. *Hæc est*, (inquit) *vita hic exitus Moysis, Regis, Legislatoris, Pontificis, & Prophetæ.* Et D. Gregorius Nazianzenus proximè citat: *Moyses* (inquit) *Principum Princeps, & Sacerdotum Sacerdos.* Sicut, inquam, Melchisedech in lege naturæ, & Moyses in lege Scripta, vtramq; potestatem Pontificiam & Regiam habuerunt, ita & Christus Dominus in lege gratiæ fuit Rex cum potestate temporali & spirituali.

5. Habuit Christus Dominus vtramq; potestatem spiritualem & temporalem.

Ioan. 5. n. 22. Hebr. 7. n. 26. Isaia 33. n. 22. Hebr. 7. n. 1. Psal. 98. n. 6.

Moyses Principum Princeps, & Sacerdotum Sacerdos, sic & Christus in lege gratiæ.

Hinc est, quòd non recusauit Christus Dominus Titulum, quo Pilatus voluit probare & deducere Cæsari, se in Crucem egisse eum, qui Regnum temporale Israël vsurpabat. Non recusauit item Titulos Regum temporalium proprios, vt iam dicetur. Iam verò quod spectat ad temporalis potestatis vsum, temporalem potestatem exercebat, vt cùm misit *Dæmones in gregem porcorum*, Baal in illis præcipitandum & suffocandum. Item cùm misit Discipulos per aliena. *Sata vellere spicas & manducare*, & cùm *ficulneam maledicendo arefecit*, nam licèt hic actus quatenus miraculosus à potestate spirituali operatrice miraculorum prodierit; tamen quatenus rem alienam dissipabat, à potestate temporali procedebat, tanquam verus temporalium Dominus & possessor: item cùm sibi adduci alienum asellum quo veheretur, imperauit. Ementes & vendentes flagello eiecit de Templo, & eorum effudit æs, & mensas subuertit. Ergo reuerà potestatem habebat temporalem, neque enim hæc solùm, vt spiritualis Dominus, sed etiam vt temporalis exercebat.

Marci 5. n. 13. Lucæ 6. n. 1. Mar. 11. n. 21.

Quod si Christus Dominus magis fuerit vsus potestate spirituali, quàm temporali, non ex eo tamen sequitur quòd non habuerit potestatem directam in bona temporalia, sed solùm, quòd non fuerit vsus hâc potestate,

quia sic sibi placuit, & fini, propter quem venit, magis congruum erat; dixi, directam, quia ideò D. Bernardus constituens discrimen inter Pontificem & Christum Dominum, dicit quòd Pontifex solùm habet dispensationem orbis terrarum in bona temporalia indirectam, Christus autem possessionem directam, aliud itaque est possessio, aliud vsus, vnde & D. Ioannes dicit de ipso, *In propria venit*, & in aliena quidem domo natus est, & in aliena educatus, attentâ voluntate humanâ, non autem voluntate Diuinâ; quia voluntate Diuinâ superioris & excellentioris Ordinis potestatem accepit, in temporalia, & proprietatem habuit, & in propria venit ratione vnionis hypostaticæ. Ex his habetur, quòd licèt non fuerit Rex temporalis, vt sunt Reges terræ, qui sunt Reges successione, vel electione; atque ideò voluntate humanâ: fuit tamen Rex propriè voluntate Diuinâ, quoniam & potestas spiritualis, & temporalis illi data est. Hinc est, quòd, vt tactum est supra, etiam ipsa nomina atq; appellationes Regum ita propriè illi competunt, & in propria significatione, vt omninò non extrahantur ab ea, & in translaticio sensu explicentur, quia ipse Christus, qui solus gloria est & honor, & virtus omnium Regum, huius reuerentiæ, quæ appellationibus Regum exprimitur, participes fecit Reges, quòd enim Reges vocentur Principes, Reges, Imperatores, Domini, Patroni, Iudices, &c. id participatione, & munere Christi Domini habent, ipse enim est Princeps Regum terræ.

Ioann. 1.

6. Qualiter Christus Dominus in propria venit.

Ipse est Rex Regum, & metuendus nimis, ipse Imperator, penes quem summa rerum subiectarum Imperio Christiano est, & summa diuitiarum, atque victoriarum, ipse lex, quòd viuendi modum perfectissimum ipse solus præstitit. Vnde vulgatum verbum: Nouus Rex, noua lex, quoniam eadem causa fuit constituendarum legum, quæ & Regnorum, ipse igitur Imperator, Legislator, & Rex quasi Remex, quod Imperij sui nauim in tutum primus ducat; ipse Imperator, vel quasi impleatur quod eius sit authoritatis, vt quidquid iusserit adimpleatur, & ad modicum verbi nutum ei obediatur, & quidquid postulauerit pro sua reuerentia, ei non denegetur, sed concedatur. Ipse est Dominus quasi Domus vnius (quòd scilicet vniuersum sit quasi vna Domus) Paterfamilias, qui etiam ideò venit in hunc mundum domum vniuersi, & *visitauit eam, oriens ex alto*, vt visitaret leges, mores, & personas, huius domus atque ita vnanimes habitare faceret filios, & vnius moris in domo populos, omnes in Imperio vniuerso, docens exemplo suo, vt Regnorum Præsides ex bene gubernata domo, discant regere Rempub. si volunt appellari Domini: quod tunc erit, si præuaricantes doment, & ad mortem vsque cogant, & dent minas, immò & domanes domando peccatores.

Luc. 1.

Est

Est etiam Christus Dominus quasi dans manus oppressis, & ad maiora euehendo meritos, est quoque Dominus, quasi dans munus subiectis in munificentia, alliciendo ad bonum. 7.

Quam ob causam Christus Dominus appellatur Rex, Imperator, Iudex Dominus Patronus, Pastor.

Tales igitur decet Reges esse vt veri Domini mereantur dici; auertat Deus quòd aliquis Principum dicatur Dominus, quasi dans minus, quàm authoritas & liberalitas eius exposcat.

Ipse quoq; Christus est Iudex, quo nomine appellatur, & quòd Iudex, & quod iudicaturus sit viuos & mortuos. Ille est Magister: *Vos vocatis me* (inquit ad Apostolos) *Magister & Domine, & benè dicitis*, qui in testem & Ducem sapientiæ, atque in Præceptorem populis datus sum: Et tandem ille est omnium Patronus, quasi Pater vnus. Dicitur etiam Pater à patendo, & à patiendo; à patendo quidem, quia per ipsum Christianis patet via ad Deum, à patiendo verò, quia multa pro filijs passus est; & nihilominus ab illis multa patitur, quæ dissimulat & condonat. *Ioan. 13.*

Denique dicitur Pastor: quia propterea venit hic Rex, vt ab eo pasceretur grex, conformiter ad illud, quod dixit Dauid: *Pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* *Psal. 77. n. 72.*

Itaque competunt ei nomina & appellationes Regum principaliùs, quàm ipsis Regibus, quòd non videretur affirmandum, nisi asseratur habuisse Regnum temporale in omnes creaturas, & potestatem propriam Regibus, non acceptam ab hominibus, & voluntate illorum, sed à Deo; atque ita superioris ordinis, & maioris perfectionis, quàm Regna temporalia humana, quæ Reges sortiantur successione vel suffragijs, propter quod dicebat. REGNVM MEVM NON EST DE HOC MVNDO: non est tale, quale habent cæteri Reges, qui gratiâ Christi & hominum regnant, sed Regnum eminens, non humano iure, aut titulo acquisitum, non limitatum circumstantijs; quibus Regna mundi circumscribuntur, sed Regnum etiam temporale de voluntate Patris perfectum & perpetuum, in cælo, & in terra, in Purgatorio, & in inferno, quo etiam extenditur potestas eius, (vt ait Apostolus) In nomine IESV omne genu flectitur Cælestium, terrestrium, & infernorum.

Concludendum itaque est, quòd Christus Dominus sit Rex sibi sufficiens hæreditate, Diuinâ voluntate, bonorum spiritualium & tempotalium, non autem electione humanâ. Nec conuincit oppositum, quod D. Ioannes refert in Apoc. *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magnâ: Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem & Diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & benedictionem.* Hæc enim non fuit electio, sed lætantium acclamatio. *Apoc. 5. n. 12.*

Verùm dicet aliquis, cùm vulgare & vetus dictum sit, & ab Ethnico

Aristo-

Arist. 2 poster. dicit cap. 5. Aristotéle sæpè repetitum est: Omnia fieri propter finem aliquem, ob id inter quatuor quæsita de qualibet re, præcipua sunt, an sit, & propter quid sit, & rectè? nullum enim opus seu bonum, seu malum est, cuius finem non spectet is, à quo suscipitur. Si olitorem interroges, quid spectet cum sedulò plantat, rigat? respondebit; vt aliquos ex oleribus fructus colligat: si fluuium interroges, cur ita rapidus & festiuus currat? finem suum esse, respondebit, redire in mare vnde principium habuit: Si arbores interroges, cur flores in vere producant? respondebunt eo fine, vt in autumno poma afferant: Cùm etiam opus sit, vt finis, propter quem operans operatur, cognoscatur, ne erraticum sit, quod in finem dirigitur, siue ab operante, siue attingente. Sagitta signum quidem, ad quod dirigitur, non percipit suo intellectu, à perito tamen sagittario emissa signum percutit. Ideò prænecessarium est nosse, quo fine tantus Rex venerit in hæc inferiora terræ. Cæterùm finem ob quem datus est nobis Rex Christus, voluit non solùm ipsum nosse, qui eum in mundum direxit, sed etiam nobis innotescere per D. Ioannem, qui cùm in spiritu cerneret Christum descendisse à Patre luminosum. *Vidimus gloriam eius*, (inquit) *quasi vnigenitum à Patre*, & armatum, atque coronatum se vidisse testatur, & data est ei (inquit) corona vt Regi non vna, sed tres coronæ: *Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* Corona luminosa sanctitatis atque honoris, & Corona fortitudinis. Aurea vt Deo, Corona honoris & sanctitatis vt Redemptori, & Corona fortitudinis vt Triumphatori. quia in eum finem venit, vt vincens vinceret. *Ecce*, (inquit) *equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret*, descendit Christus de cælo vt Rex & bellator fortis, luminosus & armatus, exiuit æternaliter à Patre per generationem Diuinam; exiuit item temporaliter, voluntate Paternâ, & amore, quo ardebat in redemptionem generis humani, exiuit eo fine, vt vincens Angelos Apostatas in cælo, atque eorum vexilla superbiæ & ambitionis conculcans, animas Christianorum iure creationis ad ipsum spectantes, à spiritibus superbiæ oppressas iure belli recuperaret, ac potestates rebelles lumini, vt vinceret lumine & armis, (luminosus enim & armatus descendit) & propterea vt edoceret Reges terræ debere esse & armatos, & luminosos, monente Iustiniano Imperatore, *Imperatoriam Maiestatem* (inquit) *decet non solùm armis munitam esse, sed & legibus armatam, &c. tempore pacis & belli*, leges autem & lumen regendi artem insinuant.

8\. Christo Regi tres Coronæ datæ sunt à Patre.

Ioan. 1.

Eccli. 45. n. 14.

Apoc. 6. n. 2.

Iustinianus.

Præterea vt lumine tenebras ignorantiæ, armis verò potentiæ malitiam Dæmonis vinceret, atque exercituum eius, cæteroque Christianorum hostes visibiles deuinceret, eorumque arma tolleret, quibus hostes

eosdem

eosdem gloriosè feriret. Minùs gloriosum putabat vinci Luciferum à sancto Michaële, Spiritum à Spiritu, Angelum ab Angelo, ideò venit, vt in propria persona Deus carne indutus eum contereret.

Vladislaus Poloniæ, & Vngariæ Rex non satis iustum putabat à Duce militum contritum esse vnum cornu exercitus hostilis, ideòque ipse in Persona aggressus alterum. Occubuit. Item Vladislaus Iagello non satis iustum putabat quòd Germanus miles, qui ad eundem currebat ex equo fuerit eiectus, per Zbigneuum, sed ipse propriâ manu illum interfecit.

Hoc idem decebat Christum, vt in propria persona deuinceret hostem. Ante Aduentum Christi totus mundus tenebrosus erat, atq; tenebris densis Ægyptiacis obuolutus, ita vt nec verum Deum, (quo nihil peius humano generi accidere potuit) cognoscere valeret.

Et quanquam nomine tenebrarum compendium omnis infelicitatis, infortunij, ac tribulationis exprimatur, maximè tamen miseriâ ignorantiæ: Vnde Isaias dicebat: *Aspexi in terram, & ecce tenebræ tribulationis*: vbi septuaginta legunt. *Respeximus in terram, & ecce tenebræ duræ*. Pagninus verò: *Aspiciet in terram, & ecce tenebræ angustæ, &c.* Vatablus. *Aspiciet in terram & ecce tenebræ & angustiæ.* Prospexit Dominus de cælo, & ecce totum vidit mundum in tenebris & angustijs; in tenebris cultus commenticiorum Deorum, & vanitate, atque omnium hominum supinâ ignorantiâ, quòd habentes Deum veracem, fallaces & mendaces opera manuum suarum colerent, & quòd malorum omnium extremum, eum Deum, qui vniuersas creaturas condidit, eiusque potentiam nihili æstimabant. *Isaia 5. n. 30.*

Peruenerunt ad aures Dei gemitus compeditorum, quos Dæmoni sacrificabant, atque *vt solueret filios interemptorum, prospexit in terram*, absque omni macula Beatissimam, scilicet, Virginem Mariam, ex ea assumpsit naturam humanam ad personalitatem verbi, quemadmodùm homo assumit ex obiecto visibili speciem, & hâc ratione *sedentibus in tenebris, & vmbra mortis lux est orta eis*, lux, & vita, lux quippe est, & anima mundi, Christus, qui tenebras interiores & exteriores multò perfectiùs, quàm sol materialis illuminat tenebras materiales, hæc lux pepulit ignorantias mortalium, quo nihil homini accidere potest meliùs, quid enim erant homines ante Aduentum Christi, nisi cadauera malè-olentia, fætore vitiorum, & sacrificiorum? Vicit ergo lumine ignorantiam, vicit quoque armis malitiam Dæmonis, eiusque arma diripuit. Pugnauit Dæmon in Paradiso contra generis humani Parentem ligno prohibito, armis malitiæ, in perniciem totius generis humani armis ambitionis, dicens: *Psalm. 101. num. 21.* *Isaia 9.*

Eritis sicut Dij, armis inobedientiæ & contemptus Dei, ideòque Christus non ferro, sed ligno domuit ipsum, cùm signo Crucis ipsum debellauit, &

uit, & arma eius diripuit. Pugnauit Dæmon contra genus humanum spinis, & ideò gloriabatur se esse Regem spinosum, ob quam causam etiam Coronam gestabat spinosam, vt Sacra scriptura testatur, de Melchon Deo Amonitarum, hoc idolum in quo Dæmon habitabat, & vt Deus adorabatur coronam spineam in capite gerebat, & quemadmodum *Dauid tulit diadema Regis Amonitarum de capite eius pondo auri talentum*, habens gemmas pretiosissimas, & imposuit capiti proprio; ita quoq; Christus tulit de capite Idoli Coronam spineam, & imposuit capiti suo, vbi spinæ in flores conuersæ sunt, peccatores in pœnitentes, dolores in lætitias, maledictio in benedictionem.

2. Reg. 12. num. 30.

Mysterium erat Corona spinea, dolor solutio erat peccatorum, & dissolutio maledictionis (inquit) Cyrillus, & in summa totum Regnum Diaboli demolitum est vt (inquit) S. Athanasius, gestabat spinas in Corona, scilicet Christus, vt Regnum Diaboli demoliretur, & veram naturam ab istis purificaret, vnde factum est, vt ex ea, pro spinis bona, & vita repullulassent, atque ita Christus in Corona de spinis capiti suo annexa, triumphalem sibi gloriam quæsiuit, & tanquam fortis armatus superueniens hostem debellauit, atque vasa captiuitatis potenter eripuit, atque arma quibus vulnerabat populum Christi, vulneratorumque sanguine delectabatur, in eum conuertit, vt sicut olim irritans carnifices contra Saluatorem, in spinis, in stimulis, calcitrauit, magis pungebatur, quàm pungebat: ita, nunc dum non solùm peccatores pœnitentes, sed & viros sanctitate perfectos pungit spinis varijs, & molestissimis cogitationibus; non enim vnum telum habet Dæmon, quo homines impetat, multiplicat spicula solicitè, vt vincat tædio, aut præmio (inquit) D. Ambrosius, nec parcit etiam viris sanctissimis. Clarus sanctitate erat Elias Propheta, de illo tamen dicit Petrus Damianus: Non puto (inquit) quòd ille clausit cælum oratione, clauserit animum cogitatione, vt facilius sit cælum obserrare, quàm cor & animum, fecit, ne cælum plueret, oratione; sed non effecit quin contristaretur, vel iucundaretur, cogitatione; sed his spinis ipse magis pungitur, quàm pungit, dum cernit spinas reflorescere, atque in flores gratiæ Dei conuerti; dictum est enim Paulo, colaphizante eum Dæmone, in conspectu Maiestatis Diuinæ cogitatione immissâ, & imaginatione inuoluntariâ confusè: Sufficit tibi Paule gratia mea.

Cyrill. Cathech. Athanasius.

9. Mysteria Coronæ spineæ, & cur data est?

Itaq; Christus ex spina Passionis protulit rosam redemptionis, at illi ex cogitationum spinis proferunt diem festum Domino, iuxta illud: Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.

Iam verò, quia præter Dæmonem plura erant alia, quæ se ingerebant in Regnum Christi, quasi instrumenta diaboli; nimirum peccata, & vitia,

ideò venit, vt vincens Diabolum, vinceret & instrumenta, atque arma illius destrueret, Auaritiam, Superbiam, Luxuriam, quæ (inquit Bernard.) *Bernardus.* dominabantur, & in præsidentiam animæ nostræ se ingerebant, vt ingerunt. *Venit* (inquit) *auaritia, & vendicat sibi in me sedem, venit iactantia, cupit dominari mihi. Superbia vult mihi esse Rex, Detractio, Iracundia, Inuidia, certant in me ipso: Luxuria dicit ego regnabo, sed non habemus Regem, nisi te Dominum IESVM, qui hæc omnia deuicisti, & de omnibus triumphasti, & triumphas, tu es ipse Rex meus & Deus meus, qui* *Psal. 43. n. 5.* *mandas salutes Iacob*: qui mandas salutes, non illi domui Iacob, de qua idem Bernardus: Domus illa Iacob exasperans, impiè abnegauit eum, & insi- *Bernardus.* pienter respuit ante faciem Pilati, quando illo perhibente, Regem vestrum crucifigam? vno ore respondendo clamauit: Non habemus Regem nisi Cæsarem: Sed illi domui Iacob, quod interpretatur, vincens, quæ victo infidelitatis errore, clarâ voce profitetur. Tu es Rex meus & Deus meus, tu in mente, quam inhabitas, torpentia excitas, inquieta frenas, frigida accendis, accensa moderas, rigida mollis, fluxa restringis. (in- *Gregorius.* quit Gregorius) Tu vincens venisti, vt vinceres peccata mundi, & pœnas pro eis debitis, assumptis doloribus animæ, & corporis vtilibus. Tu mortem destruxisti, peccati prolem acerbam, ita, vt in illa iam nihil sit mali, nam quod acerbum natura intulit, tu morte tuâ dulcorasti, dum ex necessitate virtutem fecisti, ita, vt iam cogente naturâ mori, voluntariè moriatur Christianus prudens, naui Crucis se committens. Tu denique suaui odore sacrificij cruenti, pro quo te ipsum Deo Patri obtulisti, sacrificiorum fætores, quibus mundus infectus erat, & malè olens, recreasti, & purificasti, tanquam Rex virtutum, & Triumphator gloriosus.

CAPVT II.

Christus Dominus est Rex, non solùm in quantum DEVS, sed etiam in quantum Homo.

10.

IAM magna ex parte, & modò dictis elucescit Regem esse Christum Dominum, etiam vt est homo, sed & cantilena iucunda pluries reiterata, non est auribus ingrata, aut molesta. Itaq; ad conuincendum Hæreticorum, Arianorum, Hebræorum, aliorumq; Sectariorum proteruiam, plura proferenda sunt ad confirmandam veritatem Catholicam, & stabiliendum, quòd Christus Dominus fuerit Rex omnium Regnorum, & Dominus possessionum non quidem iure hæreditatis, aut iure belli, sed iure vnionis hypostaticæ. *Inuenta quippe est coniuratio in viris Iuda, & inhabitantibus Hierusalem* (inquit Hieremias) Inuenta *Hier. 11. n. 9.*

Coniuratio filiorum Iuda contra Christum Dominũ.

est coniuratio contra Christum Dominum, quòd non fuerit Rex vt homo, & Dominus possessionum, cui subscripsit Herodes, qui humilitate & taciturnitate Christi scandalizatus ipsum spreuit, vt hominem nullius frugi, ipse insanus, nec responsione aliquâ à Christo dignus, vidit quippe Christus Dominus scrutans renes & corda, ipsum malignum fuisse, & infidelem, indignum iudicauit, etiam alloqui ipsum, malignus quidem fuit, quia non deuotionis causâ, aut alicuius vtilitatis affectu, sed ex mera curiositate, miracula fieri desiderabat; infidelis autem, quia non credebat Christum Deum esse, sed aliquem Magum Nigromanticum: humilitate etiam, aut paupertate Christi non debuit offendi, nam sub paupertatis & humilitatis pallio Regia dignitas latere potest, nec humilitas obest apici dignitatis Regiæ. Rex sanctus fuit Dauid, & tamen palàm dicebat: *Bonum mihi quia humiliâsti me, vt discam mandata tua.* Si Herodes vidisset Heraclium Imperatorem detractis calceis & plebeo amictu indutum, portantem Crucem Christi in montem, numquid illum spreuisset? præterea si vidisset Regem Niniue sacco indutum sedentem in terra, & lachrymantem, numquid spreuisset eum, & illusisset? Solem nube tectum, Christum in carne, eiusque Diuinitatem, eò quòd oculis eam cernere non poterat, in propria sphæra residere negauit, rusticorum sequens stupidum sensum, qui relictâ ratione, ac fide, oculo materiali de rebus iudicant, vt habet Aristoteles.

Psalm. 118.

Subscripsit item coniurationi contra Christum Dominum, fex mundi plebs Hebræorum, quæ ipsum odio prosequebatur, auribus respuebat, & animo aspernabatur, nec sanguine eius satiari potuit, vt impleretur illud Eccles. *Inimicus si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine*: Hoc maximè eluxit tunc, dum Pilatus adduxit eum ad populum, flagellatum, spinis coronatum, & totum corpore laceratum, vt eos ad compassionem moueret, dicendo: Estné possibile quòd crudeles reperiantur homines adeò stulti, & insani, quòd inuideant sic afflicto? quòd si inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis (inquit D. Augustinus) sed nihil profuit, quia inimicus dum inuenerit tempus non satiabitur sanguine, vsque nunc sitiunt sanguinem Christi, maledicti Hebræi, quem cùm vident, nec gloriosum crucifigere possunt, imagines eius crucifigunt, & quod peius est, de eo gloriantur, & impunè blasphemant.

Eccl. 12. n. 16.

D. August.

Subscripserunt item coniurationi milites dum illudebant Christo Domino, atque fictè & illusoriè illum salutando, dicebant: AVE REX IVDÆORVM. Falsæ salutationi adijciebant grauiores nugas, nam salutatum vt Regem, & Coronâ spineâ affligebant, & arundine percutiebant. Contumeliosa fuit hæc reuerentia, quæ ita afflixit Christum Dominum, vt de ea conquereretur coram Patre æterno; *Tu scis confusionem meam, improperium & reue-*

Psal. 68. n. 20.

& reuerentiam meam, fictam ſcilicet, & illuſoriam. Receſſerunt tamen ab hac coniuratione milites, (vt inquit D. Chryſoſtomus) dum glorioſum in Reſurrectione cernentes, poſt reſurrectionem cognouerunt Dominum, & iniuriam Paſſionis totam tranſiſſe ſenſerunt in gloriam Reſurrectionis; Ludibrium verſum in Religioſam reuerantiam, dum ſucceſſores eorum, debitam reuerentiam exhibendo Chriſto, ſcilicet milites Chriſtiani, exhibent genu flectendo, atq; veraciter dicendo. AVE REX IVDÆORVM, qui mandas ſalutes Iacob, qui tribuis victorias pro honore tuo pugnantibus, tu clypeus noſter es, in tuo ſigno fugantur hoſtes noſtri: Subſcribunt etiam Coniurationi Iudæorum, proh dolor! his temporibus Hæretici, Ariani, & vtinam cum militibus Ethnicis, quibus ſunt perſimiles, à coniuratione recedant. *D. Chryſoſt.*

Legant Iſaiam Prophetam, qui de Chriſto vt homine ſic ait: *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Legant item Michæam Prophetam, qui futuram Dei Incarnationem prædicens, clarè loquitur dicens: *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ.* Cui occurrens Iſaias (inquit) *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt Principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Legant præterea illud Iſaiæ: *Et dominabitur à mari vſque ad mare.* Quis enim Regum Iſrael tam amplum habuit Regnum? Vtinam illuminentur oculi eorum, ſicut fuit illuminatus Daniel Propheta, qui de perſona Chriſti euidens eis teſtimonium proponit, dicens: *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, &c. Et dedit eis poteſtatem & honorem, & Regnum, & omnes populi, Tribus, & linguæ ipſi ſeruient, poteſtas eius poteſtas æterna, & Regnum eius, quod non corrumpetur.*

Iſaia 49. 23. *Michæas 1. 3.* II. Teſtimonia Diuinitatis Chriſti. *Iſaia 9. n. 6.* *Danielis 7. 13.*

Quid clarius? Dixit autē quaſi filius hominis, quia non fuit priùs homo, vt ſunt Reges terræ, ſed Deus & homo, ita quòd hæc dictio Ly quaſi non diſtrahit à natura hominis, ſed inſinuat ea, quibus cæteros homines, ſuperauit Reges & Regna. Quoniam, vt inquit Seraphicus Doctor, Regnum Chriſti nec pluralitate regnantium diuiditur, nec participatione minuitur, nec numeroſitate confunditur, nec æqualitate deordinatur, nec circumſcribitur loco, nec variatur motibus, nec tempore menſuratur, vt rectè dixerit Daniel Propheta: *Regnum eius, quod non corrumpetur*; quod ſi perfidi Iudæi, & alij illis ſimiles alia requirant teſtimonia, cùm etiam teſtimonium ab hoſte ſit firmum, vt Interlinearis ait, cùm in Senatu Romano quidam coram Nerone detraheret principali Senatori, redarguit eum Nero dicens: Vtinam ita ſit amicus, ſicut eſt probus, cùm tamen non fuerit illi benè affectus *Dan. 7. n. 14.*

fectus Nero. Hoc testimonium de probitate eius firmum fuit, quia non ab amico, sed à maleuolo processit.

Quod cùm ita sit, videant quale testimonium perhibeat de Christo Domino Pilatus, qui etsi fuerit Leo furiosus, & indomitus Ethnicus, de eo tamen dixit Beuxamis. In informatione facta Christi, egressa est dulcedo & ex immansueto Gentili egressa est pia Christi innocentiæ confessio, nam clamantibus, & rabiosè vociferantibus Iudæis (quippe tenor vocis, cordis rabiem, indicabat.) Tolle, Tolle, respondit Pilatus, quid enim mali fecit? imò multa bona operatus est in vobis: quod si nihil mali fecit, nec quemquam offendit, laude potiùs dignus, quàm morte est, Et interrogabat eum Pilatus, vnde es tu? certum est, quòd quærebat ex qua gente esset, non quærebat patriam eius, quia iam priùs Galilæum audierat, sed suspicabatur tanquam gentilis, quòd esset aliquis ex Dijs gentium, vnde & timebat, multa siquidem de IESV audiêrat, quæ ad Maiestatis alicuius persuasionem eum inducebant. Et propterea cùm Iudæi crimen seditionis ei imponebant, illudque amplificabant, quia commouit populum, Regem se fecit, non ad iram, sed ad formidinem rei magnitudine preterritus, impellebatur, sed vicit timor humanus timorem Dei, plùs timuit Cæsarem (dicentibus Iudæis, si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris) quàm Deum.

12. Principum terræ de Dominio Christi testimonia.

Iam verò Principes terræ, Augustus, & Octauianus, etiam ipsis factis non vulgare de hac veritate testimonium Christo dederunt, nimirum quòd Christus fuerit Dominus possessionum, & Rex Regnorum in quantum homo ratione vnionis, Augustus Monarcha, & totius orbis Imperator, dum determinato tempore, totus orbis redderet censum in recognitionem seruitutis, præcepit Diuino instinctu, & Syllabæ Consilio, ne quisquam eum diceret Dominum: Hoc idem fecit Octauianus, qui obsistente sibi Senatu, Christum inter Deos inscribere & collocare conabatur. Nec solùm hi Principes orbis, Deo sic disponente venerabantur Christum, vt Deum ac Dominum orbis, esto id non intelligerent, sed etiam ipsa infantia quæ laudes decantabat Christo: (Ex ore infantium quippe, & lactentium) in confusionem Iudæorum, aliorumque inimicorum Christi decantabant Christi laudes, (vel fundabant triumphum eius) vt alij legunt, quam nec turba Hierosolymitana, nec illi, qui ipsum ad necem quærebant à triumpho impediebant. Nec item Dominus asinæ, & pulli eius, nec Domini & Possessores frondium, quæ ab infantibus ex arboribus detrahebantur, nec Mercatores, quos ex templo eiecerat, contraibant, sed omnes in vniuersum, tanquam Regem excipiebant, & Dominum possessionum, ac animarum remittentem peccata, & Dominum corpo-

corporum; sanantem infirmos, & Dominum vitæ, resuscitantem mortuos, & Dominum cordium, reuelantem cogitationes; ac deniq; Regem, ac Dominum vniuersorum recognoscebant.

Pudeat Hebræos, & Collegas eorum, quòd vna Muliercula palàm profiteatur Christum Regem & Dominum, dicens: Scio (inquit) quòd Messias venit, vnus Latro qui, in cruce Regnum postulauit, obtinuit: Vnus Centurio, qui exclamauit, verè filius Dei iste; & eorum aures obsurduerunt infidelitate, lingua aruit malignitate, & corda in odij profunditate submersa. Non est concessum Regibus terræ, ante congressum cum hoste, canere triumphum, etiamsi fuerint bellatores fortissimi & sanctissimi. Varius est euentus belli. Sola Christi victoria futura erat infallibiliter, persimilis victoriæ Madian, vbi à Gedeone obtenta fuit de Madianitis, fractis vasis luminum: sic & victoria Christi, fracto vase, & contrito corpore Christi, lumen Diuinitatis illuxit: verè filius Dei erat iste. Nec mirum quòd ille solus ante conflictum potuit canere triumphum, quia ille fuit DEVS & HOMO, cæteri Reges cùm sint puri homines, victorias acceptas Deo referre debent, quid enim habent, quod à Deo non acceperint? omne donum de sursum est, nam à quo Regna? à Deo, ille enim dixit: Per me Reges regnant, per me Principes imperant, &c. Si igitur omnia à Deo: Ergo & victoriæ atq; triumphi. Accedit quòd ante prælium canitur ei triumphus: ex ore infantium. De Iosaphat Rege pientissimo refert Sacra scriptura, quòd antequam iniret prælium, triumphis canebat, sed munere Dei factum est. Neque solùm ex ore infantium, verùm etiam à Mimis Principum, hæc veritas habuit testimonium. Siquidem Genesius Mimus cùm Gentilis, atque theatro, spectante Diocleciano Imperatore, Mysterijs fidei Christianæ dum illuderet, à Deo motus, & excitatus repente conuersus ad fidem, & baptizatus, mox Imperatoris iussu fustibus crudelissimè cæsus, & vngularum diutissimâ laceratione vexatus, in fide Christi persistens, dicebat: Non est Rex præter Christum, pro quo si millies excrucier, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis.

Verùm dicent perfidi aduersarij, si Christus vt homo est Rex, vbi apparatus Regius? vbi aula Regia? vbi Aulici? vbi serui? vbi milites? vbi globus mundi? vbi purpura & vestes Regiæ? diuitiæ, dapes, & abundantia opum? & tandem, vbi Regia potestas? 13.

Paupertas & Passio Christi non obest dignitati eius.

Deinde si est Rex, vt quid tanta passus vt homo? verùm stultè & malitiosè cernitur oculis impiorum in eo, in quo erat lætificaturus corda Sanctorum. Ille quippe erat Rex & bonorum spiritualium & temporalium, tanquam Domino spiritualium, non defuerunt spiritualia, nec vt tali opus erat

erat prædictis temporalibus pompis: Nonne & Moyses institutus fuit à Deo Rex, & vice Deus Pharäonis? nihil tamen eorum quæ dicta sunt ex temporalibus illi concessum fuit, præter virgam, quâ facturus erat signa imperando, non solùm hominibus, sed & elementis, terræ, mari, aëri, riuis, fontibus, fluuijs, etiam ipsi cælo, aquam conuertebat in sanguinem, & sanguinem item in aquam, ex aëre coturnices, ex puluere muscas, ex silice aquam, tanquam summus, & potentissimus Rex producebat, esto fuerit pauper, & temporalibus orbatus, quantò magis Christus, qui multò plura produxit signa amabilia infirmos curando, & mortuos suscitando, vt Deus absconditus, ita & Rex. Opus Dei hoc est mirabile, sed non impossibile, quòd idem Christus sit diues & pauper, fortis & infirmus, (vt inquit D. Augustinus) Fortis, quia *In principio erat verbum, & Deus erat verbum,* &c. Infirmus, quia humiliauit semetipsum vsque ad mortem. *Ioannis 1.*

14. *Solus Christus est propriè Rex.*

Præterea solus Christus est Rex, ipse sibi ad Regnum sufficiens, qui nulla extra se egebat seruitute ministrorum. Reges terræ vt Regiam dignitatem, & excellentiam ostendant, opus habent supra dictis, opus habent curruum atque equorum, rhedarumque multitudine, ferculorum varietate aulicorum & seruorum pompâ, sed hæc non tam splendorem, quàm Regis egestatem definiunt. Infirmum sanè est, tot rebus, machinisque egere, vt Regiam dignitatem ostendant. At Christus ipse est Rex & Minister etiam in gloria Sanctorum, iuxta illud: Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis, & eò clarior Rex, quò habet minùs de alienis, sed sibi ipse ad Regnum sufficiens est. Sic sufficiens nomen Dei est, teste Dauide: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Congruam autem fuit sic ordinare Diuinam sapientiam, ne Christus temporalibus forinsecus fulgeret, quia finis cum medijs ad finem cohærere, & proportionari debet. Christus autem primùm venit pro animabus (inquit Bernardus) tollere vtique peccata mundi, non molestias carnis, & ideò corpus proprium exposuit pœnis omnibus, animam autem immunem habuit à peccatis, non sic vt hodie faciunt homines, qui negligunt curam animæ, curam autem carnis perficiunt in omni desiderio, neque peccare metuunt, sed puniri, nec virtuti cordis opera datur, sed valetudini corporis, immò etiam voluptati. Christus etiam non venit in hunc mundum ad promouendum Regnum temporale, non ad acquirendas opes temporales, sed æternas, non ad edocendum Principes, cæterosque Christianos in ijs, quæ Ethnicorum Politica sequenda proponit, ad extruendas arces, ad acquirendas opes, ad colligendos exercitus, vt in sequenti Capitulo fusiùs dicetur, sed ad obtinendum cælum, ad saluandas animas, ad hunc autem finem commodior erat paupertas & humilitas, quàm *Psalm. 15.*

quàm superbia; & abundantia rerum terrenarum, & dignitatum. Nam vt ad internas diuitias rediret homo, foris apparere dignatus est pauper Deus (inquit D. Gregorius.) Judæi opes petebant, & Messiam quærebant, qui ditare, non qui sanare posset, sed ineptè auaritiâ decepti.

Quare esto fuerit pauper, legitimus tamen etiam vt homo erat Rex, & Monarcha; humilitatem & paupertatem elegit, non tamen ex mera necessitate, sed libera voluntate, & congruitate, non est passus Christus Rex se superari à Politicis præceptis, aut exemplis.

De Fabricio consule fertur, quòd cùm fuerit in auge dignitatis, elegit potiùs paupertatem, quàm diuitias, nam cùm esset pauperrimus Legati Epirotarum nomine, magis ponderibus auri eius paupertatem subleuare voluerunt, offerrendo ipsi pretiosissimos thesauros, sed ipse eos acceptare recusauit, dicens: Narrate Epirotis, me malle hæc habentibus imperare, quàm ipsa possidere; deinde vt Principes Christianos edocerent nec humilitatem, nec paupertatem, nec pœnalitates aliquid derogare dignitati Regiæ, & personæ Diuinæ: non humilitatem, quia *sola humilitas est, quæ exaltat, qui aliter vadit, potiùs cadit, quàm ascendit.* Quòd cùm ita sit, quid mirum, quòd Christus oblatam gloriam culminis fugit, dum illum voluerant facere Regem terræ? *Chrysostomus homil. 2. in Act. Apostol.*

Humilitate ascendit Moyses, vt esset Rex, & Deus Pharaonis, de quo Rupertus ait: *Gloriosa virtutum Reginæ humilitas, quæ in cælum volare consueuit, ita vt homo priuatus audiret regnantu hominus Pharaonis se esse Deum.* Non paupertate, quoniam multi Reges, & filij Regum, Religiosam vitam Professi, sub paupertate vixerunt, neque tamen aliquod detrimentum dignitas Regia ex eo sensit, cùm iterum ad fastigium dignitatis Regiæ assumpti fuerint. Quòd etiam in Annalibus Polonis videre licet, nam refert Miechouita, quòd post mortem Miecislai Poloni ab hominibus vicinæ nationis prælijs, & direptionibus lacerati, Casimirum Monarcham in Cluniaco Monachum factum, in habitu cucullo, ex Monasterio acceperunt professum, & iam Diaconum, vt auitum Regnum Poloniæ reciperet, expostulauerunt, atque ad fastigia Regni eleuauerunt, additque idem Chronista, hoc idem accidisse in Hispania, nam expulso Petro Thares, Regnicolæ Aragoniæ communi consensu, reuocauerunt è monasterio Ramirum Monachum Presbyterum, filium legitimum Santy Regis Aragonum, & fratrem Alphonsi sine filijs præmortui. His Principibus paupertatem in Monasterio victu, & amictu obseruantibus Regia dignitas comes fuit, cur igitur & in Christo laude digna esse non debet? Quare potiùs decebat Christum pauperem esse, quàm opulentum Principem, pauperem, & inopem adeò felicem existimant prudentes, vt illam Rempublicam felicem prædicant, cuius

Rupert. lib. 3. in Exod. super illud, constitui te Deum Pharaonis.

Cromerus.

15. Pœnalitates assumptæ à Christo non

nocuerunt dignitati illius. cuius Principes potiùs alios locupletant, quàm quòd opes amplissimas habeant, vel relinquant. Honestius enim & vtilius est principi, vt multi illi seruiant, quàm quòd multa habeat, & Reipublicæ vtilius atque honestius: pecunias enim dare, non adorare oportet. Præterea non potest vocari pauper, qui amicis diues est, nec diues, qui amicis pauper est.

Mensa quoque huius Regis opulentissima, in qua apponitur panis Angelorum, panis filiorum, esca Nobilium, (inquit Maldonatus) panis Regum terræ est, (vt inquit D. Hieronymus) comedentes corpus, & bibentes sanguinem Domini, vertantur in Principes, quos alit pane Cœlesti. Deniq; pœnalitates à Christo Domino, vt homine assumptæ, dignitati eius Regiæ nocere non poterant, quin potiùs nobis vehementer eum commendarent, maximè verò, quòd causâ reconciliationis generis humani cum Deo, illas grauissimas, & tot pœnalitates sustinuerit, vt omnibus obtemperantibus sibi, esset causa salutis æternæ; vt rectè dixerit Abbas Guarricus: *ô Deum prodigum sui pro hominis amore, quem dilexit tanto amore!* vt inquit Origenes, quòd etiam exhausit semetipsum, exhausit sanguinem proprium nullis thesauris comparabilem, adeò vt si in ipsum prodigalitas cadere posset, rectè diceretur. ô Deum prodigum! Sanè optimè D. Augustinus cogitans pœnalitates Christi pro genere humano susceptas, & comparans eas ad obedientiam, & pietatem Abraham, (inquit:) Cogitemus Deum cum hominibus pietate certantem, nam quemadmodùm Abraham suum filium colligauit, ita & Deus Pater Christum, non tamen imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis imperio, ipse quoque æternitate se ligauit, & obligauit ad accipiendum calicem Passionis, inquit Rupertus. *Funes quippè peccatorum nostrorum circumplexi sunt ipsum: Captus est in peccatis nostris Christus Dominus*, vt nos reconciliaret Patri, & pœnalitates futuras, quas homines etiam Principes supportaturi erant, vt ait Sedulius, sanctificaret.

Maldonatus. *Hieronymus.* *Abbas Guarricus.* *D. Augustinus serm. 71.* *Psal. 118. n. 61.* *Tren. 4. n. 20.* *Sedulius lib. 4.*

Pœnam vestiuit honore,
Ipsaq; sanctificans in se tormenta.

Immeritò igitur infideles humilitate, paupertate, & pœnalitatibus Christi scandalizantur, en fortis Politicus moriens pro Republica laudibus extollitur, cur igitur Christus moriens pro salute mundi, laude extolli non debet? Quare potiùs dicere non debent nobiscum? Nihil est Christe, quod nobis de tua Regia dignitate, & Diuinitate ambiguitatem faciat: Non captio, aut manuum colligatio, quia hæc vincula non sunt imbecillitatis, sed magnæ charitatis: Non carcer, si enim, vt inquit Seneca, Socrates Philosophus carcerem intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus, quantò magis id de Christo dici debet? Non improperia, quia & Moyses maiores diuitias

Seneca.

uitias æstimabat thesauris Ægyptiorum, improperia Christi, & in illis, vt inquit D. Thomas, maiorem gustum sentiebat, & meditando maius refrigerium ei afferebant, quàm opes & Maiestas Ægyptiorum: non scandalizamur, quòd fueris ludibrio expositus. Olim in Paradiso dixit Deus ad Adam, postquam peccauit. Ecce Adam quasi vnus ex nobis: hoc ludibrium vt tolleres, illudi voluisti, ac si esses vnus ex nobis. Non offendis nos, quòd portaris ad victimam vt Agnus mansuetus ad occisionem, quia tenuit Deus manum dexteram tuam, & in voluntate Dei Patris deductus es, scilicet in crucem, vt ait Rupertus, vel in consilio, vt legit S. Hieronymus, vel in iudicio, vt legitur in Hebræo: non scandalizamur, quòd baiulas tibi Crucem, quia & Isaac offerendus baiulauit sibi ligna, & sicut Abraham portat ignem, & gladium, ita Deus Pater offerendum filium gladio Crucis deducit, nec imaginandum, quòd in manu Iudæorum fuerit mors Christi, sed in voluntate Dei Patris, vbi, quando, & quo mortis genere deberet interimi. Ignem quoq; charitatis, quo consumendum esset holocaustum, portat Deus Pater, quia sicut filius per Spiritum S. semetipsum obtulit, sic & Pater per eundem Charitatis Spiritum, proprium filium pro nobis tradidit, & voluit vt esset homo, inquit Rupertus: Passus est se teneri vt homo, sed si ille non esset homo, non liberaretur homo, inquit sanctus Augustinus.

Rupertus.

Verùm illud aduersarios vel maximè angit, quòd si Christus fuit Rex etiam in temporalibus vt homo, ratione vnionis hypostaticæ, frustra haberet tale Dominium, quia non est eo vsus; sed reuerà non sequitur frustraneum esse illud Dominium; sicut si Princeps nollet habere vsum Regni, ius non esset otiosum, sed potiùs esset heroica virtus, vel humilitatis, vel deuotionis, ne temporalia impedirent deuotionem. In Christo ergò, esse abdicationem Dominij ex humilitate, &c. Verumtamen improbabile esse existimo non fuisse vsum hâc potestate, quod iam elucidandum est, & probandum, falsum esse Christum nunquam potestate Regiâ, quoad temporalia vsum esse, vt etiam dictum est suprà.

16. Dato igitur, & concesso, quòd potestate Regiâ non fuerit passim vsus, id rationabiliter factum est, tum vt omnibus euidens esset, quòd directè ad spiritualem vitam componendam, & ad dirigendam viam in cælum Regnum æternum venisset. Vnde & dicebat: *Regnum meum non est de hoc mundo*; neque tamen ex hoc sequitur, quòd non esset Rex huius mundi, sed quòd non esset Rex infidelium, quos continet mundus, sed fidelium, mundi dixit tenebrarum harum, mundi dixit amatorum mundi, mundi dixit impiorum & iniquorum, mundi dixit, de quo in Euangelio dicit: *Et mundus eum non cognouit*, inquit D. Augustinus.

Si Christus fuit Rex in temporalibus, quare non est vsus illâ potestate?

Ioan. 1.
D. August. in Psalm. 54.

Præterea ita fieri oportuit, vt sibi subiectum populum traheret ad viuendum secundùm virtutes & legem Dei; de illo enim dictum est: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*, qui lucem dedit sæculo, maximè erigendo vexillum paupertatis, quæ olim adeò fuit abominabilis mundo, vt diceret deprecans Deum Salomon: *Paupertatem ne dederis mihi.* Item vexillum humilitatis contra vexillum superbiæ, quod erexerat Luciferus in cælo, serpens in paradiso, præsumptio in mundo. Vexillum patientiæ contra impatientiam. Quid enim aliud fuit mundus ante aduentum Christi, nisi vexillum superbiæ, & nidus luxuriæ, atque impatientiæ? Sed humilitas Christi, vt inquit Bernardus, confundit eam, Humilitas, inquit, Christi virtus, quantùm confundit superbiam nostræ vanitatis? *Ecce Deus Magnus vincens scientiam nostram*, inquit Iob, & nos dicere possumus, *Ecce Deus humilis vincens superbiam*, quæ tam altè fixit radices, vt rectè dixerit S. Bernardus: *Rara virtus, humilitas honorata.* Erubescunt humiliari diuites, & propterea multi pereunt, quod insinuauit Angelus loquens ad Ezdram. *Noli*, inquit, *interrogare inquirendo de multitudine eorum, qui pereunt*, nam & ipsi accipientes libertatem spreuerunt Altissimum, scilicet ex superbia, & legem eius contempserunt, & dixerunt in corde suo, non esse Deum, & quidem scientes, quoniam moriuntur.

Psalm. 23. — *Prou. 30. n. 8.* — *Iob. 36. v. 26.* — *Ezdra.*

Imitanda igitur est humilitas Christi, propterea enim rarò vsus est potestate in temporalia, vt nobis commendaret humilitatem, si quando homo propter mentem efferatur, propter terram deijciatur. Nosse tamen oportet, quòd quantumcunque te humilies, humilior Christo non eris, qui tantam humilitatem dilexit, vt propter illam multa miracula patrauerit, si viderint homines solem, de cælo in terram descendere, nonne magnum miraculum factum esse iudicarent? En Christus descendit de sinu Patris in Crucem, descendit in terram, lauando Apostolis pedes. Quantumcunque igitur sis humilis, non eris humilior Christo.

17. Item quantumcunque sis patiens, imitaberis Christum in patientia, sed nunquam ad tantam perfectionem patientiæ, qualis fuit Christi, peruenies. Fieri potest, quòd fortis Politicus, aut Martyr patienter ferat quæcunque mundi tormenta, & mortem sustineat, ille pro Patria, hic pro confessione Diuinitatis Christi, vt insinuat Philosophus dicens: Mors & vulnera tristia, forti & volenti tolerabilia erunt, sustinet hæc omnia, quoniam bonum est ea ferre, vel quoniam turpe est, non sustinere ea, & hoc quantò fortior, & felicior; difficilius sit sustinere. Hoc tamen non obstante, non peruenit ad perfectionem patientiæ Christi, rationem assignat D. Subtilis, quia si fortis Politicus patiatur tormenta, quibus nullum sit maius in ipso ardore tormentorum, & momento temporis, quo peruenitur ad extremum

Quantumcunq; sit aliquis humilis, non erit humilior Christo.

Libro 3. Ethic. cap. 11. — *D. Subtil. in 3. d. 15. a. 2.*

tremum tormentorum, dolor & tristitia furatur intellectum, absorbet mentem, etiam sapientissimi, & fortissimi. Quod de Christo dici non debet, nunquam enim ratio eius eclypsata fuit, vt probat ibidem. Ex quo intelligitur, quòd Christus fuerit perfectissimus Politicus, non solùm ratione dispositionis Reipublicæ, vt iam dicetur, sed etiam, quia pro conseruanda Republica, intensiores dolores, & tristitias sustinuit; pro Patria & Regno Christianorum, quàm aliquis Politicorum, de quibus potest dici illud Ambrosij: *Non habent fortitudinem, qui stuporem magis vulnerum tulerunt, quàm dolorem.* Licet igitur (vt reuertamur illuc, vnde digressi sumus) ob prædictas rationes non fuerit passim vsus Dominio in temporalia, reuerà tamen pluries eo vsus est: Legant aduersarij quod dicit D. Hieronymus. *Inter omnia signa, quæ fecit Dominus IESVS, hoc videtur mirabilius esse, quòd vnus homo ex illo tempore contemptibilis, ac in tantum vilis, vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra eum sæuientibus, ac videntibus lucra destrui sua, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem, mensasq; subuertere, & Cathedras confringere, & alia facere, quæ magnus non fecisset exercitus.* Igneum enim quoddam, atq; sydereum radiabat ex oculis eius, & Diuinitatis Maiestas lucebat in oculis. Imperare etiam ventis & mari superioris potestatis est, quàm temporalia gubernare, quoniam dictum est per Prophetam: *Tu solus dominaris potestati maris*; hinc redarguuntur nautæ, qui cùm viderent mare, & ventos pacificatos, dicebant: Qualis est hic homo, quia venti & mare obediunt ei? miserrimi erroris stultitiam citò demonstrabant, inquit D. Hilarius, quòd ex humilitate Passionis hominē potiùs nuncupârint, quàm ex virtutibus Deum. Omnia parent imperio Christi.

Aristoteles 7. Ethic.

Ambro. in Luc. cap. 22.

D. Hieronim.

Psalm. 88. 10.

18. Et quod excellentius est, potestas temporalis Regum à Christo, Regibus tradita est, ita vt rectè dicat: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant*, per ipsum, inquam, vt Deum demandantem illis potestatem, & Regna temporalia, per ipsum etiam vt hominem permittentem, vt locum eius teneant, ac Vicarij illius sint. Cùm enim ipse iure ipso naturali, & personali supremus, & legitimus sit Imperator, adeò vt si vellet, legitimè imperaret, profectò quicunque ad Regnum, aut Regium Sceptrum, & Coronam attollitur, vices eius agit, & locum illius tenet, atq; ita Reges, & quicunque alij Principes sæculares, non tantùm Christi Vicarij sunt, quoad potestatem temporalem, inquantum Deus; sed etiam inquantum Homo. Etsi inquantum dedit Regibus potestatem, iuxta illud: Qui potestati resistit, &c. certè inquantum homo illam eandem potestatem, & vice Regibus dimisit, tanquam superior, & sublimior omnibus Regibus terræ. Quare Christus Dominus nulli ex Regibus, aut potestati humanæ subiacuit, & subditus fuit ex necessitate, sed ex voluntate & libertate, sicut fuit subiectus

Christus Dominus vsus est potestate Diuinâ.

Prou. 8. n. 16.

Beatiſſimæ Virgini, & Ioſepho. Imò etiam quod plus eſt, ſupremam Regni poteſtatem adeptus eſt in omnes Reges, atq; Principes, ideòque damnatus eſt à Ioanne XXII. Summo Pontifice, error eorum, qui dixerunt Christum Dominum Principibus huius mundi ſubditum fuiſſe.

Genebrandus in Pſalm. 7. Sed neque his mouetur obduratus Iudæus, vt rectè dixerit Genebrandus. *Improbus Iudæus concepit primum dolorem, id eſt, afflictionem, quâ affecit Chriſtum: deinde meditatur, ac velut parturit nocendi artes, & occaſiones; denique rapitur in actum, & veluti parit & perficit iniquitatem conceptam, diu cogitatam & conſtitutam.* Sanè exẽplo orbis à Deo conditus eſt, nunquam maior iniuſtitia audita eſt, quàm quòd ex inuidia, & odio crucifigeret eum, nec maior dolor ſicut ille, quem habent Hebræi, ex quo, quòd totus orbis ſequitur Chriſtum, & fides Chriſtiana augetur, Eccleſia fidelium ſanctitate creſcit, ideòque & rabioſi canes, dum Chriſto iam glorioſo, aut Eccleſiæ nocere non poſſunt, ex odio in fidem & Chriſtum, imagines Chriſti, & infantes crucifigunt, aliaque Iſaia 26. 16. ſcelera in fidem Chriſtianam committunt. Hanc malitiam Iſaias Propheta cernens oculo Prophetico dicebat: *Percute Domine, vt in anguſtia requirant te*: Sed reſpondet Deus, fruſtra percuſſi eos, inſenſibiles ſunt, vt lapis Adamantinus, adimpletum eſt, quod futurum dicebat Chriſtus. Auferetur à vobis Regnum: ablatum eſt ab illis non ſolùm Regnum temporale, ſed & ſpirituale; iam ſedent filij Iſràël ſine Rege, cuius authoritate gubernentur ſine Principe, cuius protectione gaudeant, vt prædixerat Iſaias: iam ſunt abſque Altari & ſacrificio, quo iram Dei placare poſſint, ſine Ephoth, & ſine Thepharim. Iam Iudæi ſacris Elogijs, quibus induti fuerant, ſpoliati, cœci remanent, vt inquit D. Gregorius, & D. Ambroſius: D. Gregor. D. Ambroſius. *Hebræi ſpoliârunt Ægyptios, & vaſa eorum ſuſtulerunt*, Iudæorum ſpolia habet populus Chriſtianus, illi aurum & argentum materiale abſtulerunt, nos aurum mentis accepimus, ita vt rectè dicere poſſimus: *Lætabor ego, ſicut qui inuenit ſpolia multa.* Pſalm. 118. num. 162. Iſtis autem malis non emolliuntur, ſed imitantur Iudæi, apud quos nec mens, nec lex, nec ratio, nec Deus ipſe locum habet, ſola pecunia, quâ efficiunt, quidquid volunt. & iterùm Chriſtum crucifigunt, ita vt mirum ſit, quòd Reſpublica Chriſtiana eos patiatur, qui fætore ſuo, traditionibus, furtis, abominationibus peccatorum, inficiunt Rempublicam Chriſtianam, cùm tamen eorum malitia, ſit ingens Regnorum Chriſtianorum ruina, & gaudium de ſcelere eorum, perditio atque interitus.

19. Impietas Iudaica, & deuotio Principum Chriſtianorũ explicatur.

Cæterùm Principes Chriſtiani attendant ad illud Zachariæ Prophetæ: *Exulta* (inquit) *ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem, quia Rex tuus venit tibi manſuetus*, non ſibi venit, ſed tibi, ideò Deus eſt, quia, vt inquit D. Athanaſius contra D. Athanaſius. Arianos: Si non ſui, ſed noſtri gratiâ venit, fieri non poteſt, vt ſit creatura, ſicut

ſicut eſt poſſibile, quòd creatura veniret in gratiam creaturæ, nec erat congruum, vt veniret Angelus, quia qui creauit, ille redimere debuit. Venit ergo vt Deus, & homo manſuetus, venit totus in noſtros vſus expanſus, inquit Bernardus conformiter ad illud Tertulliani: *Deus in ſuis expanditur creaturis*: venit manſuetus pauper, & humilis, quia cadit faſtus, vbi inualeſcit affectus, & ſicut de eo dictum eſt: Verè tu es Deus abſconditus: ita de eodem dici poſſit, verè tu es Rex abſconditus, qui non oculis materialibus videtur, ſed ex operibus eius Regnum clarè cernitur. Quare magnâ laude digni ſunt Reges, & Principes adorantes Chriſtum, & exultantes de Aduentu eius, atque gloriam Crucis exaltantes. En iam non ſolùm in diadematibus, ſed & in frontibus Regum crux illa fixa eſt, cui inſultabant, & inſultant inimici: iam ille, qui non ferro, ſed ligno vicit orbem, victorijs, & triumphis Regibus Chriſtianis rependet, & abundanter remunerat, quidquid honoris, & reuerentiæ in eo conferunt. *Bernardus.*

Dicat Conſtantinus Magnus, primus Chriſtianus Imperator vincens Maxentium, frangens Gottos, & fugans inimicos Chriſti. Referant Theodoſius, Iuſtinianus, & cæteri Principes Chriſtiani, quos glorioſos reddidit victorijs & triumphis. Narret Heraclius, iam in oculis omnium Chriſtianorum, fertur ille, qui odibilis viſus eſt inimicis mouentibus, atque agitantibus caput, & dicentibus: Si filius Dei eſt, deſcendat de Cruce, cùm potiùs dicere debuiſſent, aſcendat Crucem, & redimat perditum humanum genus, ſicut & fecit, de quo illi ſit laus & gloria in æternum: hinc Bernardus: *Quàm pulcher es* (inquit) *Angelis tuis Domine IESV in forma Dei, ſed quàm mihi decorus es Rex in ipſa poſitione decoris, etenim vbi te exinaniuiſti, ibi pietas magis enituit, vbi charitas plùs effulſit, ibi gratia ampliùs radiauit, & Diuinitas effulſit, quæ nunquam niſi ab alto innoteſcit*, ideòque à Iudæis ſola terrena meditantibus percipi non potuit: Diuinitatis quippè radius percipi non poteſt, niſi ima deſpiciantur.

Bernardus ſuper Cantic. & ſuper illud: Ecce tu pulcher es dilecte mi, ecce tu pulcher es, Vbi geminatur pulchritudo.

CAPVT III.

Chriſtus Dominus eſt Rex ſublimior Regibus ſublunaribus aſſumptione ad Dignitatem Regiam, gubernatione, & munificentiâ.



PErplexum eſt apud viros Politicos, quid præſtet magis, an ex omnibus ciuibus optimum deligere, & in faſtigium dignitatis Regiæ extollere, an verò eis, qui Regio ſanguine naſcuntur, Sceptra Regni, & Coronam relinquere, vel certè Comitiornm ſuffra-

20\. suffragijs, quis igitur modus magis faueat felicitati & Regno, inter se decertant? Et illi quidem, qui suffragiorum iure Regem eligendum existimant, asserunt eligendi morem opportuniorem, tùm vt ciuilia imperia constitutioni Regis Sacrorum conformentur, dùm & Rex Sacrorum, & Ciuilis imperij Rex electione in sede Regiæ Maiestatis collocatur: Tùm etiam qui maiores gratias quisque Regum electoribus habebit, memorq; ab Optimatibus se electum, moderatiùs vtetur in eos creditâ sibi potestate. Tùm deinde si in infantem puerum, in imbecillis animi Dominum, summam rerum, fortuna ludibrium transferret, quid hac luctuosâ successione acerbius? sapientem perfectum excipit electio, ignarum artis regnandi, (ex cuius erratis omnium pernicies pendet) successio tradit, ita quòd si hæreditatis iure habent, vt regnent, iure eodem, vt Respublica pareat, relictum esse videtur. Deinde an Regia gratia Regum, vel Reges gratiâ Regnorum nomina dederint, certant Politici: plures affirmant Regiam dignitatem repertam esse pro tuendis populis, & Regnis, salubrius itaque videtur, sicut in Sacris comitijs, ita & in profanis eligendorum Principum morem obseruare. At verò in oppositum vrget, & Optimatum arbitrio, qui successione exarmantur, ne aliquam Regni opem habeant, si enim illis hæc fiducia accederet, posse quoque Regno potiri, quid non attentarent? Ast vbi fortuna regnandi stirpe in vnum consensit, dùm aduertunt pueros, vel in Curia, vel priusquàm lucem subeant in purpuram natos, nihil tale audent. Et sic obstupescit superbiæ gustus, vrgent prætereà electionis incommoda, vix etiam separari possunt, quia & à Comitijs, vbi largitionum, armorumue copia congeritur, vbi multi genere amicis pares, neque cedere inuicem poterunt, neque omnes regnare. Quod si in duos candidatos studia diuidantur, amboq; in Regnum se ingerunt, quid hoc perniciosius? dicat Regnum Poloniæ, referat, quàm cruenta cædes fuerit inter illos duos candidatos, Sigismundum III. Regem Regni Sueciæ olim natum, & Maximilianum Archiducem Austriæ?

Num melius sit Reges suffragijs eligere an ijs, qui Regio sanguine nati Coronas & Sceptra, stirpe relinquere.

Quid de suffragatoribus denique existimandum est? si suffragia vendant cum summo Reipublicæ incommodo, siquidem tunc non ad virtutem, non ad notitiam artis regnandi, sed ad munera respiciunt; fatendum itaque est, vtrobique plura incommoda reperiri, & dùm stirpe ad purpuram Reges nascuntur, & cum suffragijs comitia ducunt, ita vt difficile sit iudicare, quid mitiori tempestate, & procellis agitetur? Quare tutior omnibus nostri Regis Christi Domini ad Regiam dignitatem assumptio est, quæ nec publicis rebus nocet, nec aliqua incommoda affert, sed vndequaque vtilissima est, quippè nec stirpe humanâ & potentiâ, nec suffragiorum pluralitate in Maiestate Regia collocatus est, ipso sic testante. Non

vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi. Et quanquam ſtirpe Diuina ab æterno ſit proclamatus Rex, ex Rege Diuino genitus, non tamen ille idem, vt homo, ſuffragijs euectus eſt, ſed alio digniori & vtiliori modo, ſcilicet, vnione naturæ humanæ ad hypoſtaſim, ſeu perſonam Verbi, in quo maximè excellit, & ſuperat dignitatem Regum ſublunarium, vt ſupra dictum eſt. Superat itaq; Chriſtus alios Reges aſſumptione in imperium. Superat item & imperio, atque gubernationis modo. 21.

Tutior eſt res Regis noſtri Chriſti Domini ad dignitatem Regiam aſſumptio, ideoq; Chriſtus Dominus ſuperat alios Reges aſſumptione, imperio, & gubernationis modo.

Tres gubernationis formas, ſeu ſpecies in Ethicis & Politicis refert Ariſtoteles, ſcilicet, iuſtas, & totidem iniuſtas illis oppoſitas, ſeu labes, & transgreſſiones iuſtarum, prima, eaq; digniſſima gubernandi forma, atque Diuiniſſima eſt Regum, tum deinde Ariſtocratia, ſeu ſtatus Optimatum, & tandem Reſpublica, ſeu Politia, his oppoſitæ ſunt Tyrannica Oligarchia, ſeu paucorum potentia, & Democratia, ſeu ſtatus popularis: prædictæ ſpecies gubernationis conueniunt in eo, quòd vel ſunt ab vno, vel à pluribus, vel ab omnibus; differunt autem, quoad iuſtum, vel iniuſtum, nam regimen Regum eſt iuſtiſſimum, & rectiſſimum ex pluribus rationibus, vt habet Ariſtoteles in Politicis, comparando gubernationem Tyrannicam ad Regalem; tum quia Reges dominantur populis, non renitentibus, ſed conſentientibus & volentibus, tum quòd Reges dominantur, non ſolo voluntatis proprio arbitrio, ſeu poteſtate arbitriâ, ſed etiam poteſtate legali, ſiue iſte modus gubernandi iuramento fuerit confirmatus, per eleuationem Sceptri, vt antiquitùs fieri ſolebat, teſte Ariſtotele in Politicis, vel per aliud quodcunque ſignum, vbi etiam proponit dubitationem, an expediat magis ab optimo homine regi, quàm ab optimis legibus, & propoſitis inconuenientijs pro hac, & illa parte, determinat, quòd ab vtroque; monet tandem, quòd omnia ſecundùm præſcriptum legum agere, graue eſt Regibus, & cum ſubiectione nimia diſtrahens à regimine Regio, hoc quippe proprium eſt Conſulibus, & Rectoribus Ciuitatum, & Politicis gubernatoribus, per quod differant à Regibus, quia agere illis non licet, niſi ſecundùm formam legum eis traditam, vel arbitrio populi in Democratia, vel Optimatum in Ariſtocratia, vltra quam iudicare non poſſunt; Reges autem non ſolùm legalem, ſed etiam arbitriam poteſtatem habent, vt habet D. Thomas. Agere etiam independenter omninò à legibus ex voluntate propria, non facit gubernationis Regiæ ſpeciem, vt ibidem ait Ariſtoteles; ſed illi ſoli, qui eſt tanquam Deus in hominibus id competit, quia in talem non eſt lex, ipſe enim eſt lex: *Etenim ridiculus eſſet, qui illum legi ſubijceret, quoniam ibi mens abſque appetitu lex eſt*, inquit Ariſtoteles. Cæteris Regibus terræ perſuadet Iuſtinianus Imperator, vt legibus obtemperent, ſeque legibus obnoxios profiteantur, & ſecundum illas

Ariſtoteles 3. Politicorum cap. 11. & 12.

D. Thomas de Regimine Principum lib. 3. cap. 21.

22.

Ridiculum eſt Chriſtum ſubijcere legibus.

Ariſtoteles. Iuſtinianus.

illas gubernent; dum ait. Digna quidem vox, imò verò digna virtus Maieſtatis regnantis eſt, legibus ſe alligatum Principem gerere, ne dum profiteri, ſuamque authoritatem de eorum authoritate æſtimare, & eum ad eandem Rempublicam, ſicut caput ad corpus pertineat, pari iure cum membris degere: & hoc eſt, quod olim docuit Ariſtoteles in Politicis.

Qui igitur legem (inquit) *præeſſe iubet, videtur iubere Deum præeſſe, quoniam libido obliquos agit, etiam viros optimos.* Atque in hoc etiam ſuperat Chriſtus Dominus cæteros Reges terræ, quoniam ipſi licitum eſt independenter à legibus agere, & iudicare, non eâ ratione, quâ Tyranni, ſed quâ ipſe eſt ſibi, & alijs lex, quoniam Deus eſt in hominibus, ſeu Deus & homo, cuius voluntas eſt lex, & regula operabilium rectè. Hinc, dum de facto ad iudicandos Ciuiles cauſas euocatus eſſet, à Phariſæis præſentantibus illi mulierem, in adulterio deprehenſam, quam Moyſes lapidare præcepit; Chriſtus Dominus omni controuerſiâ, & ſtrepitu Iuris abiecto, atq; legis Moſaicæ, digito ſcribebat in terra: ſcilicet, peccata grauiora Phariſæorum, vel certè diſpenſationem in lege, vt ait Rupertus; Digito (inquit) ſcribebat in terra, innuens tam ſapienter, quàm humiliter, quòd eſſet Dominus legis, & quòd ſuperior eſſet Moyſe: vel deniq; ſcribebat in terra, vt erudiret Iudices priùs digito diſcretionis, illos debere intùs diſcutere ſeipſos, quàm temerè iudicare, & diligenter aduertere, vnde proceſſerit accuſatio, quæ ſit cauſa & origo eius, & non facilè credere, vt ait Gloſſa. Quare, relictâ muliere, receſſerunt Phariſæi: quia non tantùm homines ceſſant à perſecutione illius, cui fauet Chriſtus, ſed & Dæmones fugiunt ab ipſo. Eapropter, dum eiecti ex templo ementes & vendentes Iudæi, quærebant ab ipſo, quâ lege id faceret: verbis nil reſpondit, ſed factis: inſinuans, quòd id faceret lege zeli honoris Dei Patris, quem lædebant Sacerdotes, dum aliud prædicabant, & aliud faciebant, (inquit D. Thomas.) Et ſic ſuis ſe vocibus damnabant, & ridiculos ſe Dæmoni exponebant; dum ea, quæ agere reſpuebant, prædicabant: dum templum Dei honore dignum eſſe prædicabant, & in eo mercaturam exercebant.

23. Et quanquam Rex noſter Chriſtus Dominus, non neceſſariò erat ſubiectus legib9, in quo ſuperat alios Reges, voluit tamẽ eas obſeruare, & adimplere: vt eos edoceret, quòd laudabile eſt legibus obnoxiũ eſſe: & dicebat. Non veni ſoluere legẽ, ſed adimplere; vnde & ſuauiſſimum fuit eius imperium, ſiquidem attingebat à fine vſque ad finem fortiter, & diſponebat omnia ſuauiter: Reges ſublunares cum magna difficultate, imperium forte & ſuaue ſuſcipiunt, & multoties propterea potiùs pluribus, quàm bonis placere debent, ad comparandum animum ipſorum, quia non ſunt Domini mentis, & animorum. Chriſtus autem, dominatur ſubditis, etiam quoad

Chriſtus Dominus voluntariè ſe legibus ſubiecit, quas obſeruare non tenebatur.

quoad animum: ideò dixit. Ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum: cor, & animum. Iam verò, in quo differt laudabile Dominium à Tyrannico, & quod maxime facit venerandam Maiestatem Regalem, atque Reges constituit, & à Tyrannis diuidit, est, vt plus diligant bonum commune, quàm priuatum: atque plùs attendant ad vtilitatem communem, quàm propriam; vt habet Aristoteles in Politicis. *Omnia quæ illius sunt, bono communi dedicare debet, labores, pericula, vitam*, adeò, quòd Doctor Subtilis in disputationem vocauerit. *Aristoteles 4. Polit. c. 10. D. Subt. in 30.*

An fortis Politicus propter solam virtutem, & decorem eius, & bonum commune, ignorans, de futuro præmio à Deo conferendo in cælo, vitam propriam possit exponere morti? In hoc quippe maximè enituit adoranda Regia Maiestas Christi, quòd magis dilexerit Ecclesiam, & salutem animarum, quàm suam, magis quàm suos, magis quàm seipsum. De cælo venit, relictis Angelis, qui creatione & possessione ad eum spectabant. De cælo venit, relictis gaudijs cœlestibus, propter salutem hominum, eò quòd magis eos dilexerit, quàm sua: magis quoque dilexit bonum commune Christianorum, quàm suos, abiecit postulationem Matris filiorum Zebedæi, eosque redarguit, quòd honores postulauerint, dexteram & sinistram, nullo habito respectu ad bonum commune Martyrij, & Passionis pro eo sustinendæ, non attendens ad affinitatem, sed ad necessitatem. Petrum quoque, quem diligebat, etiam priùs canonizauerat, ob confessionem Diuinitatis in persona eius, rigorosè redarguit dicendo. *Vade post me Sathana*, sequere vestigia mea, & desine præponere bonum priuatum bono communi, cùm in monte Thabor dixit: Faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnum. Laude dignus esse videtur, quoniam decet probum famulum, non sibi, sed Regi gloriæ Christo, & amicis eius, Moysi, & Heliæ, vlteriorem gloriam desiderare: & tamen vt ignorans corripitur, quia toti humano generi proficuum per passionem Christi acquirendum neglexit, & bonum priuatum, scilicet, gloriam Christo appetijt, semel degustata gloriâ, optimum sibi ibidem semper esse cogitauit; nec etiam in hoc errauit, sed quia bonum priuatum bono communi prætulit. Tandem magis dilexit Christus bonum commune Christianorum, quàm seipsum, quia cùm esset Maiestatis coæternæ cum Patre, vt seruos gloriosos faceret, atque ex seruitute in libertatem eleuaret, factus est seruus, vt gloriosos redderet populos, se exinaniuit. Quid enim gloriosius quàm efficere, vt tanta fœditas priùs errantium populorum, in vnam sanctæ Ciuitatis pulchritudinem conueniret? Vt saluarentur nautæ à tempestate maris, missus est Ionas in mare, qui fuit tempestatis causa: at Christus Ie-

24. An fortis Politicus ignorans æternum præmium, & bonum commune, debeat se exponere periculo mortis, exemplo Christi Dñi.

Ambrosius.

Matthæi 16. num. 23.

stus Iesus, cùm sit innocens, pro peccatoribus Cruci affigitur, & qui nul-
25. lius peccati fuit causa, pro peccatis nostris moritur.

Christus Dominus bonũ commune magis dilexit, quàm suos, & quã seipsum.

Fuit fortè transgressor legum, aut seditiosus? Minimè. Quia iussit dare Cæsari censum, & ipse soluit tributum. Fuit forsan insolens, & ambitiosus? Minimè, imò Rex pacificus & humilis. Fuit fortè vindicatiuus? Minimè. Nam præceptum eius est, Præbe illi & alteram maxillam, si fortè percusserit te in vnam. Fuit fortè auarus? Minimè, quin imò docuit. Si habes duas tunicas, des vnam pauperi. Sed dixit se Deum esse verum, nonne id in natiuitate eius recognouerunt Angeli? Tres Reges item adorantes eum? Nonne illi vt Deo obediunt omnia, terra, elementa, infernus, mors? & tamen innocens mittit se in mare Passionis. Causa igitur mortis eius fuit obediẽtia Patri, & conseruatio iustitiæ, vt habet Doctor Subtilis. Vt verum sit, quòd plùs dilexerit peccatores, quàm seipsum. *Non expectatur ratio, vbi trahit affectio*, sed Christum Dominum traxit & dilectio, & ratio; inquit Bernardus. Requirit quoq; in Regibus Aristoteles, vt regnent virtute, non passione, non auarè, ne aliorum bona rapiant, non irâ aut odio, ne subditorũ fundant sanguinem, & ex viuis faciant mortuos, non crudelitate, sed pietate, compatiendo & subueniendo subditis, non vt Tyranni, sed vt Patres. Verùm & in hoc superat Christus Dominus cæteros Reges.

Bernardus.

Virtus facit Reges, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: Sed si vnius viri virtus, maior est omnium aliorum virtute, huius Maiestas Regia, & Genus Regium est sublimius, & hunc vnum esse Regem, inquit Aristoteles: & subdit. Neque interficere, neque in exilium agere, neque relegare hunc posse decet, neque dignari, vt per vices gubernet, non enim naturâ fit, vt pars totum superet, habenti verò tantam excellentiam hoc accidit. Restat ergo vt huic suadenti pareatur ab omnibus, inquit idem. Cùm igitur Regem nostrum Christum Dominum, non solùm virtute præstantem, sed omnium virtutes continentem, sit euidens; iustum est, vt illi pareamus, nec vnquam ab eo separemur, & siue in morte, siue
in vita dicamus. *Viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi*
26. *Rex, siue in morte, siue in vita, siue in Maiestate, siue in humilitate, siue in Cruce, siue in Throno gloriæ, ibi erit seruus tuus.*

Aristoteles.

Bonum regimen est, vbi imperans gubernat virtute non passionibus, in quo superauit Christus Reges terræ, item in sanctitate, & munificentia.

Nulla etiam passio, aut appetitus inordinatus in Regem nostrum Christum cadere potuit, & licet videretur irasci eis, quos flagellis pepulit ex templo, ista tamen non fuit passio, sed propassio, quia dicta & facta eius non antecedebant, sed sequebantur rationem, quod cæteris Regibus non est concessum, nisi ex virtute & priuilegio speciali. De peccato autem nec mentio facienda est, siquidem sicut fuit Beatus ab instanti Conceptionis, ita & impeccabilis.

Inter

Inter Reges Iſràél optimi fuêre illi tres Reges, quorum mentionem facit Eccleſiaſticus dicens: *Præter Dauid, Ezechiam, & Ioſiam, omnes peccatum com-* *Eccl. 49. ℣. 5.*
miſerunt. Cæterùm & iſti abſque peccato non fuerunt, ſed quia pœnitentiam egerunt, dicuntur non peccaſſe, quia quem pœnitet peccaſſe, ferè innocens eſt. Triplex enim eſt innocentia. Naturalis: ſic Chriſtus fuit innocens. Baptiſmalis, & Pœnitentiæ. vel dicuntur non peccaſſe peccato Idololatriæ, vel in arte Politica, in gubernando regno.

Tandem ſuperat Chriſtus Dominus Reges terræ in manſuetudine. Reges terræ ad oſtendendam, ac manifeſtandam propriam potentiam, ad mouendum & inculcandum timorem ſubditis in imperio, ad abigendos & terrendos hoſtes, vtuntur, pro ſignis & ſtemmatibus, feris, quæ naturâ ſunt immanſuetæ, vt ſunt Leones, Dracones, Aquilæ, eaſque in vexillis oſtentant. At Chriſtus Dominus pauper & manſuetus, in vexillis imperij ſui geſtat manſuetudinem, & lenitatem: aſſumit ea animalia, quæ naturâ ſunt manſueta pro inſignijs, vt ſunt Columbæ: arma Paſſionis, ad declarandam manſuetudinem & paupertatem, quâ ſubiecit hoſtes: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus & pauper: vnde Bernardus ſuper illud Lucæ: *Hoc ſignum vobis, inuenietis infantem pannis inuolutum.* In ſignum poſiti ſunt panni *Bern. ſerm. 4.*
tui Domine IESV, ſed ſignum, cui hodie à multis contradicitur, ab illis *de Natiuit.*
ſcilicet, qui non meminerunt, quod de te dictum eſt: *Ecce Rex tibi venit man-* *Zacharia 9. 9.*
ſuetus (aliàs pauper.) Cæteri Reges ſuper iugum ſubditis imponendum *Matth. 21. 5.*
depingunt flagella, funes, & catenas, fuſtes, & vincula: hic Rex ſuper iugum, vt leue ſit ſubditis, depingit palmas, Sceptra & Coronas; ſuperat igitur omnes Reges terræ in modo gubernandi. Quanta enim maieſtas illius, tanta & miſericordia, ita quòd ideo iſta, quia illa, inquit Lorinus. *Ioannes Lori-*

Superat deniq; in munificẽtia Rex noſter cæteros mũdi Reges. Nullus *nus in cap. 11.*
Rex in mundo reperitur tam liberalis, & opibus abundans, qui plùs deſi- *Sapient. ℣. 24.*
deret dare, quàm neceſſitatem patientes appetant accipere. Excedit hoc naturam opum temporalium, quæ bipartitæ, & in plures diuiſæ diminuuntur, & tandem deficiunt, & quemcunque ditiſſimum deſerunt, ac pauperem relinquunt. Rex noſter plùs poteſt dare, quàm totus mundus accipere: quoniam non ſolùm in abyſſis habet theſauros, aurum, gemmas, lapides pretioſos; ſed etiam in theſauris habet abyſſos. Et quia liberalitas Regum procedit ex bonitate, bonitas tamen illa eſt finita, bonitas verò *Diuus Thomas*
noſtri Regis infinita eſt: vbi autem origo fontium, & riuulorum eſt angu- *c. 14. de regi-*
ſtior, ibi riuuli tenuiores. Superat item directione in finem. vt habet D. *mine lib. 1.*
Thomas fuſiùs.

Quæſtio eſt inter Philoſophos, quodnam deſiderium ſit maius? num a- 27.
nimæ ad tribuendam vitam corpori, & viuificandos ſenſus illius, an verò *Bonitatis re-*
dundantia fa-

eit, vt potiùs anima deſideret informare corpus, quàm corpus ab anima viuificari. Chriſto iucundius eſt beneficia multiplicare, quàm nobis accipere, & ideo ſuperat alios Reges munificentiâ, &c.

appetitus corporis, ad recipiendam vitam ab anima? & ſupponunt vt certum, quòd anima ſeparata à corpore habet eſſe, ſed illud eſſe habet ſine officijs & exercitijs, quæ ei à natura competunt, ſcilicet, viuificare organa, & ſenſus corporis: quo ſuppoſito: Vnanimiter dicunt, magis animam deſiderare viuificare corpus, quàm corpus viuificari ab anima.

Rationem aſſignant, quia hoc, quod eſt viuificare corpus, prouenit animæ à natura bonitatis, & redundantia vitæ: hoc autem quod eſt viuificari, prouenit corpori à neceſſitate. Simili ratione, deſiderium conferendi beneficia, prouenit Deo à propria bonitate, & liberalitate, quæ ſuperat hominum paupertatem, & amorem proprium, atque deſiderium accipiendi. Præterea dona Dei, per hoc, quòd conferuntur, non minuuntur, ſed ſunt ſimilia: & ita ſe habent ſicut oleum Prophetæ, quod non minuebatur, ſed augmentabatur per multiplicationem & diuiſionem. Vel ſicut lux, quæ quantò plùs multiplicatur, tantò plùs augetur, plures accendens candelas non extinguit, ſed dilatat, & auget.

Nullus etiam eſt ex Regibus, qui dicere poſſet: Sum mihi ſufficiens. Solus Rex Tyri fuit adeò ſtolidus & amens qui id proferre auſus eſt, vnde & correptus. Ne dicas, (inquit) Sacra Scriptura: Sufficiens mihi ſum, Deus ego ſum, ego feci memetipſum: Cùm tamen nihil habuerit, quod à Deo non acceperit, qui & ſibi ſufficiens, nec aliquo indigens, à quo beneficia accipiat. Chriſtus verò, omnibus bona ſua diſtribuens, ſuperabundanter abundat, quoniam inexhauſta eſt eius gratia, & theſauri infiniti, quos ſi promittit, ex nunc confert. Non ſicut aliqui ex Regibus, de quibus dici poſſet, quòd ſint Reges verbales, promiſſione diuites. At Chriſtus Dominus, vt tibi totus commendaretur bonus, non ſic: non poteſt de illo dici, quòd labijs ſit Rex diues. Si enim promiſit cæcis viſum, mutis loquelam, mortuis vitam, ſtatim contulit: ita, quod idem eſt apud ipſum dicere, & facere; vt tibi totus commendaretur bonus, & dicendo, & faciendo, inquit Tertullianus. *Eâ tamen conditione beneficia ſua confert in homines, vt memoriâ teneant: quòd quantò plura quis accipit, tantò plùs debet, & ideo periculis maioribus expoſitus eſt.* Ramus frangitur fructibus onuſta, niſi fulciatur: ſic nimia beneficiorum fæcunditas requirit fulcrum: vt Deo, per modum tributi, & recognitionis beneficij, retribuamus, pro omnibus quæ de manu accepimus. Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: Si confeſſionis beneficium accepit de manu Dei peccator, recognoſcere debet dolore de peccatis, lachrymis, pœnitentiâ. Si de manu Dei accepit gratiam iuſtificationis, in recognitionem beneficij, moribus & vitâ Chriſtum imitetur. Reges terræ à ſubditis tributa accipiunt, quæ laboribus

Tertullianus contra Martyres 2. c. 4.

boribus comparauerunt proprijs: At Rex noster ea tributa repetit, quæ de manu eius accipiunt populi ei subiecti.

Hæc de munificentia Regis nostri Christi Domini dicta sunt, in quantum est Deus; nam in quantum est homo, etiam ipse, vel nomine eius dixerunt Apostoli; Dominus his opus habet: & sic ipse exemplo suo permisit Regibus, vt necessitatis tempore, à subditis subsidia postulent, quoniam vbi altior status, ibi maiores necessitates occurrunt.

An verò ad bonos Reges spectet, dum à subditis tributa & subsidia postulant, rationem necessitatis explicare, ad captandam beneuolentiam populi? Vel saltem optimatibus communicare, & consensum eorum requirere? profanis Politicis relinquo. Mihi sufficit id, quod parcè de munijs, & liberalitate nostri Regis protuli, concludere verbis Diui Bernardi. *Rex noster Christus totus nobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus est in Cruce*, de qua munificentissimè nos, atq; animas nostras ditauit. *S. Bernardus.*

CAPVT IV.

Christus Dominus Rex cæli & terræ perfectissimam instituit Rempublicam.

LOngum esset recensere opiniones Philosophorum omnium, quarum meminit Aristoteles in Politicis, de institutione perfectæ Reipublicæ: & Diuus Thomas, qui Monarchiam à Christo institutam perfectissimam esse docet, & quòd vniuersalis, & perpetua, & vtilissima. Vniuersalis quidem: Quia in omné terram exiuit sonus eorum; Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen Christi in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini eius oblatio munda. Perpetua verò: quia plùs durabit cæteris, & vsque ad præsens durat, & durabit vsque ad mundi renouationem, iuxta visionem Danielis suprà citati. Vtilissimam denique: quia Dominium Christi ordinatur principaliter ad salutem animæ, & ad spiritualia bona. Secundariò verò, ad temporalia, in quantum ad spiritualia ordinatur. Hoc idem nobis agendum est, suppositis ijs, quæ certa vel in opinione sunt, maximè apud Philosophos, & politicos profanos.

Arist. l. 2. c. 1. & vsque ad finem libri.

D. Thomas de regim. Princ. cap. 4. lib. 4.

28. Certum est autem inprimis omnem Rempub. siue Philosophicam, siue Christianam: institutam siue fundatam esse in puluere: & ideo mutabilis est, & nunquam in eodem statu permanet, sed à vento vanitatum rapitur, & dispergitur, nisi stabiliatur à Christo. Si quæ Respub. firma & stabilis dici poterat, sanè Israëlitici populi: præcipuè, quia eius institutor fuit Moyses, Deo instruente, & leges præscribente: nihilominùs ipsemet

Omnes Respubl. & Regna sunt fundata in puluere, & ad plurimum in vitijs: ideo instabilia, & mutabilia.

ipsemet Deus testatus est in puluere fundatam esse, dicens ad Ezechie-
Ezech. 4. n. 2. lem : *Fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te, & scribes in eo Ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersùs eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Nonne meliùs erat scribere eam in silice stylo ferreo, vel depingere in tabula lignea imputrefactibili, seu incorruptibili? Non (inquit Deus) quia cuiuslibet Reipub. fundamentum est debile, naturâ sua instabile, terra & cinis: siue illa terra subiecta sit ad conculcandum, vt sunt pauperes & subditi: siue altè collocata, quæ ab hominibus conculcari non potest, vt sunt Reges, Principes, Diuites, qui non habent superiorem, nec conculcantur ab hominibus, non vilipenduntur, in vita, in morte: tamen & huius, & illius terræ eadem conditio est. Reges & Principes, subditi & pauperes, sunt puluis: & Reges quidem, puluis aureus, alij argenteus, alij ferreus, alij æreus: Vniuersi tamen, ex quibus coalescit Respub. puluis sunt, ideo debile fundamentum est cuiuslibet Reipub. ex natura sua, nisi aliunde firmetur: quòd si fundetur in puluere fætido peccatorum, ruit:
Arist. lib. 7. Polit. cap. 1. teste Aristotele, & Sacrâ Scripturâ. Quare certum est Rempub. non posse institui, in vitijs & peccatis, etiam speciosa larua Machiauelica, simulatis virtutum tectis decora. Nam vitia potiùs destruunt Rempublicam. Elezarius Dux Lacedæmonum dicere solebat: A militibus Imperatorem potiùs, quàm hostem metuere. Nos autem dicere possumus: à vitijs & peccatis Regna & Imperia potiùs debere metuere, quàm ab hostibus. Vitia enim priùs depopulantur, animas diripiunt, thesauros virtutum deijciunt, ædificia alta visu bonorum operum prosternunt, dissipant fidem, excœcant intellectum, vinculant spem, & omnia quæcumque laudabilia cernuntur, depopulantur. Deinde propulsant Christum ex Regnis, magnoque interuallo non tam locorum, quàm morum locant: *quia longè à peccatoribus salus, & propè est timentibus se.* Vnde tot aduersitates eueniunt Reipub. nisi à vitijs? vt rectè dixerit Diuus Gregorius:
D. Gregor. in Moral. *Nequaquam terret exteriùs numerus hostium, quem non delectat interiùs turba vitiorum.*
Hier. 2. n. 19. Et ideo lamentatur Hieremias: *Scito & vide, quàm malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse apud te timorem eius.* Quia opprobrium populi peccatum, tollit multitudinem populi, inducendo pestem; tollit abundantiam victus, inducendo famem; tollit conseruationem in reliquis pertinentibus ad felicitatem Reipub., dum Numen Diuinum, cuius nutu Respublica conseruatur, ad iram erga Rempublicam concitat, &
Isaia 1. Vers. 8. ideo sequitur, quòd relinquitur à Deo, & remanet, *vt tugurium in cucumerario, vt ciuitas vastata gladio hostili.* Vnde regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitias, iniurias, contumelias, & diuersos dolos.

Exemplo

Exemplo esse potest vel solum Poloniæ Regnum, quod in maximam desolationem deuenerat, ob peccatum vnius Principis & Regis. Siquidem 29.
Boleslaus audax Rex Poloniæ, cùm esset Deo deuotus, virtuosus enim fuit, à principio multis virtutibus ornatus, & omnibus charus, plurimos Principes, & Regem Vngariæ, è sede sua pulsum, pristino honori restituit, Patriæ fines munificè propagauit, in omnes liberalissimus fuit, in audacia cæteros superauit. At postquam cœno vitiorum se immersit, ex tam bono Principe tyrannus factus est, & ferus in subditos, ac sancticida, atque truculentus carnifex: vnde & ipsum, & totum Regnum ad tantam afflictionem peccata induxerunt, vt vix Corona Regni ablata, cum summis difficultatibus iterum recuperata sit.

Boleslai Regis vitijs regnum Poloniæ bello & hostili gladio vastatum: quòd, dum esset ante virtuosus, fuit gloria, & fama auctum. *Miechouita lib. 2. cap. 16.*

Sola Diaboli Respublica, & Politia, in peccatis fundatur, nec meretur dici Politica: siquidem Politia in eo consistit, vt comptè disponantur pertinentia ad bonum commune, & felicitatem Regni: & ab eo nomen hoc sortita est. At in Diabolica Politia omnia confusa, ipse Princeps tenebrarum cæcus, cæcos habet ministros & consiliarios, qui non ad alia inuigilant, nisi, vt armis peccatorum depopulentur Regna Christianorum, & animas eorum in profundum inferni demergant, atque æternis tormentis tradant, quibus ipsi adiecti sunt. Nec iuuat ad instituendam Rempublicam in vitijs, si vitia sint virtutis speciosâ laruâ tecta, quin potiùs hoc ipso ruunt Regna opulentissima. Sedes Sapientiæ Græcia, in vitia lapsa, errores suos, bono honesto tegere satagebat, sed nil iuuit: vt vel ipsi Athenæ exemplo esse possunt. Lacedæmonius quidam à veniente Athenis, quid de ea opulentissima vrbe sibi videretur, quæsiuit? respondit ille. Omnia Athenis honesta; Multi ex circumstantibus putabant vrbem, Sapientiâ, diuitijs, victorijs, Academijs, & doctrinis splendidam, à Lacedæmonijs summis laudibus extolli: sed in rei veritate erat summum vituperium, & ironicum responsum; Nulla quippe maior confusio in Republica, aut vrbe, vel communitate reperiri potest, vbi omnia vitia putantur honesta, dum malum dicitur bonum, & vitium colore virtutis tegitur.

Sapientissimus naturæ author indidit vitijs, quæ iucunda & delectabilia videntur, quandam turpitudinem, à qua naturaliter abhorrent homines, vt sic, dum vitia homines ad se inuitant, & attrahunt bono delectabili, turpitudo & honestas illis intimè inhærens, eos à peccatis, & vitijs retrahant; vbi verò ad tantam malitiam deueniunt peccata, atque vitia, vt inhonestas in vitijs non attendatur, iam patent portæ ad omnia vitia, quo nihil peius, vt inquit Seneca: *Consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed placent, & desinit esse remedij locus, vbi, quæ fuerunt vitia, mores fiunt.* 30.

Regna vitijs ruunt, & multò magis, si virtutum laruis sint tecta.

Seneca Epistol. 39.

Primum igitur, quod Chriſtus Dominus egit in fundanda Republica Chriſtiana, fuit: Vitijs ianuas omnes claudere, & remedia debita contra eadem vitia adhibere; perſuadendo Chriſtianis ad bonum honeſtum in omni opere attendendum eſſe.

Non aliter proceſſit naturæ Author, in amouendis hominibus, à vitijs & peccatis, atque hortulanus peritus, qui circumdat hortum atque vineã foſſis, ſepibus, & ſpinis; vt hac ratione, ſi fortè aliquis pulchritudine fructuum, & aſpectu ſuaui moueatur, ad decerpendos eoſdem ſpinarum horrore detineatur. Quid ſi ſpinæ & foſſæ deſtruantur, quis non videt vineam eſſe expoſitam direptioni, atque latrocinio? Sic naturæ Author, ſpinis vitia & peccata circumdedit, ſcilicet, bono honeſto: dum igitur nulla eſt ratio boni honeſti, vel, quæ inhoneſta ſunt, pro honeſtis habentur, ibi vltimum Reipublicæ, aut communitatis exitium expectandum, in ianuis eſt: Quia vbi vigent peccata, nulla ſecuritas eſt: Vnde Iſaias ad

Iſaia 47. n. 1. Rempublicam Chaldæorum loquens ait: *Vltrà non vocaberis mollis, & tenera, tolle molam, & mole farinam.* Vitia enim & peccata demoliuntur Regna, ſicut lapis molaris grana. Hinc Diuus Auguſtinus ait: *Rempublicam infectam, & pluribus peccatis contaminatam potiùs tollendam, quàm tolerandam eſſe.*

5. Politic. & l. 7. Ethic. c. 8. Quod ſi in peccatis Reſpublica fundari non poteſt, in quo igitur fundamento conſiſtet? Proponit Ariſtoteles quæſtionem in Politica, & reſpondet multipliciter: atque inter alia, potentiam & opum abundantiã neceſſariam eſſe docet: ſed & hoc fundamentum Reipublicæ debile eſt, & felicitas temporalis, quæ in bonis externis, in abundantia opum fundatur. Decipiuntur, qui illius opinionis ſunt, quòd felicitas Regni conſiſtat in abundantia opum, bonorum temporalium, ſicut decepti fuerant

Pſalm. 143. num. vlt. illi, qui dicebant: *Quorum filij ſunt ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum craſſæ, &c.* Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Verùm opinionem illorum redarguit Propheta, quòd ſit vana & iniqua: *Os*, inquit, *eorum locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.* Et tandem ſubiecit ſententiam, quam ſequemur infra. *Beatus populus, cuius Dominus eius.*

Pſal. 143. n. 8.

31\. Hoc quoque inſinuauit Chriſtus Dominus, dum pro ſalute noſtra dolores & vulnera, à vertice capitis, vſque ad plantam pedis ſuſtinuit; noluit tamen cor & pectus lanceâ vulnerari, antequam efflaret ſpiritum, vt edoceret Principes Chriſtianos, & ſibi ſubiectos populos, ad hoc maximè attendere debere, ne bonorum temporalium copiâ, cor eorum lædatur, & abſorbeatur. Hæc opinio placuit Salomoni: *Diuitias* (inquit) *& paupertatem ne dederis mihi.* Ariſtoteles quoque eiuſdem ſententiæ fuit, qui illam Rempublicam beatam & felicem aſſeruit, cuius Ciues pie-

Regna non ſatis firmantur diuitiarum abundantiâ.

ues pietatem vulgò & iustitiam colunt, cuius finis est bene viuere; reliqua verò, gratiâ istius finis, scilicet bona externa, opulentia, societas, commercia, magistratus, &c. Et non sine efficaci ratione id dixit: nam si Ciuitas est solùm viuendi gratiâ, seruorum & animalium congregatio, esset dicenda politia, cùm tamen rationis capacia non sint, & de talibus dici posset, quod quidam de bobus pronuntiauit: *Gramine viuunt.* Item vnius Ciuis, atque totius Reipub. est eadem felicitas, vt habet Aristoteles in libro Politicorum: Sed felicitas vnius non consistit præcisè in eo, vt viuat: vt etiam insinuauit Diuus Paulus: *Non viuimus vt manducemus, sed manducamus vt viuamus*, & rectè operemur. Ergo tandem beatitudinis, & infortuniorum causæ debent esse contrariæ, defectus bonorum temporalium, est causa infortuniorum. Ergo & abundantia erit causa felicitatis. In Diabolica Politia sola bona temporalia faciunt beatum populum. Siliquias Draco præbet obedientibus sibi, vitricus enim cùm sit, alienis filijs non parcit, imò nec siliquijs permittit satiari, dicit Diuus Ephræm: *Promittit delitias, & præbet fel amaritudinis.* Quare concludendum est, quòd licet beatitudo, quòad corpus fundetur in pace, abundantia bonorum temporalium, glorioso imperio, non tamen quò ad totum hominem, Reipub. felicitatem affert. Beata illa Respublica est, cuius caput Dominus Deus eius: nam quæ in terrenis bonis tantùm fundatur, non habet oculos in capite, in Christo peritissimo Reipub. institutore. Caput illorum, qui Rex dicitur, iam non est Rex, sed potiùs Oeconomus, vel mercator censendus est, qui non in alium finem dirigit Rempublicam, nisi in bonum vtile; & vt mercator, vbi nullam vtilitatem sentit, ab illis operibus abstinet. Quasiuerò Deus, non hominis vitam quærat, sed diuitias & pecuniam, *& adeò quis euasurum se putet iram Dei, non quia bonus, sed quia diues:* inquit Saluianus.

Aristotel. lib. 7. Politic. cap. 2.

Saluianus libro 1. ad Eccl.

32\. Diuersæ opiniones de ampliando Regno.

Alij Rempublicam fundatam esse voluerunt, in Sapientia: ita Salomon, qui in tantùm dilexit Sapientiam, & Politicam prudentiam, vt cætera in comparatione illius nihil esse duxerit: super salutem & speciem dilexit illam; scilicet, Prudentiam, & Sapientiam. Quid desiderabilius salute? quid speciosius sole? de quo dicit Ecclesiastes: *Vas admirabile, opus excelsi, magnus Dominus, qui fecit illum.* Sanè laude digna est Sapientia. Sol splendidus est, nihilominus tamen præfert ei Sapientiam Salomon: *Pretiosior est* (inquit) *sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, inuenitur prior:* vbi de Sapientia creata & increata loquitur, præcipuè tamen de prudentia Politica Christiana. Et Sapientiam quidem increatam commendat ex virtute ac valore, pulchritudine & antiquitate. Nam pretiosum dicimus, quod est magni valoris ac virtutis: sic gemmas dicimus

Eccles. 43. n. 2.

pretiosas, quia habent vim & virtutem, ad tolerandas infirmitates, & iuuandam sanitatem. Adamantem dicimus pretiosum, quia habet magnum valorem ad resistendum contrarijs: Sol itaque pretiosus est, quia habet virtutem producendi metalla pretiosa, in visceribus terræ: Sed in comparatione ad virtutem Sapientiæ increatæ, pretiosior est Sapientia; est enim candor lucis æternæ, & speculum Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius: est prior luce solis, dignitate & æternitate. Sapientiam autem creatam præfert luci solari, quia illi succedit nox; Sapientiam autem non vicit malitia, perenniter lucet, sine periculo tenebrosæ malitiæ, nihil eam obtenebrare, aut labefactare potest, nulla iniquitas, nulla aduersitas, vel calamitas: vt idem Salomon ait. Cum sit vna, omnia potest, & in se permanens, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas instituit: cuius rationem assignat, quia scit præterita, & de futuris æstimat; scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum. Vnde alibi de eadem ait: *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Pretiosior est cunctis margaritis*, habet litera Hebræa. *Pretiosior est cunctis lapidibus Adamantibus*, legunt Septuaginta Interpretes.

Meminit & prudentiæ Politicæ, quam comparat dispositioni stellarum, & rectè. Quis enim explicabit sufficienter admirabilem ordinem, quem præpotens Deus, inter stellas & Planetas constituit, ad instar ordinis & dispositionis militaris exercitus? comparat similiter illam dispositionem Sacra Scriptura, ad militiam; dum stellas nomine militiæ cælestis appellat, dicens: *Et tabescet omnis militia cœlorum, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea, & de ficu.* Et sanè Ordo Politicus, rectè comparari potest Ordini stellarum: sicut enim talem Ordinem, inter stellas Deus constituit; vt non solùm vtilitati hominum influxu in inferiora deseruiant: verùm etiam contemplationi eius, quem Sol, Luna, & Stellæ mirantur: ita ordo & dispositio Politica deseruit, non solùm vtilitati hominum, verùm etiam beatitudini, & felicitati Reipublicæ, famæ, & reputationi. Id vel in ipso Regno Salomonis cernere licet, vbi Sacra Scriptura refert dispositionem & Ordinem, quem in illa Republica præscripserat Salomon, inter Principes, Duces exercitus, Magistratus, Aulicos, & Officiales, inter Scribas à Commentarijs, inter Sacerdotes, Præfectos: adeò, vt Regina Sabba videns omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & Ordinem inter Principes & seruos, stupefacta, non habebat vltrà spiritum, dixitque: *Verus est sermo, quem audiui super sapientia tua.* Verùm & hæc sapientia Salomonis, (euentus probauit) quòd sit puluis: nam & in persona Salomonis in vanitatem, & puluerem redacta

Isaiæ 34. v. 4.

cta est, rapta est vento vanitatis; & quod maius est, cùm ab initio fuisset puluis aureus per sapientiam, miserabiliter mutata est in puluerem abominabilem vitiorum: fuit ditissimus Salomon, sed diuitiæ in puluerem redactæ sunt: fuit potentissimus in auge dignitatis Regiæ, sed omnia in fauillam redacta sunt, & à vento rapta, ad instar statuæ Nabuchodonozor. Quare non est huic sapientiæ, scilicet Philosophicæ & Politicæ fidendum, nec in ea Respub. fundanda, ita vt sit perennis.

Sapientiam sequitur honor: & in hoc quoque felicitatem Regnorum, sicut & Personarum priuatarum, docuit Aristoteles in Ethicis consistere. 33.
Finis, inquit, *ciuilis vitæ est honor*: Vnde omnes honorem quærunt. *Honori*, inquit Aristoteles, *incumbit tam ignauus, quàm bonus*. Sed neque institutio Regni firma est in honore: nam virtus est honore præstantior: vt idem Aristoteles docet, & virtutem præfert honori. *Sanctum est*, inquit Aristoteles. Et octauo Ethicorum: *Nam neque bonus est is, qui bonis actionibus non delectatur, neque iustus, qui iustis non gaudet, neque liberalis, qui ex liberalitate non delectatur, & in cæteris eodem modo*; ac si vellet dicere: Si honor habet voluptatem, maiorem habet virtus: vt dicit idem. Item: *Honor deteriores facit*, inquit Aristoteles. Ex virtute quidem honor gignitur, qui cùm ingens fuerit, deteriores facit: & quod præcipuum est, cùm honor virtutis sit præmium, vt habet idem. Ergo virtus præstantior est honore, potiùs ergo Respub. fundanda esset in virtute: & hæc opinio magis ad veritatem, & firmitatẽ Reipub. accedit. Vnde & Aristoteles ait: *Impossibile est, sine virtute, felicitatem existere, nec bona temporalia ad felicitatem Reipub. spectare, nisi vt sunt subsidia virtutis. Nunc autem*, inquit, *vita optima & priuatim vnicuiq; & publicè ciuibus est cum virtute: externis facultatibus frui, quæ ad vitam, & actiones virtuosas sufficere possint.* Et paulò superiùs: *Nulla actio bona est, neque viri, neque ciuitatis sine virtute atq; prudentia.* Præterea, vbi est virtus, ibi pax & vnitas, quæ est finis præcipuus felicitatis Reipublicæ, & cùm virtus sit speciosissima, trahit ad se homines, eosq; ad vnitatem animorum redigit: & est persimilis Magneti, qui naturâ suâ trahit ferrum. Hoc Diuus Augustinus, experientiâ declarare volens, in certa distantia à Magnete, posuit annulum ferreum, quem attraxit Magnes, posuit tandem alium, quem similiter attraxit, & tandem tertium, ita vt tres illi annuli, viderentur inter se vniti, per communicationem virtutis à Magnete, primo annulo secundus, tertius secundo: sed postquam amouit Magnetem, annuli seorsim separati remanserunt.

Regna non satis firmantur honoribus.

Arist. lib. 1. Ethic.

Arist. lib. 2. Polit. cap. 5. & 6. Ethicorum 8.

Arist. cap. 8.

Arist. 3. Magno: Moral. c. 3.

Arist. 7. Polit. cap. 9.

Item cap. 3.

Aristoteles.

D. Augustin.

Itaq; sicut Magnes trahit ferrum, ita virtus trahit cor, & animum humanum.

Cæterùm quoniam supradicta sunt debilia Reipublicæ fundamenta; solùm enim afferunt temporalem felicitatem, quæ in æternum durare non

 potest;

potest: ideo opus fuit ea in altiorem gradum, legibus Diuinæ sapientiæ
34. eleuare, atque ad maiorem perfectionem deducere. Et opes quidem, etsi
Respublica fundanda est in virtute non in quacunq; , sed in illa, quæ docet viam in æternitatem. Reipublicæ vtiles, nimia tamen earum affluentia nociua esse solet; Vnde etsi Iob locuples, & diues fuerit, dicebat tamen sæpè. *Si putaui aurum robur meum, & obriso dixi, fiducia mea, & lætatus sum, in multis diuitijs meis, & quia plurima reperit manus mea*, & iure meritò: quoniam diuitiæ extollunt in altum, vt lapsu grauiori ruat, sicut homo opulentus, ita & Respublica diuitijs nimium affluens; quare necesse erat, ne opes nimiæ stultitiam pariant, aut oculorum extollentiam afferant, opus erat innotescere omnibus, præsentes diuitias esse fallaces, quæ cum hominibus diu permanere non possunt. Nec firmam Rempublicam reddere.

Iob.

Sapientia quoque Politica, etsi adeò sit laudabilis, vt dictum est, de mente Salomonis, in altiorem tamen gradum eleuanda erat, ita quòd non solùm doceat viuere, & bene viuere, sed semper viuere. Quid enim prodest homini viuere, si non adsit semper viuere. Hoc autem non præstat nisi sapientia Diuina, ingerens cordibus nostris Dei amorem, atq; timorem, & legum Diuinarum custodiam.

Virtutes Morales, etsi sint necessariæ, pro pacifico conuictu hominum, & priuatos homines amabiles reddant, non sunt tamen firmum, & stabile fundamentum Reipublicæ, si tantùm sint Morales. Sunt aliæ virtutes, quæ charos homines reddunt, non solùm hominibus, sed etiam Deo, non solùm deseruiunt, ad rectificandum appetitum sensitiuum, sed etiam ad dirigendam voluntatem, in his, quæ sunt ad Deum, atq; ad perfectam quietem, hîc, & in futuro sæculo, quod ignorabant Philosophi Morales.

Tacitus. Tandem honores, cùm multoties sint fomentum vitiorum, vt inquit Tacitus. *Superbiunt homines annuâ designatione, quid si honores longo tempore agerent?* præterea honores, nullum commodum afferunt eis, qui honorantur; quoniam honor est in honorante, non in honorato, vt communiter Theologi sentiunt.

Opus igitur erat ijs, qui gloriam dignitatum diligunt, atque culmen honoris quærunt, alios honores manifestare, & persuadere, vt si verum honorem volunt quærere, ad cæleste Regnum tendant; vbi honor, quo honorificat Pater cælestis seruos Christi, est in honorato, de quo Christus Dominus: *Mihi autem valde honorificati sunt amici tui Deus*; valde, inquit, quia temporalis honor euanescit, ille verò est æternus, nimirùm beatitudo æterna, quâ honorificat Deus ministros Christi.

Et quoniam Christus Dominus, tam perfectam Rempublicam instituit, in qua est spes vera & certa, non solùm feliciter viuendi, verùm etiam spes semper viuendi. Ideò prædicta omnia, opes, virtutes, honores, in altiorem eue-

rem euexit gradum, ita, vt essent iter ad æternitatem, & felicitatem perennem: ideo institutio Reipublicæ Christianæ, à Christo Domino, longè superauit omnia Politicorum instituta.

Hinc tandem sequitur, quòd institutum eiusmodi Regnorum Christianorum, & imperium Christi sit perpetuum, & æternum, vniuersalissimum, & vtilissimum, coniungitur enim cum æterno Christi principatu, & quia sicut institutum est, ita & Diuinâ ope subsistit, atque conseruatur. Non solùm enim Christus Regnum Christianorum instituit, sed & conseruauit, conseruat, & conseruabit in æternum: ideo antiqui Politici, instituere potuerant Politias diuersas, sed conseruare minimè id, quod de natura sua corruptibile est, teste Aristotele, poterant: Cùm etiam virtus sit in anima, quâ omnes homines viuunt, & non solùm viuunt, quia inquit Aristoteles: *Bene viuere est, in viuendo ex virtutibus iucundari, & hoc est finis & felicitas, & optimum, si sit in vsu, & actione.* Quod si bene viuere, non solùm longissimo vitæ tempore, sed in perpetuum aliquis concederet, ille perfectissimus legislator esset; & quoniam institutio Regnorum Christianorum, in populis Christianis, efficit vtilissimam institutionem, talis Regni esse fatendum est, in quo non solùm viuere, sed benè & beatè viuere, atque ad beatitudinem æternam peruenire posse, modus porrigitur, in quo institutiones antiquorum Polonorum defecerunt.

35\. Christus Dominus optimus legislator, in quo superauit omnia Politicorũ instituta.

36\. Bene viuere est plus, quàm viuere. Non satis est enim ad viuendum feliciter, bene viuere, nisi adsit semper viuere, & id à solo Christo habent Regna Christiana.

Est igitur institutio Regni Christi Domini perpetua, vtilis, & demum vniuersalis, quia ex omnibus sacrificijs, quæ instituerant antiqui, vnum instituit sacrificium Eucharistiæ, ita ex omnibus Regnis, vnum Regnum vniuersale constituit, quippe nullus iam est angulus mundi, nulla plaga, in qua nomen Christi non adoretur.

Verùm dicet aliquis, Respublica, Regnum, est congregatio populi, & status sub vno Principe, at & populus & Princeps (iam supra dictum est) diu durare non possunt, cùm sint puluis & cinis, quomodo igitur & institutum Christi, & Regnum eius poterit esse perpetuum? Verùm iam ex dictis facilè difficultas soluitur, licet enim (vt ita dicam) in puluere sit erecta hæc Respublica, est tamen perpetua & æterna, quia coniungitur æternæ. Nec solùm confert ea, quæ spectant ad felicitatem temporalem, sed etiam ad beatitudinem æternam, confert quidem sufficientiam eorum, quæ necessaria sunt, ad beatitudinem corporis, sed & illa, quæ ad beatitudinem animæ requiruntur.

Quapropter dicere possumus concludendo ea, quæ de institutione Regni Christi Domini dicta sunt: *Sit nomen Domini benedictum à sæculo, & vsq; in sæculum, quia sapientia & fortitudo eius sunt, & ipse mutat tempora, & ætates, transfert Regna, atq; constituit.* Gloriantur Reges, & Principes, ex Constitutione

Regno-

Regnorum, nomen gloriosum habent ab opere, quod erigunt; Sic à Roma condita Romulus, ab Antiochia Antiochus, ab Alexandria Alexander, Membrot à Babylone condita, prædarum nomen sortiti sunt, atque adeò, & vrbes illæ à conditoribus nomen acceperunt, & fama illorum longè, latèque peruulgata est. Quantò dignius est, vt Regnum & Monarchia Christiana, ab ipso Christo nomen accipiat, & nominis eius gloriam firmam, & celebrem statuat, atque benedictum nomen eius efficiat à sæculo, & vsque in sæculum? Non solùm enim instituit Rempublicam, vt viuamus, & bene viuamus, sed vt bene viuendo, æternam vitam mereamur. Instituit quoque Rempublicam, ad normam institutionis mundi, de quo loquitur Diuus Thomas fusiùs.

D. Thomas de nomine Principum lib. 1. cap. 13.

CAPVT V.

Christus Dominus dilatauit, & ampliauit Regnum proprium vexillo Crucis.

Sol non detinet radios, sed in totum mūdum diffūdit.

SOL visibilis cùm sit fons luminis, non detinet radios, neque in se occultat, sed in totum mundum eos diffundit, nec vnam aut alteram partem Hemisphærij, sed totam Sphæram orbis cœlestis, & terreni illuminat; Non minùs Sol Diuinus Christus Dominus, Politiam perfectè institutam multiplicauit per orbem, non in vno, aut altero Regno, sed per totum mundum dilatauit, & ampliauit.

37. De ampliando Regno, diuersæ diuersorum fuerunt opiniones, & diuersis medijs nationes imperio suo subiugare satagebant; alij libidine, alij ebrietate, alij crudelitate, & similibus vitijs: Sed hi etiam ipsis ethnicis Principibus displicuerunt. Vnde Romani triumphum denegauerunt illi, ac seuerè ipsum puniērunt, qui conuiuijs, & potationibus Scythicas nationes tributarias Romanis effecerat; Ideo qui seriò de Republica discurrunt, & intimè pertractant, alios modos ampliandi Regna esse volunt.

De ampliando Regno diuersæ opiniones & modi.

Et præcipuè sapientiâ, & literis, religione, armis, & thesauris, seu muneribus, vltra alios modos, vt potè clementiâ, & affabilitate, &c. Res certa est, quòd literis, & prædicatione, at Religionis promulgatione, multa acquiruntur Regna, quia vt dicit Salomon: *Vita est in manu linguæ*. Sic Moyses plura Regna subiecit populo Dei, religionis propagatione, virtute & beneuolentiâ, ac eruditione, populorum instructione, præceptis & mandatis Diuinis, docendo vt vnum, verumq; DEVM colerent, virtutibus insisterent, vitia autem detestarentur. Plures etiam armis deuicit,

alios

allos muneribus in amicitiam induxit, & populo Dei subiugauit. Moysen imitati sunt Reges Hispaniarum in occupandis Indijs, qui genti barbaræ, nullisq; moribus instructæ, doctrinâ Euangelij expositâ, instructioneq; veræ fidei Christianæ traditâ, ac documentis virtutum, quo faciliùs vitijs resisterent, porrectis, multas Regiones ac Prouincias Dominatui suo adiecerunt. Iuuârunt etiam eos gladij, armorum virtus, doctorumque amplitudo. Eadem ratione Vladislaus Iagello Rex Poloniæ, Lithuanos, amplum Dominium Regno adiunxit, dum etiam ipsemet nullum subterfugiendo laborem, in promulgando fidem Christianam, Euangelistæ & Ecclesiastæ officio functus est. Hi religione & sanctitate dilatabant Regnum, Græci literis & sapientiâ. *Græci sapientiam quærunt.* Romani autem imperium Romanum armis, & diuitijs augebant: vt Plutarchus, tractando de fundatione vrbis Romanæ, ait, refertq; initia eius eiusmodi extitisse. Romulus, à quo Roma nomen accepit, ædificauerat in exordio fundationis vrbis Asylum, illuc, qui confugisset, priuilegio loci, si erat seruus, non Dominis, si debitor, non creditoribus, si homicida, non Magistratibus tradebatur, ita quòd Roma tunc fuerit congregatio ciuium & vicinorum, è diuersis nationibus collectorum, qui vel propter aliquod infortunium, vel propter seruitutis pondus, vel propter timorem, proprio solo pulsi illuc se conferebant, quos, si serui erant, libertate donabant, debitores à debito absoluebant, si homicidæ, à Magistratibus & ministris iustitiæ defendebant, atque ita erat Ciuitas refugij, quæ armis totum sibi subiecerat mundum.

1. ad Corinth. 1. Vers. 22.

Plutarchus.

Roma armis subiecerat mundum.

Verùm dissidium est inter plerosque, quodnam genus prædictorum, ampliandi Regna & imperia, sit præstantius, & efficacius, & præcipuè, an sapientia, vel arma? quia de muneribus & thesauris minor est dubitatio, nam amicitiæ fœdera & Regna, quæ muneribus, ac donis acquiruntur, cessantibus & exhaustis thesauris, cessant; Sed de sapientia, & armis difficultas est. Item de sapientia, armis, & religione, nam an sapientia armis sit præferenda? controuersia est. Armorum possessio est antiquissima, sed antiquior scientia, quia & Deus, priùs est sciens, quàm pugnans. 38.

Num armis, sapientiâ, vel religionis promotione, aut thesauris Regna sint amplianda?

Similiter & Angeli priùs notitiâ & scientiâ prædíti fuerunt, quàm in prælium prodierunt, imò & homines, post creationem, priùs notitiam Dei acceperunt, quàm armorum.

Armorum quidem possessio est nobilissima, quod vel ex effectu ipso colligi potest, quia ex ea habemus honoris Dei defensionem, captiuorũ liberationem, Tyrannorum humiliationem, Regnorum pacem. Cæterùm literæ & scientia sunt Architectoriæ, illa Mechanica.

Item literæ efficiunt, vt suprà dicti armorum effectus prodeant,

 quia

quia docent ordinare castra, disponere, numerare, distinguere, scire bellare.

Nobilissima tandem est possessio armorum, ratione inuestituræ inde receptæ, quarum præcipuæ duæ sunt. Auxilium Dei speciale ad præliandum iuxta illud : *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Psa. 143. n. 1. Æternæ quoque vitæ præmium, teste Diuo Paulo : *Certa & apprehende vitam æternam.* 1. Tim. 6. n. 11. Sed nobiliores literæ, quia prædicta illis competunt, & plura alia, puta, quia finis pugnæ est pax, literarum quies, & decus; finis autem nobilior est ijs, quæ sunt ad finem.

Hanc opinionem approbare videtur Christus Dominus, qui non eo solùm fine descendit de cælo in terram, vt nos redimeret, sed etiam vt nos erudiret, viam ad cœlum commonstraret, lumenq; scientiæ mandatorum Dei communicaret. Præterea quæ armis possidentur, armis quoque eripiuntur, & amittuntur. Psal. 43. n. 4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram,* inquit Dauid, *nec brachium, &c.*

Verùm & alia se offert difficultas, an scientia, vel religio sit præstantior ad amplianda Regna? Scientia Græcorum imperium exaltauit. Iudæorum religio felicitatem propagauit Reipublicæ. Romani re militari & diuitijs excellebant, siquidem totum mundum subiugauerant imperio suo. 1. ad Corinth. 21. num. 22. *Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt,* inquit Apostolus. Verùm & Romanorum victoriæ, & Græcorum sapientia, & Iudæorum Religio, finem acceperunt ; quibus successit Christianorum authoritas religionis, & cultus Dei. De hac ergo quæritur, an sit efficacior ad amplianda Regna, quàm scientia ; & reuera scientiam plures gentes abominabantur, tum quòd cum magna difficultate acquiritur. Eccles. 1. 18. *Qui enim addit scientiam, addit laborem,* inquit Ecclesiastes, tum quòd inuidiam comparet. Sic enim indocti, persequuntur sapientes, sicut aues noctuam, eò quòd claros habet oculos, quos ipsi eruere percupiunt : tum etiam, quia scientia potiùs videtur esse in ruinam Regnorum, quàm in ampliationem, & dilatationem: vnde nonnullæ nationes spernunt, & impediunt scientiam, nec volunt sapientem, aut prudentem habere populum, eò quòd videatur bono regimini, & religioni obesse.

39. Moschouitæ solum Principem sapienté volunt.

Sic Moschouitæ, præter Principem, cæteros rudes & inexcultos esse volunt, existimantes subtilia ac sagacia ingenia, ad mouendas quascunq; nouitates (quo nihil est Reipublicæ perniciosius) aptiora esse : hinc cómuniter dicitur magna ingenia ad laborem, & miserias nata esse, vt quæ semper mouent aliquid, nec quieta, quiescere sinunt ; non rationes tantùm, sed rationum etiam rationes venantur, nec communi viâ incedunt, sed semper maius aliquid, aut melius inquirunt, nec aliorum inuentis acquiescere

quiescere solent. Deinde viri, non vulgari, ingenij dexteritate conspicui, diuitiarum sunt contemptores, magisq; ad dispergendas, quàm ad congregandas, & colligendas prompti, ideò nullis sumptibus terrentur, nec ob eorum magnitudinem timore afficiuntur, vt nec à summis difficultatibus extimescant, non considerantes quid fiat, sed quid secundùm præcisam, ac directam rationem fieri possit, ad quam tamen actiones non semper institui, ac dirigi debent.

Religionem etiam putant fluctuare Moschouitæ, cæterasq; nationes barbaras, vbi excellenti ingenij magnitudine viri Religiosi vigent. Hinc & Scholas institui non permittunt, & extraneos Doctores, à finibus Imperij sui arcent, ac ad colloquendum, cum Legatis extraneis, non nisi probatos admittunt.

40. Videtur tamen Religio aptior esse, ad dilatanda & conseruanda Regna, quàm scientia, vnde & D. Thomas monet, Principes, & Reges maximè debere attendere ad promotionem Religionis, & factâ mentione Salomonis, qui summâ solicitudine cultum Dei promouebat, docet Reges magis debere promouere Religionem, quàm quæcunque alia negotia Regni. Huius rei, inquit, est magis debitor Rex propter tria. Quia homo singulariter à Deo creatus, vniuersas res creatas superat. Cæteras enim creaturas, Deus dicendo fecit, cùm verò hominem producere deberet, inquit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Vnde Apostolus in Actibus, refert verba Aurati Pòete dicentis. *Ipsius enim & genus sumus.*

D. Thomas de regim. Princ. cap. 16.

Religio vera aptior est ad conseruanda, & amplianda Regna, sciẽtiâ, armis, & thesauris.

Gen. 1. n. 26.

Actor. cap. 17. num. 28.

Ex hac ergo parte debitores sumus omnes Deo in generali, ad Diuinam reuerentiam, quod est primum præceptum primæ tabulæ. Unde dicitur populo Israëlitico in Deuteronomio per Moysen, & per consequens nobis: *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est* Quasi ipse solus sit, cui debetur reuerentia & honor, in quantum ab ipso solo creati sumus, & singulari quâdam prærogatiuâ producti, & propter hoc habitâ consideratione tanti beneficij, subdit Moyses in eodem loco statim, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota fortitudine tua*: in hoc volens ostendere, quod totum Deo debeamus, quod sumus; Et in recognitionem eius, præceptum de decimis fuit institutum, ad quod quilibet obligatur, non in quantitate numeri, sed cuiuscunque rei, ex dictâ iam causâ. Iam verò, quamuis quilibet homo obligatus sit ad hanc gratitudinem, plùs tamen Principi, etiam vt priuata persona, pro quanto plùs participat de nobilitate humanæ naturæ, ratione sui generis nobilissimi, vnde trahit originem, ac nobilitatem, vt Apostolus probat in sua Canonica. Quâ consideratione motus Octauianus Augustus, acsi esset Christianus, (vt Historiæ tradunt) Diuinos honores non sustinebat, qui eidem exhi-

Deut. 6. n. 4.

 beban-

bebantur à Romano populo, propter corporis eius venustatem, & animi probitatem; creatorem & factorem proprium quæsiuit à Sybilla Tiburtina; quem vt inuenit, & adorauit, prohibuitq; edicto publico, ne ipsum vlteriùs aliquis adoraret, vel Deum, aut Dominum vocaret.

41. Sic igitur etiam in quantum homo, speciali iure tenetur Princeps promouere Religionem; debet etiam promouere Religionem in quantum Dominus, quia hoc Dominium à solo Deo accepit. *Non est enim potestas, nisi à Deo*, vt Apostolus dicit: Unde & vices Dei gerit in terris, vt dictum est suprà, propterea tota virtus Dominij eius, ex Deo dependet, sicut Dei ministri. Vbi autem est dependentia à Domino, necessaria est superioris reuerentia, vt in ministris Regalium curiarum contingit. Propter quod in Apocalypsi legitur; vbi quotiescunque agitur de cœlestium spirituum ministerio, & illis, qui dicti sunt quatuor animalia, (eò quòd potiùs agun-tur, quàm agant, ex vehementi irradiatione Diuinâ, & in ministerio confortantur) semper de eisdem subiungitur, quòd ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum: qui quidem duo Actus sunt Latriæ, seu Diuini cultus, vnde Nabuchodonosor Monarcha in oriente, vt scribitur in Daniele, quia proprium Dominum non recognoscebat, ideo etiam in bestiam est mutatus, & audiuit: *Septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud.*

Ad Rom. c. 13. num. 1.

Rex ampliùs debet promouere Religionem veram, & in quantum homo, & in quantum Dominus, seu Rex.

Dan. 4. n. 22.

Circa quod etiam monitus Alexander Magnus, vt Historiæ tradunt, vadens in Iudæam, cum proposito destruendi regionem totam, sed appropinquanti Hierusalē, dum in Pontificialibus Summus Pontifex occurrisset illi, cum ministris templi; placatus de equo descendit, & ipsum, vt vice Deum adorauit, atque ingressus templum, illud maximis honorauit donis, & gentem totam, pro Diuino amore, libertate donauit.

Non solùm autem vt homo, & Dominus, inquit D. Thomas, Princeps obligatur ad Diuinum cultum promouendum, sed etiam vt Rex; quia Reges vnguntur oleo sacro, vt patet de Regibus Israëlitici populi, qui oleo sacro inungebantur manibus Prophetarum. Vnde & Christi Domini vocabantur, propter excellentiam virtutis & gratiæ, ac coniunctionem ad Deum, quibus præditi esse debebant, ex qua vnctione consequebantur reuerentiam specialem, & delationem honoris. Unde Dauid deplorabat mortem Saulis, & Ionathæ, dicendo: *Quasi non esset vnctus oleo*, vt habetur in libro Regum. Hinc Romani, vt refert Ualerius: Omnia post Religionem ponenda existimabant, semper, inquit, nostra Ciuitas duxit etiam, in quibus summæ Maiestatis decus conspici voluit, vt Religioni imperium deseruiret. Et Aristoteles, primùm Dijs obsequia exhibenda suadet; & quasi omnes nationes in eo conueniunt, super omnia cultum, & reuerentiam primùm Dijs exhibendam esse.

2. Reg. 1. n. 21.

Iuuat

Iuuat Religionem etiam ſcientia ſupereminens, quæ eſt notitia cultus, & reuerentia Deo exhibenda. Sed hæc non diſcitur à Philoſophis, non aliunde hauritur, nec alibi deſcripta eſt, niſi in cruce Chriſti. In veteri teſtamento ſcientiâ colendi Deum, ex ſanctuario, edocebatur populus, vnde oracula gubernandi populum, bello, & pace. Sanctuarium Chriſtianorum eſt Crux, & Paſſio Chriſti, vnde edocentur Chriſtiani, qualiter colendus ſit ille, qui Regnum à ſe inſtitutum ita ampliauit, vt iam verum ſit, quod dictum eſt per Prophetam. *Et dominabitur à mari, vſque ad mare, & à flumine, vſque ad terminos orbis terrarum,* quod nulli Regum, ne ipſi quidem Salomoni conceſſum eſt. De Archidomo Strenuo Duce, & bellicoſo Imperatore ſcribit Plutarchus; quòd dum ab illo nonnulli quærerent, quantum ſe extendit Regnum Spartanorum? oſtensâ lanceâ, reſpondit; quouſque lancea hæc peruenerit. 42.

Scientia ſupereminens iuuat religionem, & firmat Regna.

Pſal. 71. n. 8.

Plutarchus in Lacon.

Quod ſi quis quærat à Chriſto Domino, quouſque ſe extendat Regnum eius, & ſi imperium eius ſit illuminatum? in quantum Deus, & in quantum homo reſponderet tamen: quouſque Crux eius perueniret, Cruce deuicit mundum, Cruce Regnum Chriſtianum dilatauit, vltra terminos orbis terrarum: quia in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Mos eſt Regibus Chriſtianis bellicoſis aſſignare terminos imperij ſui: Sic Boleſlaus Rex Polonorum, cùm eſſet bellicoſiſſimus, atque victorioſiſſimus Princeps, ad Albim & Sallam, & Oſam fluuios, omnia vaſtaſſet, in ripa Salle tres columnas ferreas, victoriæ munimenta, & Poloniæ limites poſuit Anno Dñi. 1612. Idem de Ruſſis victor, totidem columnas ferreas in Boriſthene ſeu Niepr, quâ Zula fluuius influit, ſtatuiſſe dicitur.

Cromerus.

Miechouita lib. 2. cap. 7. fuſiùs.

At Rex & Imperator noſter Chriſtus Dominus, non columnas ferreas pro limitibus poſuit, ſed Crucem: vt manifeſtaret, quòd non ferro, ſed ligno domuit orbem, & imperium ſuum ampliauit, adeò vt inquit Gregorius: Premit in timore, & format in amore. Horrorem incutit hoſtibus, & amorem infundit diligentibus. Sic itaque voluntates illorum deuincit, & ſubdit imperio ſuo, funiculis Hyacinthinis beneuolentiæ, & funiculis Adam, ſcilicet, tribulationibus trahit ad ſe omnia. Mirabilis ſanè modus ſubiugandi, & dilatandi Regnum, nec mirum, quia vt inquit Tertullianus: *Nouus Rex, nouum amplιandi Regnum modum dè cœlo attulit, non inuitè, ſed amore trahendo,* quia trahit ad ſe voluptate cordis. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui,* inquit Dauid. Delectatur homo veritate, delectatur iuſtitiâ, delectatur beatitudine, delectatur ſempiternâ vitâ; his delectatur & trahitur animus: habet & anima voluptates ſuas, cui dulcis eſt panis cœleſtis, atque eâ ſuauitate trahitur fortiùs, quàm ſenſus voluptatibus ſuis. 43.

Vexillo Crucis Chriſtus Dominus ampliauit Regna.

Gregorius.

Tertullianus.

Pſal. 36. n. 4.

Longè est hic modus ampliandi Regna à Pseudopoliticis, illi quippè status suos ampliant, nihil attendentes, num iustè vel iniustè? num secundùm leges Dei, vel contra? in solo iure status malè intellecto fundantur. Status, vt habet Doctor subtilis, est stabilis in permanentia, legibus Diuinis firmata, cùm tamen flocci pendant, an ampliatio prædicta sit secundùm leges Dininas, præter, vel contra easdem. Nec mirum, quoniam nec audire, nec nosse volunt ab eo, cui Diuinâ potestate commissum est, vt explicet, & ordinet; an talis ampliatio sit secundùm leges Diuinas; eamq; ordinet, quasi ore det, ore pronunciet & disponat, quid & qualiter agendum sit?

Hic est Summus Pontifex, qui intimare debet, quid facto opus sit, ipse quippè est mens gubernandi, & ampliandi Regna, & Principes sunt manus, quæ nihil attentare debent, nisi ad mentis intentionem, ad Summi Pontificis nutum; executio ad Principes spectat, sed intimatio ad Summum Pontificem; quemadmodum intimandi belli authoritas est penes Reges, sed ministerium exequendi penes milites; quemadmodum ergo si ad præscriptum Regis non militauerint milites, perduellionis rei iudicantur; sic nisi ad Pontificis nutum, in ampliatione Regnorum, & legum Dei, quarum ipse intimator est, processum fuerit, æque iudicandum est; vt igitur ampliatio Regni sit stabilis, conformis legibus Diuinis esse debet, quæ conformitas an sit iusta, vel non? à Summo Pontifice quærendum est, & tunc erit verum ius, seu ratio status (vt fusiùs infrà dicetur) & ampliatio Regni, secundùm voluntatem Dei: hic enim Ordo à Christo, in ampliatione Regnorũ constitutus est, qualis fuit inter ipsum & Patrem Diuinum, nimirum vt ea tantùm faceret, quæ Pater mandasset, de
Psal.148.n.5. qua promptitudine Dauid pronuntiauit: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Quibus verbis Patrem, suo nutu præcipientem, Filium iussionibus obsecundantem proposuit, & quia Patris voluntas erat, vt per Crucem Regnum suum ampliaret Christus. *Factus est obediens vsq; ad mortem.*

Talis igitur Ordo debet esse inter Christum & Ecclesiam, & inter Principes, vt nihil attentent, nisi, quod Christus, & interpres voluntatis eius, Summus Pontifex intimauerit, & consuluerit, ille quippè est voluntatis Christi interpres.

Gens quædam dicitur, quæ Principi procedenti manipulum frugum, Pontifici ardentem facem, præferri in insignia volebat. Sunt autem fruges ampliationis Regni Symbolum, sicut & fax omnimodæ illuminationis. Nullâ igitur ratione Regna amplianda sunt, vt sint stabilia, nisi consulto lumine facis Apostolicæ.

Hinc laude dignus est Rex Hispaniarum, in prudenti Regni sui ampliatione,

tione, per ſubiectionem barbarorum ditioni ſuæ, quòd, inconſulto Summo Pontifice, aggredi auſus non eſt.

Nec minori laude dignus eſt Vladiſlaus Iagello Rex Poloniæ, qui Regnum & ſtatum ſuum, Religionis Chriſtianæ propagatione ampliauit. Lithuaniam item gentem magnam & nobilem, nunc in deuotione & obedientia erga Sanctam Romanam Eccleſiam, nulli nationi inferiorem, & hoc benedictione Chriſti, & Summi Pontificis.

Cæterùm gentes Hæreticæ vituperio dignæ ſunt, quòd non iure ſtatus, (vt ipſi aiunt) ſed iure caſus, & pœnæ talionis, contra leges Diuinas, & humanas, libertatem, vel potiùs inſolentiam ſuam, in Prouincijs ampliant, fidem Orthodoxam Romanam, in Prouincias introductam, (vt non ſolùm felicitati eorum temporali conſuleret, ſed & æternæ) exulârunt, in libertatem conſcientiæ in infernum ducentis conſpirârunt: deinde ſeditionibus & armis, iugum obedientiæ & Religionis excutere, & abijcere audent: quâ temeritate Europam in pace quietam commouerunt, & ad arma prouocant. 44. Hæreſis fecit abominabile nomen Hæreticorum.

Vnde, quanta mala inter Principes, quantæ oppreſſiones inter populos? partim vidimus, partim ab alijs accepimus.

Quare odioſum, & abominabile nomen Hæreticorum omnibus, ſoli Lucifero, & miniſtris eius gratum, & ſuaue remanet: Cœleſti verò Curiæ, & Chriſto Regi ita abominabile, vt pœnâ talionis, pro ſublato iuſto Dominio, & ereptis Prouincijs, intentione libertatis conſcientiæ, & liuoris ſui magnificè dilatandi, breui caſtigandi ſunt futuri, quatenus pro libertate perpetuam ſeruitutem, pro inſolentia pœnas inferni, omninò expectent, maximè verò turbulenti Duces eorum, ac ſigniferi ambitioſi, qui quod in Republica quieta obtinere non poterant, in perturbato ſe poſſe conſequi ſperabant; Cùm enim ciuilis vitæ, finis ferè honor ſit, debeturq; honor ſolis bonis, qui ſe eo indignos vident, ita ſatagunt, vt vel obliquis vijs obtineant, vel certè impediant, quò minus meritis conferantur à Principe. Atque ita Principem teterrimis afficiunt calumnijs, quòd omnia peruertat, omnes publicè opprimat, tyrannum apertè agat, vt ſic & iugum ſubiectionis excutiant, & miniſtros ſeſe libertatis acquirendæ, Patriæque liberatores publicent, accincti auxilio mutuo, capite exciſo, inuicem inſaniunt.

❧)(o)(☙

TRACTA-

TRACTATVS SECVNDVS, De Regno, Et Rege.

CAPVT PRIMVM.

Splendor Regni præcipuus, quòd ſit ſtabile, & inexpugnabile, atque vnde ſit prædicta ſtabilitas aucupanda, illuſtratur.

Ariſt. 5. Polit. cap. 10.

MIrum pleriſq; Politicis, non infimæ ſortis, videtur, cur Ariſtoteles in Politicis dixerit? *Non fiunt nunc ampliùs Regna, ſed ſi quæ fiunt, Monarchiæ & Tyrannides magis ſunt; quia Regnum,* inquit, *ſpontanea gubernatio eſt*; cùm tamen non deſint, qui omnes ſpecies ab Ariſtotele enumeratas gubernationum eſſe in orbe proferant: Monarchias in Gallia & Hiſpania, in quibus ſucceditur per genus. Ariſtocratia plurimùm viget apud Venetos: Politia apud Genuenſes: Tyrannis apud Turcas & Moſchos: Democratia apud Heluetios; Regnum autem propriè apud Polonos, ſi Ariſtoteli credimus, qui id comprobat: *quia Regnum ſpontanea gubernatio eſt.* In Polonia autem ſubditi ſpontè parent Regibus, ibi quoque eſt & Monarchia largè ſumpta, quia adminiſtratur, & gubernatur Regnum in ordine ad bonum publicum. Eſt quoque vnus, qui dicitur Rex & Monarcha, ſic dictus à Monos, vt habet Plato. Communis tamen opinio eſt, etiam in Hiſpania & Gallia Regiam gubernationem eſſe. Nam ſicut fine, ita & nominibus diſtinguuntur ſpecies gubernationum, quoniam alius eſt finis boni regiminis, & alius mali; finis gubernationis bonæ eſt, publico bono, vt par eſt, ſtudere, & qui ſic regunt, vel ſunt Reges, & Monarchæ, vel Ariſtocratici, vel Politici, vt docet S. Nido: *Imperij*, inquit, *regula* (ô ſcientiæ imperandi explorator accuratiſſime) *hæc demum eſt, quæ ad ſubditorum vtilitatem omnia molitur: Nam qui Imperij diſciplinam, compoſitumq́; ordinem, in Tyrannidem & perturbationem immutauit, atq́; labores quidem ſubditis comparat, voluptates autem ſibi aucupatur, hic non Imperij, ſed Tyrannidis regulam, ac legem ſeruat, ſiquidem* Finis gubernationis malæ eſt, ſtudere bono priuato, & qui ſic gubernant, vel ſunt Tyranni, vel Oligarchæ, vel Democratici. Vbi igitur eſt Monarchia ſic ſumpta, eſt & Regnum, & è conuerſo: iam plures ſunt Monarchiæ, vt dictum eſt, ergo & plura Regna. Tandem eadem definitio competit Monarchiæ, & Regno. Regnum eſt, multi-

Plato 7. de Repub.

I. Species gubernationum ſicut diſtinguuntur fine, ita & nominibus.

multitudo Prouinciarum omnibus abundans ad bene viuendum necessarijs; sicut Prouincia est multitudo Ciuitatum; & Ciuitas est multitudo domorum, agro & pecunijs sufficienter abundans ad bene viuendum. Hoc idem & Monarchiæ competit; si ergo nunc adsunt Monarchiæ, igitur & Regna, cùm eadem definitione gaudeant.

Eadem quoq; est ratio institutionis, & Regni, & Monarchiæ, & vtraq; gubernatio sumitur ex parua, & maxima domo, seu ex institutione Oeconomica, quæ est simulachrum politicæ gubernationis, & institutione totius mundi ex re familiari, & productione, atque gubernatione vniuersi. Planè domus, siue familia naturalis, est quædam communitas, significans plures personas vni potestati, aut naturâ, aut iure subiectas, quibus, qui præest, paterfamilias dicitur.

Est autem homo, quatuor potissimùm ob causas, sociabilis; ob victus comparationem, ob vestitus præparationem, ob personæ defensionem, ob animi institutionem. Ob victus comparationem; quòd cùm cibo arte præparando indigeat, nec vnus ad omnia solus sufficiat, frumento scilicet serendo, colendo, metendo, triturando, molendo, ac in panem tandem redigendo, societate indiget in adiutorium simile sibi, quo vni rei occupato, alter alteri intendat. Ob vestitus præparationem; quòd neque ad hunc sibi sit satis, æque nudus à natura factus. Ob personæ defensionem; quòd solus animalium absq; defensionis instrumentis, & inermis productus, ea sibi manu comparare opus habet, ad quæ nec solus potest. Ob animi tandem institutionem; quòd non solo naturæ instinctu, vt animalia cætera, sed & rationis ductu operans verbis, & sermone, ad hoc ei à natura tributis, alter ab altero instituitur, quod fieri nequit, nisi vt vnâ morentur. Prædicta vt perficiantur, pluribus personis opus est, vnius potestati, aut naturâ, aut iure, aut genere, aut electione subiectis, in re quidem familiari, seu Oeconomica, naturâ, & iure, in Regnis autem, & Monarchijs genere, vel electione. Sic igitur ex comparatione ad Oeconomiam, Regnum & Monarchia non differunt: quia vtrobiq; est multitudo hominum, aliquo societatis vinculo colligata. Ex comparatione etiam ad domum maximam coincidunt; quoniam totius vniuersi Deus est Rex, & Monarcha, qui domum hanc maximam produxit, & ordinauit, vt testatur Moyses, proponens primò productionem partium vniuersi. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Deinde secundùm ordinem conuenientem, omnia diuinitùs distincta denuntians, quod item cernere est in domo magna Regni; præterquam, quòd domus parua ab eodem ædificatur, & in vsu est: similiter & domus maxima: domus autem magna, quæ est regnum, ab alio instituitur, & ab alio gubernatur. *Non est enim* (inquit Aristoteles)

2. Ratio institutionis Regni sumitur ex institutione Oeconomica, & totius vniuersi, tanquã ex parua & magna domo.

Gen. 1. n. 1.

Lib. 1. Oecon. c. 2.

in Regno eiusdem fecisse, & facto vti, seu regere, ac imperare, quemadmodùm lyra, & fistulâ.

3. Quomodo distinguitur Monarchia à Regno?

Cæterùm manifestum est, in eo differre Monarchiam, & Regnum, quòd Reges diademate coronati sunt, plures autem Monarchæ ad coronationis splendorem non peruenêre; quemadmodùm in Polonia non pauci ante coronationem Monarchæ è vita decesserunt, antequàm Summi Pontificis Romani authoritate, post sancticidium D. Stanislai, corona Regno restitueretur, ex quibus fuit Boleslaus Pudicus, Vladislaus Hermanus, & alij complures.

Illa verò differentia, quam habet Aristoteles, nimirum; quòd Regnum spontanea gubernatio est, minimè contemnenda est, quoniam multum confert in rem firmitatis, & inexpugnabilitatis Regni: quia quæ spontanea sunt, perpetuitatem sonant, & voluntaria coactis constantiora, atque gratiora, nullum autem violentum, perpetuum. Præterea obedientia voluntaria, atq; vltronea, præstantior est ad stabiliendum Regnum obedientiâ coactâ; voluntatis enim Regiæ intimationem propensiùs, & alacriùs sequitur, & exequitur, dilectione attractâ. Præstatur obedientia malo, & bono Principi, sed malo, obedientia tantùm; bono & obedientia, & amor. Felix est Princeps, & stabile Regnum eius est, cui obeditur, sed longè felicior, cui præter obedientiam, & amor præstatur, vt fusiùs infrà.

4. Disputatur, an Ciues & spontanei ministri, potiùs sint gubernandi suauiter, quàm fortiter?

An verò spontanei fortiter, vel suauiter gubernandi sint, in ambiguum vocant Politici. Non defuêre, qui assererent, spontaneis imperare, diuinum potiùs esse, quàm humanum, cùm ob difficultatem modi imperandi, tùm ob libertatis rationem, quæ spontaneis propria est. Vnde an suauiter, vel fortiter gubernandi sint, ambiguum est. Fortiter gubernandos suadent nonnulli, quòd & filij Principum sic gubernandi sint, minitando eis, nisi bonos, & dignos Regno se ostenderint, eo priuandos esse. Oppositum insinuat Tacitus. *Correctio* (inquit) *talis esse debet, vt non grauiora sint remedia, quàm delicta*: exemplificat de Imperatore. *Populum* (inquit) *per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere.* Quare salubrius, & ad firmandum Regnum efficacius existimant alij (vltra ea, quæ dicta sunt suprà c 4.) in imperando imitandum esse Deum, qui cùm imperet liberis, non solùm attingit à fine, vsque ad finem fortiter, sed etiam disponit omnia suauiter. Vnde D. Bernardus ait: *Qui à Deo noluit suauiter regi, pœnaliter à seipso punitur.* Itaque, qui suæ ipsorum vitæ Dominium in se habent, quod propriè libertas est, & vltroneè obsequuntur Regibus, non ob aliam rationem, nisi, quia diligunt, (si enim quid remunerationis expectant, id obiter est, ad suam indigentiam supplendam potiùs, quàm auiditatem explendam) suauiter gubernandi sunt; maximè, quia hi digniores sunt, magisque Principem decent.

Tacitus An. 3.
Idem an. 1.
S. Bernardus ep. 11.

decent. Digniores autem; quia nobiliores, nobilitate apparente, seu extrinsecâ, vt generis claritate, diuitijs, potentiâ, ciuili nobilitate. Item intrinsecâ; nempe virtutibus, & animi dotibus. Porro Principem virtuosum magis decent virtuosi subditi, & nobilem, nobiles apud se magis habere congruit, dignumq; dignos apud se habere subditos, laudabile est.

Nec filiorum gubernatio, quod obijciunt aduersarij, debet esse adeò fortis, vt non sit suauis, ne fortè assiduis minis assuescentes, hebetiores, & viliores reddantur. Vita enim icta minis, caret ingenio. Itaque de seruientium charitate, qui vltrò se subdunt Regibus, Dominorum fama excrescit, & inexpugnabile Regnum redditur, dum diligentes diliguntur, & vltrò obedientes pro honore dilecti decertant. Ex quo gloriabatur olim Dauid, dicens: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.* Sic subditi vltronei, parati sunt vitam propriam sacrificare, & expendere pro amore Regis, & Patriæ, vnde inexpugnabile Regnum euadit; & hæc est firmitatis prima causa, vt sit spontanea Regni gubernatio.

Altera, eaque præcipuè stabilitatis Regni causa est, vigil, & continua ad Deum deuotio, in cuius potestate sunt Regna, Respublicæ. Non priùs minatur ruinas Regnum Christianum, & murus Christianæ fortitudinis, quàm mentis oculus in Deo, saluteque prospicienda desinat vigilare, vt aduertit quidam modernus, & insinuauit, dicens ex Hieremia Propheta: *Factus est Dominus, quasi inimicus: præcipitauit Israël, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit omnes munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam.* Cinctus erat Israël fortissimis mœnijs, validissimis munitionibus, vndiq; accessit Dominus in hostibus, & priùs præcipitauit Israël, deinde mænia, tandem munitiones. In Vrbium expugnatione, priùs mænia, munitionesq; quatiuntur, præcipitantur, deinde per murorum rupturas, ad intùs agentem populum transitur. Inuersus est hic expugnationis ordo. Priùs Israëlem præcipitare, & post hunc, mænia, minatur Deus: Israël (interpretatur videns Deum,) quousq; Israël Deum videt oculo mentis, eumq; cogitat, & mænia, & munitiones, apparent inexpugnabilia, non expugnantur munitiones, nec diruuntur, nisi priùs ad Deum intendente mentis oculo diruto: vt quidam egregius Diuus ait: *Primum* (inquit) *præcipitat Israël, quando munditiam cordis aufert, ne diuina possit videre, tunc deinde præcipitauit omnia mænia eius.* Oculorum vigilantia est, quæ mænia, & munitiones firmat: dum oculus Deo intendit, inexpugnabilia, domus, & mænia redduntur. Cadunt facilè mænia, vbi primùm cessabit oculorum vigilantia; & ad Deum intentio; hæc si nunquam cessarent, nec lapillus murorum corrueret. *Helisæus spiritum duplicem obtinuit.* nimirum, spiritum fortem Tyrannorum domitorem, & vniuersis incommodis, sine ruina, suâ potentiâ resistere.

5. Stabilitatis Regni causa est, deuotio continua ad Deũ.

Thren. 2. n. 5.

D. Paschasius ibi lib. 2.

4. Reg. 2. n. 9.

stere, sola oculorum vigiliâ in Magistrum, dum tollebatur ab ipso. Apostoli quoque intendentes in cælum, Spiritum sanctum accipere meruerunt. Dum enim oculi Discipulorum sic Domino intenti fuerunt, ita, vt à Christo noluerint separari, non poterat non venire illis ea virtus, & fortitudo, quâ prorsùs redderentur inexpugnabiles. Vnde inquit D. Bernardus. *Nihil est, quod habeant perdere, vel debeant alumni tui Domine; quia videntibus illis es eleuatus in cælum, & desiderantibus oculis, te secuti sunt gradientem in multitudine fortitudinis tuæ*, hæc ille.

6. Persimilis inexpugnabilitatis Regnorum ratio desumitur ex patrocinio speciali Reginæ cæli, Virginis Matris Dei, atque Patronorum Regni, quos ad sanctitatis fastigium, eiusdem Virginis intercessio euexit, tanquam omnis sanctitatis Genitrix. Rideat inimicorum iacula Regnum, quod Mater Virgo cum Heroibus sanctitatis, muro inexpugnabili protegit. Homines priuati inexpugnabiles redduntur, Dæmonum insultus rident, qui ad augustissimam Virginem vigilant; quantò magis Regna, quæ à deuotione eius, nunquam oculos auertunt? Sanè sicut fructus mundi ruina est, ad hoc enim crescit, vt cadat; sic & Regnorum, vt fabricam ruina sequitur, vt fumum flamma, vt mors hominem, vt nauim naufragium, vt natiuitatem funus, vt res vicissitudo, vt nomina immutatio; sic Regnum depressio. Nam & ideo res humanæ sensim tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant: Clepsammidij instar, qui hora mensuranda arenulâ, ex ampulla in ampullam instillans, monticulum paulatim aggerat, vt tandem vix aggeratum, & in cacumen elatum statim disijciat, & complanet. Et si vmbræ somnium homo, multò magis, & cætera, hominum causâ, constituta sunt omnia. *Omnia nutant, fluctuant, vniuersa posita in motu, cuncta vetant aliquid esse secundum.* (inquit D. Bernardus.) Hæc igitur est natura Regni, vt ruat, & totum quidem, cùm primùm aliqua in parte, in summa, aut ima, nihil refert, inceperit: odiosum plerumque, & insidijs obnoxium. Et miseras plerumq; Regnorum conditiones, in quibus diligentia simultatum est, negligentia vituperationum, vbi securitas periculosa, æquè & benignitas, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ, felicibus inseruiunt, calamitosos deserunt.

Stabilitatis Regni causa est, deuotio erga Augustissimã Virginem, quæ Empyreo cælo cõparatur.

S. Bernard. ser. de bonis deserendis.

7. Cùm igitur Regna, naturâ suâ, ruinam minentur, fulcris opus habent, nec alijs melioribus, nisi Christo Domino, & Augustissimæ Virginis Mariæ, atque Sanctorum Patronorum Regni protectione. Fulcrum, si amoueatur ab eo, cuius est fulcrum, ruit; itaque, si separetur Christus, & Reginæ cœlestis à Regno protectio; Regna ruunt, & collabuntur. Prodeat in testem huius veritatis Regnum Vngariæ, turba hominum, Germaniæ, atque

Fulcra Regnorum, Christus Dominus, & Augustissima Virgo.

atque Bohemiæ: sanè, quamdiu in prædictis Regnis, floruit deuotio ergà Beatissimam Virginem; sanctitate, potentiâ, famâ, opibus, fulgebant: postquam autem hæresibus infecta sunt, & blasphemijs, ac impijs religionibus, & protectione Beatissimæ Virginis amota, omnis splendor in ruinam conuersus cernitur, ita, vt iuremeritò de ipsis rectè dici possit id, quod olim dictnm est à Christo Domino Israëlitico populo: *Auferetur à vobis Regnum, & relinquetur domus vestra deserta*; quia non possunt hæc duo disiungi, sed simul esse: Protectio Christi, & Beatissimæ Uirginis, atque splendor Regnorum. Protegit autem Regna Augustissima Virgo lumine, quo amicta est. De cælo empyreo disputant Philosophi, an agat, & influat in hæc sublunaria? Cùm enim cæteri orbes influant motu, & lumine; illa autem Sanctorum sedes sit omninò immobilis, non videtur aliquid operari posse in imis: cæterùm vt probabilior sit sententia, lumine influit firmitatem, & stabilitatem rebus humanis. Quantò magis Beatissima Virgo Maria, Mater Dei, quæ similiter est sedes Dei: *quia quem cæli capere non poterant, suo gremio contulit*; Virgo tota empyrea influit in Regna sublunaria stabilitatem, & inexpugnabilitatem lumine, quo amicta est.

Quemadmodùm autem Virgo Augustissima, splendore, & claritate sua firmat Regna; ita quoque & Christus eadem manu tenet, ne cadant. Non immeritò in passione, arundinem manu, coronam spinis, sicut clauis capiti affixam, gestabat; voluit siquidem manifestum facere, ad se pertinere sceptra, & coronas firmare, ne cadant. Quemadmodùm olim cadentem Iudæorum populum, & Hierosolymitanam vrbem, non vnâ manu, sed vtrâq; sustinere curauit, vt ipse ait: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Iunxit & manibus lachrymas, dum super Hierusalem fleuit, quod cùm ingratus populus negligeret, simul extincta sunt, quæ nefas erat diuidi. Nec enim Christus post Hierosolymam vixit, nec Hierosolyma post Christum.

Non desunt Christo, & alijs modi sustentandi Regna, inter quæ, præcipuus firmandi modus est, admonere, vt aliorum periculo sibi prospiciant, & cæterorum felicitate, ad causas eiusdem felicitatis aspirent. Iudaicus quidem populus impietatis arguitur, ob ingratitudinis crimen, sed Christianus ne talis euadat, pariter commonetur. Denique, vt iste plùs timeat, ille terretur; ille vapulat, vt iste proficiat. Præclarè ad felicitatis sublimitatē refert, quòd discat homo ab alieno periculo sibi prospicere. Compēdiosum felicitatis genus, alterius periculo discere, quod debeas deuitare. Solet equidē Deus, quod amat sic instituere, ne in seipso, sed in alijs experiatur primò, errorum pericula. Quis à Deo dilectus vocatur ad munus, cuius discrimina in alijs non vidit? quod clarè insinuat Sacra Scriptura, refe-

8. Christus Dominus firmat Regna, reuocando in memoriam ruinam aliorum regnorum.

referente quodam ex modernis. Benedicens Dominus tribui Iuda, & prospiciens in virum, secundùm cor suum, Dauidem, aiebat: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Hoc sermone de æternando Iudæ Regno loquitur Dominus; quod quidem iam tunc æternandum videbat, per Dauidis familiam. Hæc ibi à Domino. Uerùm vbi venit ad populi sui stabiliendum Regnum, & Regem constituendum, nec meminit tribum Iuda, nec meminit Dauidem. Quippe ait: *Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius: & cecidit cognatio Metri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis.* Promissum erat Regnum tribui Iuda per Dauidem; & vbi sors Regni fit, dirigitur à Deo in tribum Beniamin, vsque ad Saulem. Cur Deus, non magis dirigit sortem ad tribum Iuda, cui æternum Regnum promiserat? Cur non magis vocat Dauidem, in quo sciuit æternandum esse Regnum? Facit hoc ad maiorem felicitatem, & ad maius beneficium collatum Dauidi, quòd priùs eligatur Saul, vt in cuius reprobatione, & ruina, discat Dauid, quid ipse debeat deuitare, vt imperium sibi possit consistere. Pulchrè ad hæc aiebat D. Gregorius, inquiens: *Idcircò reprobus Rex eligitur, vt electus successor eius Rex Dauid in eo cognosceret, à quo cauere debuisset.* Sic nimirum, & de Angelorum curia legimus. Quia de Apostata primo Angelo scribitur; ipse est principium viarum Dei. Sed qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, & in eius ruina Sancti Angeli didicerunt, quâ virtute stare potuissent. Prouidere solet dilectis suis Dominus, ne ex suo, sed ex alieno periculo discant; vt videntes aliorum miseras ruinas, ipsi cautiores fiant. hæc ille.

1. Reg. 10. n. 21.

D. Gregor. lib. 4.

9. Firmat etiam Regna, proponendo aliorum felicitatem Regnorum, vt videntes eorum prosperitatem, immutabilitatem, atque incorruptibilitatem, ad causas eiusdem felicitatis aspirent. Si enim aliena pericula faciunt cautum, certè & aliorum prosperitas facit ad eandem felicitatem acquirendam promptos. Atque ita, sicut separatio à Christo IESV, Beata Virgine Maria, & Sanctis Dei, per infidelitatem, & blasphemias Iudæorum, corruit Regnum; ita per inseparabilitatem à Christo, & Sanctis, fiat firmum, stabile, & inexpugnabile Regnum Christianorum, opus est.

Beatitudinem aliorum Regnorũ in memoriam reuocando, firmat etiam Regna Christus Dominus.

De Sancto Francisco à Pontifice Maximo, & alijs, qui eum in sepulchro satis glorioso inspexerunt, fertur, incorruptibilem, immarcescibilem, tanquam hominem viuum firmiter stantem, eleuatis in cælum oculis, videri. Et quænam causa tantæ firmitatis, atque incorruptibilitatis? vnde fulcitur, & à quo? Sanè non ab alio, nisi à Christo, & Stigmatibus, ac plagis IESV, in corpore acceptis. Sicut enim hic Vir sanctissimus omniũ perfectissimè, Passionem in se Christi expressit; sic omnium primus, immarcescibilis Regni, in persona sua exhibet signa; Vt de illo dici possit id,

sit id, quod de Christo dictum est: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

10. Ex his facilè intelligi potest, quanta nocumenta inferant Regnis, qui separant Regna à Christo, & Augustissimæ Virginis patrocinio, & qui obumbrant fulgorem eius, impijs religionibus, falsis dogmatibus, blasphemijs, & erroribus, in fide, & vera Religione; eo enim ipso ruinam parant Regnis, & tollunt splendorem eorum, dum separant, & extinguunt, quæ nefas erat diuidi. Rigorosè satis à Christo fuit correptus D. Petrus, eò, quòd in monte Thabor, Moysen & Prophetam diuidere, & separare voluit à Christo: *Faciamus hic* (inquit) *tria tabernacula*; & credibile est, quia diabolus malitiosè id suggessit, nolens esse simul Moysen, & Iesum, fulcrum, & id, quo sustentabatur Regnum Christianum. Quantò maiori reprehensione digni sunt, qui authore diabolo, infernali magistro, erroribus in fide, ruinam Regnis parant? cùm illud solum Regnum felicissimum sit, quod nil æstimat ab omnibus deseri, modò à Christo, & Augustissimæ Virginis intercessione, non abijciatur; parum enim eget hominum auxilijs, qui horum tutelæ commissus est.

Priuantes Regna patrocinio Christi, quantum damnum inferant.

11. Est tandem tertiò inexpugnabile Regnum, ex ratione Regis, & subditorum. Regis quidem; quia Regnum boni Principis longæuum est: subditorum verò; si Leges, quibus fulcitur Regnum, diligenter obseruant. Bonitas in Rege ea requiritur, vt hominem, & quæ propria sunt hominis boni, adimpleat, & quæ Regis boni. Vtrumq; necessarium est, vt sit vir bonus, & Rex bonus; bonitas propria Regis, vt est homo, est bonitas coërcitiua appetitus nociui. Christus Dominus assimilauit Regnum cæleste, homini, & Regi: *Simile est Regnum cælorum homini Regi*; & hominem præposuit Regi, quia fundamentum inconcussibile splendoris Regni, atque stabilitatis eius est, vt Rex possit hominem adimplere, exemplo Ioseph Patriarchæ, de quo dicitur in Ecclesiastico: *Et Ioseph qui natus est homo Princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.* Mirum alicui videri potest, quòd Ioseph ex numero omnium fratrum, ad eorum principatum peruenerit, ita, vt esset stabilimentum, & firmamentum illorum. Hinc iure meritò ex eo primùm commendatur. Qui natus est homo, hoc est, qui ab ipsis penè cunabulis, vituperabiles appetitus coërcuit, & hominem adimpleuit, fratres amans, & resistens impudenti fæminæ. Qui ergò hominem sic adimplebat, iam firmissimum in se Regni auspicium præbebat. Hinc & D. quidam ait: Is consentaneum regnandi initium ceperit, qui ab eo, quod secundùm naturam est, imperandi auspicium fecerit: quoniam quicunque rationis expertes partes accuratas ac tractabiles reddens, ratione obsequentes fecerit, & ad vnius Principatus sapien-

Causæ inexpugnabilitatis Regnorum, sunt etiam ex ratione Regũ & subditorum.

Eccl. 49. 17.

ens moderamén multitudinem composuerit, hic verè diuinus, siue Rex, siue priuatus homo est. Quippe stabiliter regnandi auspicium vnde sumi debeat, nempe ab eo, quod secundùm naturam est, ab eo, quòd quis hominem induat.

12. *Regis officia quænam sint?* Porro Regis boni officium est, vt sit in regimine bonus, & artem gubernandi perfectam habeat. Fieri enim potest, vt bonus sit aliquis, quoad personam, & malus in regimine; & contrà, vt bonus sit aliquis in regimine, & malus, quoad personam. Ideoque dicebat Tullius: neminem vnquam fuisse, aut futurum esse, vel parem Iulio Cæsari quoad personam, vel æquè malum gubernatorem, atque fuisset, quoad Rempublicam attineret. Ingens sanè bonum est, esse virum bonum: ex aduerso, ingens malum est, esse malum Principem. Vir enim malus, sibi tantùm malus est; Princeps autem malus, & sibi, & cæteris malus est.

13. *Legum obseruantia est item causa inexpugnabilitatis Regnorum.* *Tacit. an. 14.* *Plato dialog. de legib.* Denique id quod inexpugnabile facit Regnum; est obseruantia legum à populo, & Magistratu. Vbi autem leges nulli timori sunt Magistratui, & populo, valde infirmus est status Regni. Similiter: vbi leges multæ sunt, nam vt inquit Tacitus: *Vbi leges multæ, ibi & vita, moresq́ꝫ praui Regni:* accidit enim, vt memoriâ excidant, & non teneantur. Vbi autem Magistratui, nulli sunt timori leges, ad arbitrium impunè omnia moderantur, & sic interitus; quippe ait Plato: *Interitum paratum illi ciuitati video, in qua non lex Magistratibus, sed legi Magistratus præsunt: salutem verò illi, vbi lex, quæ est tutior mænijs, seruientibus Magistratibus dominatur.* Vbi leges minimè sunt timori Magistratibus, non potest inde non venire citissimus interitus, quandoquidem leges sunt, quæ firmant Regnum, ac stabiliunt, dum æquè sibi ab illis timent, & Magistratus, & populus. Si enim non lex, sed Magistratus arbitrium imperat, inauditum erit, nisi veniat in interitum. Saul mandatum acceperat, quòd debebat expectare septem dies, vt sacrificia offerret, ipse tamen non adhærens mandato, ante præfinitum tempus sacrificia perfecit. Et ecce illi statim intonat vox Samuelis: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini tui, quæ præcepit tibi; quod si non fecisses, iam nunc præparásset Dominus Regnum tuum super Israël in sempiternum, sed nequaquam Regnum tuum vltrà consurget.* Ecce vbi primùm Saul se non continet sub præcepto legis, statim cæpit cadere Regnum eius, imò statim audit de ruina, & perditione Regni, mandatum hoc vim legis Diuinæ habebat.

1. Reg. 13. num. 13.

14. *Diuisio legũ tripartita ab incolis obseruanda, sub* Tripartitam legem considerare par est, & harum nullam transcendere, sub ruina Regni, licitum est. Habemus legem æternam vnam, aliam Diuinam, tertiam humanam, aliam ex alia, vicariâ quâdam successione deriuantem. Est lex æterna, ratio illa, & conceptus rerum omnium gubernandarum in Omnipotentis mente, ex qua lex omnis iusta originem ducit.

est. Hanc naturalem legem vulgò vocamus, quâ natura ipsâ non homines solùm, sed & animalia reliqua docta sunt. Diuina verò est, diuinæ prouidentiæ ad homines tantùm gubernandos principatio quædam. Humana tandem est mensura à Diuina lege mensurata, quâ homo circa corporalia, & sensibilia, vt rationi subsit, componitur. Æternæ legis finis est, rerum in generibus suis præseruatio, vnde res omnes ei subsunt. Diuinæ verò est, beatitudo æterna, vnde soli homini necessariò data, qui solus ex corporatis creaturis, eius beatitudinis capax est. Humanæ tandem est, præsens hominum vtilitas, & humanæ societatis tranquillitas. Ex quibus obseruare licet, esse inter Diuinam, & humanam legem concurrentem quandam relationem, atque adeò mutuam (vt ita dixerim) affinitatem; vtraque enim ad amicitiam tendit, sed altera ad Deum, scilicet, Diuina, quæ est lingua voluntatis Diuinæ; altera ad hominem, inter se reciproca. Quo scilicet præcipuè intelligere debemus, alioquin secundariò, alterutra in vtrumque studet. Licet enim Diuina principaliter ordinet homines ad Deum, consequenter tamen quatenùs ad Deum ordinari sic non possint, si secum ipsi ordinati non sint, & eos mutuò item ordinat. Sicuti contrà, humana, licet eos secum ordinet, quia ordinatio illa non nisi ad Deum est tandem referenda, ad Deum ordinare eos dicitur. Sic igitur ex his clarum est, illud Regnum inexpugnabile esse, vbi sponte subditi obsequuntur Principi, vbi adest vigil & continua ad Deum Regni intentio, inseparabilitas à Christo, bonitas Regum, & obseruantia legum.

poena ruinæ Regni.

CAPVT II.

Splendidum, ac stabile est Regnum, vbi cor est viuidum ad tutamen omnium in Regno consistentium, per efficacem influxum.

PLura sunt, quibus Regnum comparari potest: Aristoteles tamen in Politicis, comparat illud ad corpus Physicum, explicans rectæ & vitiosæ Reipublicæ faciem. *In ciuitate* (inquit) *plures sunt partes, vt in corpore membra, & vniri debent, vt partes sint, quia hæc est partium natura, vt vnum corpus diuersa componant, nunquam tamen imperium corporis similitudinem habere potest, nisi vnius præsidis nutu, quasi animâ, & mente regatur.* Et in historia animalium dicit: *Homo ad vniuersi orbis habitum institutus est, idcircò partem etiam istam, scilicet, caput, habet respondentem parti sublimi vniuersi.* Aristotelem secutus est Plutarchus, qui floruit in aula Imperatoris Traiani, quem

Arist. 1. Pol.

15.

Respub. assimilatur corpori humano.

Arist. de hist. anim. c. 15.

Plutar. in Paral. seu in Vita ill. Vir. sic allocutus est: *Scito Imperator, te, & imperium tuum, nihil esse aliud, quàm corpus mysticum ad corporis veri, viuiq́ modum.* Hoc idem pluries dixit S. Paulus, præcipuè ad Romanos scribens: *Multi* (inquit) *vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra in Christo.*

1. Ad Rom. 12. 5.

D. Athanasius loquens de rebus diuinis, inquit: A corpore quasi exemplari proprietate acceptâ, diuinorum connexionem ostendimus, per membrorum proportionem, ac similitudinem. Hinc etsi Deus sit spiritus, nec carnem, aut corporea membra habeat, in quem errorem lapsus fuit Origenes: neque enim membra corporea tribuenda sunt Deo, nisi in assumpta carne, quam ex Augustissima Virgine, Spiritus Sancti operatione formatam credimus; nihilominùs tamen conformiter ad nostrum modum intelligendi attributa diuina, similitudinem manuum corporearum exprimit Sacra Scriptura. Manum Omnipotentiæ; *Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa*: manum item Sapientiæ gubernantis orbem; *In manu eius sunt omnes fines terræ*: manum iustitiæ; *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*: manum misericordiæ; *Fiat manus tua, vt saluet me*: manum fortitudinis; *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non rapiet eas quispiam de manu mea*: manum prouidentiæ; *In manibus tuis sortes meæ.* Attribuit etiam Sponsa in Canticis Deo, cor, & brachia sua. Et Politici communiter disputant, qualiter in partes integrales distinguitur Respublica, quos sequitur D. Thomas, enumerans opiniones diuersas circa hoc Politicorum, Socratis, Platonis, Hyppodami, Euryphontis, & aliorum. Nec id vituperandum est: si enim Theologis (vt dictum est) id sacræ literæ permittant, cur & Politicis id illicitum esse quis affirmet? Regnum conferre, vt corpus mysticum ad corpus Physicum.

Isaia 66. n. 2. Psalm. 144. Ad Hebr. 10. n. 31. Sap. 3. 1. Ioan. 10. 28. Psal. 30. 16. Cant. 8. n. 6. Arist. lib. 2. Polit. c. 8. S. Thomas de Reg. Princ. lib. 4. c. 24.

Non defuerunt autem, qui Rempublicam comparabant Statuæ Nabuchodonosoris Regis. Verùm illa comparatio potiùs est diuersorum Regnorum, inter se, quoad qualitatis potentiam, valoremque diuersorum. Conferunt alij Regnum ad nauem in mare proiectam: sicut enim nauis vndis prosperitatum, & tempestatum subiecta est; ita Regnum varijs pro varietate temporum, & ventorum iactatur fluctibus, nunc placidè placido agitatur Zephyro, nunc impetuosis Boreæ flatibus concutitur, nec vnquam in eodem statu permanet, in cuius signum, vt aliàs dicetur, Simon magnus Sacerdos Iudæorum, super columna sepulchri Patris, & fratrum suorum, naues sculptas apponi curauit. Sed & hæc comparatio imperfecta est, ob rationem iam dicendam. Sunt item, qui etiā comparant Regna palatijs, & ædificijs, in quibus diuersæ cernuntur habitationes splendidæ, & minùs splendidæ: Sed & hæc comparatio insufficiens est: tùm quòd prædicta omnia sunt inanimata; at Regnum, seu

Respublica confertur ad nauem.

corpus

corpus Politicum debet esse multitudo, & sodalitas ex viuentibus congregata; tùm quia & naues, & ædificia sequuntur artem; quæ in sola superficie exprimit partes extrinsecas; intrinsecas verò animato corpori propria, vt cor, arterias, venas, & his similia exprimere non valet: corpus autem Politicum seu mysticum, & cor habere debet, & sensibus interioribus capitis, ac vigore intrinseco, præditum esse debet. 16. Rationes ob quas Regnum comparatur corpori humano.

Conuenientissima itaque collatio præ cæteris omnibus Regni, seu Reipublicæ, aut ciuilis regiminis, (pro eodem enim nunc ista accipimus, licet propriè Regnum sit regimen Regnorum, & Prouinciarum, Politia verò, seu Respublica sit Regnum ciuitatum) est ad corpus Physicum humanum, in quo vita procedit à corde, & partes inter se sunt vnitæ cum debito ordine, & dispositione; siquidem ordo est, parium, dispariumq; rerum, sua vnicuique tribuens, dispositio.

Sicut igitur in corpore humano est vnitas, & ordo; ita in Regno est vnitas, per vnitatem imperantis, & diuersitas, atque disparitas, ratione diuersorum statuum, & graduum, vnde Regnum sic communiter definitur. Est socialis congregatio perfecta in statu, & gradu vnicuique conuenienti, sub vno Imperatore, quòad dispositionem, & operationem. Porro, sicut in corpore humano, inter partes principales, principalissima est pars, cor; ita inter ordines, & gradus Politicos, cor assimilandum est ei, qui est potior dignitate, & officio, & fine tuendi Rempublicam. Et quoniam Regum dignitas est sublimior cæteris, cordis rationem ad Reges referre dignum esset; cæterùm, quia dignitas Regum superatur ab eo, qui est Rex Regum, Christo Domino, & hunc etiam ad corpus Politicum pertinere, suprà diximus ex Aristotele, esto sit Deus, & homo; ideo proportionem cordis Physici, ad Politicum ei adscribere opportunius est, Regibus autem capitis assimilationem reseruare. Tutamen etiam Regni, nulli commodius committi potest, quàm Christo Domino, iuxta id, quod dictum est. Christus igitur est cor Regni Christiani.

Porro sicut in corpore humano, vigor cordis in duobus præcipuè consistit (præter plura, quæ Aristoteles refert, & attribuit cordi, nimirum palpitationem, pulsum perennem, spirationem, respirationem) in influentia in corpus, & vigilantia; ita Christo Domino hæc attribuenda sunt, in ordine ad Regnum Christianum. 17. Cordis vigor in duobus consistit.

Plura sunt, quæ influunt in Regnum Christianorum. Influit Deus, qui ea conseruat, & manu tenet, eorum hostes deprimit, & punit. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, inquit Apostolus. Et D. Paulus. Et quidem non sine testi-

 monio,

monio; seipsum reliquit, bene faciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructuosa, implens cibo, & lætitiâ, cor homini.

1. Petr. 1. n. 12. Influunt Angeli, de quibus dicit D. Petrus, *quòd desiderant in Christum Dominum prospicere*, non solùm aspectu simplici, sed etiam practico, desiderando oculorum aspectu ab eo aliquid accipere, conformiter ad id, quod in Actibus Apostolorum dicitur de claudo, sedente ad portam speciosam, quòd aspiciebat in Apostolos, putans se aliquid ab eis accepturum; sic Angeli desiderant in Deum prospicere, vt aliquid accipiant ab eo, non pro se, qui iam sunt beati, & beatitudo est omnium bonorum aggregatio, sed pro hominibus, & Regnis.

Influunt etiam in Regna astra cœlestia, vt iam dicetur.

Influunt beatorum Spirituum ordines, vnde Psalmista. *Laudate Dominum in Sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius.* Persimiles sunt beati firmamento, seu cælo stellato, quod potentissimè influit in inferiora, virtute stellarum, & Deus virtute orationum Sanctorum influit abundantissimè, atque ita Sancti firmamentum sunt virtutis, influentis Dei omnipotentis, illud præcipuè sydus omnium clarissimum, Virgo Augustissima. Nec mirum; quia est, teste D. Ioanne, *amicta sole, & luna sub pedibus eius, coronata stellis*, (Apoc. 12. 1.) & quidem luna influit in terrena, stellæ verò in ordine ad cœlestia; atque ita populus Beatissimæ Virgini deuotus, abundat terrenis & cœlestibus. Illa cohibet stellas malignas, ne influant, pestes, sterilitatem, &c. Quod si influit, vt coronata stellis, quantò magis influit, vt amicta sole, quippe prædicta omnia sol superat virtute influendi, quâ tribuit proficua, & repellit nociua. Quapropter cùm Christus sit sol iustitiæ, influit non solùm, tanquam cor totius mundi maioris, sol visibilis, verùm etiam, vt cor minoris mundi; cuius Respublica, vt supponitur, est pars principalis; posset enim aliquis dubitare, an Christus inter partes Reipublicæ connumerandus sit, eò quòd superat omnes homines, qui in Republica continentur, virtute, & omnium virtutes continet, vt suprà dictum est, & superior est omnibus legibus, tanquam Deus in hominibus? his tamen non obstantibus, negari non potest, Christum inter partes Reipublicæ annumerandum esse, sed solùm conuincit, quòd sit talis vir, cui omnes parere debent, illumq; semper præesse debere, & nulli vnquam subijci, & assimilari principalissimæ parti corporis humani, scilicet, cordi Politico.

18. Mirabilis est influxus astrorum, vt refert S. Bonauentura. *Mirabilis est influxus cordis humani, sed multò mirabilior in Regnum influxus cordis Politici.* Astra, (inquit) & corpora cœlestia influunt, & terrestria, & elementaria, quantùm ad distinctionem temporum, dierum, mensium, & annorum, data enim sunt in signa, & productionem regenerabilium, & corruptibilium, vegetabilium,

Astra influunt in inferiora, anima in potentias & sensus.

bilium, & ſenſibilium. Modus etiam influendi eſt per lumen ſolis, & aſtrorum lucem, & motum firmamenti; ſol quippe, dum abſcedit, de die facit noctem: luna, per motum ſui in circulo obliquo, diſtinguit menſes, ſol in eodem circulo diſtinguit annos, tempora verò diſtinguuntur, ſecundùm varium Planetarum motum, diſtantiam, & concurſum, aſcenſum, & deſcenſum, retrogradationes, & ſtationes.

Influentia quoque cordis humani in potentiás animæ, & partes corporis, eſt ſatis mirabilis, vt habet idem Sanctus. *Cor mundi influit in inferiora, ſed & cor minoris mundi, influit efficaciter in potentias animæ, & corporis.* Siquidem vt habet idem S. Bonauentura. *Potentiarum alia eſt corporalis*, id eſt, *corporis regitiua, alia Spiritualis.* Corporis regitiua diſtinguitur in animalem, vitalem, & naturalem. Secundùm has vires, cor & animam regit, & corpus. Eſt tamen controuerſia inter Medicos, & Phyſicos: nam Medici volunt eſſe animalem in cerebro, ſcilicet, motiuam, quæ diſtinguitur in iraſcibilem, & concupiſcibilem, illa quidem fugit nociua, hæc quærit delectabilia, & ab illis mouetur. Phyſici verò, & vim animalem motiuam, imò & vim vitalem, & naturalem, ſedem ſuam collocare in corde docent, & proinde à corde omnia prædicta oriri; verùm Theologi, vt hos, & illos, concilient, prædictas virtutes omninò collocant in corde formaliter. At verò vim animalem, & motiuam, in cerebro completiuè, & vim animalem, nempe nutritiuam, & generatiuam in hepate. An autem maior ſit influxus cordis magni mole, vel parui, aut mediocris, diſputandum Philoſophis relinquo; certum tamen eſt, cubiculum paruum faciliùs calefieri, ita & cor paruum faciliùs calefit, atq; ita magis audax, & minùs timidum. Hinc cerui timidiſſimi, quia magno corde prædití ſunt.

S. Bonauentura 3. part. Sentent. ſect. 22.

Ariſt. 3. de part. animalium.

Influit autem cor in prædicta per arterias, venas, & neruos. Per arterias quidem, vim vitalem, quæ eſt vis motiua aëris, vnde pulſus, reſpiratio, & inſpiratio, atque poteſtas formandi voces irrationales, vt voces auium, & animalium. Item per neruos, vim animalem, quæ diuiditur in cognitiuam, & motiuam. Tandem vim naturalem per venas. Cæterùm ſpiritualis potentia, id eſt, ſpiritus regitiua, vel eſt ſecundùm naturam intellectiuam, vel affectiuam, quæ multipliciter etiam diuiditur, ſecundùm ſtatum, atque officia in iraſcibilem, & concupiſcibilem, &c. 19.

Chriſti influxus eſt in omni genere.

Cæterùm mirabilior eſt influxus cordis Politici Chriſti Domini in Rempublicam Chriſtianam, quia nec corpora cœleſtia, nec cor humanum directè influunt in liberum arbitrium, quod ſoli influxui cordis Politici ſubiacet; illud ſolum eſt, quod influit in totum Regnum, & in omnes partes eius, vbi & influxus eſt vniuerſalior, & modus influendi diuinior. Influit quippe cor Politicum in Regna, ſecundùm omnia genera cauſa-

rum, efficientis, formalis, finalis, & materialis, eo ipso, quòd influit in illos, qui Regnum constituunt, siquidem (vt inquit Aristoteles) manifestum est, & hoc omnes fatentur, eandem esse felicitatem, & optimam vitam singulorum, & Reipublicæ. Influit ergò effectiuè, vt creator animæ, & gratiæ, in animas hominum, & Reipublicæ, quia protegit, gubernat, firmat, corroborat, & à nociuis defendit. Influit in genere causæ finalis, deducens Rempublicam in finem, quo condita est, in beatitudinem temporalem, & æternam; manifestat præterea, per quid ad finem illum assequendum deueniendum sit, in his enim error accidere potest, & circa finem, & circa media ad finem, vt explicat Aristoteles de Medico, qui quandoq; errat, & non rectè iudicat de qualitate morbi, quandoq; verò, si postquam rectè iudicauit, non debita adhibet medicamenta.

Ante aduentum Christi, multi fuerunt errores commissi à Politicis de fine beatitudinis, vt suprà tactum est, & consequenter de actibus, quibus ille finis consequi possit. Solus Christus notitiam hanc influxit, dum edocuit modum, & formam acquirendi vltimum finem, influxit in genere causæ formalis: ostendit viam, leges, & præcepta, per quorum obseruantiam, ille finis acquiri possit. Tandem in genere causæ materialis, seu materiæ, quia ille solus meruit, vt illa beatitudo, quæ est finis Reipublicæ Christianæ, nobis largiretur à Deo.

20. Influxit præfiguratus, influxit missus cælitùs, influxit ex Maria natus, à Magis adoratus, à Ioanne baptizatus, à diabolo tentatus. Influxit signis mirificis, fletu rigatus, orans prostratus, panem consecrans, captus, ligatus, vultu velatus, Pilato traditus, morte damnatus, ab omnibus spretus, in cruce eleuatus, felle potatus, inquit S. Bonauentura.

Extensio influxus Christi Domini.

Modus etiam influendi fuit multò mirabilior, quàm astrorum, aut cordis humani, siquidem influxit lumine, & motu; lumine quidem. Accedite ad eum, & illuminamini. Veritatis studiosi Deum quærunt, Deo adiutore, & lumen, ope luminis. Multùm differt lumen solis à lumine, quo influit Christus, sol visibilis, qui est cor maioris mundi, luminosus est, sed quantò magis accedis ad videndum illum, magis impedit visionem, quàm confert, nec radij solares iuuant visionem, sed magis visionem impediunt; atqui sol, qui est cor minoris mundi, & totius Regni, scilicet, Christus, confert oculis ad videndum ipsum, radij illius iuuant infirmitatem intellectus nostri, præcipuè radius fidei, pellens tenebras errorum, quò quis propiùs accedit ad illum, eò magis gaudet lumine eius, si adsit, quantum est ex illis, qui ad eum accedunt; recta intentio est, illuminationis desiderium.

Influit etiam per calorem, quia eodem lumine, quo illuminat, corda homi-

hominum calefacit, & in amorem Dei, atque Reipublicæ accendit, ita, vt mirum sit, non calefieri accedentes ad hunc calorem, quin potiùs frigefieri calore, eâ ratione, quâ intensiore calore solis, aqua in puteis magis frigescit, sicut inquit Hieremias. *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* Id cernere licet in latrone peruerso, & in latrone sancto: nam misericordiâ Dei ampliore existente, ille obduratus, hic iustificatus est, & inter Sanctos connumeratus. Lumen diuinum illuminat, & calefacit, sed rectè dispositos; non est claudenda porta, aut fenestra impediens ingressum luminis. Non est apportandum ad lumen cor gelidum. Magnum reuerà frigus cor negantis Petri constrinxerat, nec mirum, cùm ab eo ignis ablatus esset, scilicet, Christus, qui est sol mundi minoris; itaque euecti, qui illuminari, & calefieri volunt, accedant prope, & illuminabuntur, non elongentur à calore cordis istius, qui extinguit calorem vitiorum, & auget calorem virtutum. Cor, calore omnes corporis partes viuificat, & conseruat, calore, inquam, natiuo, quo extincto, desinit esse homo. Non deest & in corpore Politico calor, scilicet, natiua in Deum propensio in honorem eius, atque reuerentiam, hunc calorem fouet, & auget cor; quo extincto, Respublica interibit. Ad Reges tanquam ad ignem à longè accedendum, suadet commune proloquium; verùm ad Christum Regem accedere prope, suadet Scriptura. Sic enim & illuminabit, & calefaciet.

21. Influit Christus per calorem, & motum.

Hier. 6. n. 7.

Influit denique cor Politicum per motum. Quid enim aliud sunt inspirationes diuinæ, auxilia præuenientia, cooperientia, subsequentia, nisi vis motiua? vnde inspiratio; respiratio, attractio aëris ad refrigerandum, expulsio caloris, per respirationem. Inde pulsus, palpatio, gemitus, vocis formatio; quæ etiam est in irrationalibus quibusdam, & animalibus; vnde nutritio; vegetatio; & omnia bona Reipublicæ Christianæ.

In omnes partes influit cor humanum, præcipuè tamen in caput influit vim vitalem, per arterias, vim animalem, per neruos, vim naturalem, per venas. Similiter & cor Politicum influit in Reges, qui sunt capita populorum; influit autem, honestam viuendi rationem. Sanè nihil vtilius Principi, & plebi, cui præest, quàm optimi mores Principis, & splendidæ virtutes, quibus Deo, & hominibus commendatur, tanquam specula in amplissimo totius orbis theatro exposita. Debet Princeps esse templum Dei, prudentiæ oculus, libra iustitiæ, fortitudinis sedes, regula temperantiæ, fons gratiarum, pauperum mensa, bonorum spes, innocentium refugium, omnium miserorum tutissimum præsidium, & præcipuè honestatis exemplar, hæc non præstat Regibus, nec influit cor naturale; postulanda igitur sunt à corde Politico. Hoc idem cor influit in capite populorum vigilantiam,

tiam, motum, cognitionem; hoc gubernat irascibilem, & concupiscibilem potentiam ipsorum, mouet potentiam concupiscibilem, ad desiderandum, quod honestum est, & irascibilem, ad repellendum, quod sibi, & Reipublicæ nocet: hoc denique efficit corpora eorum vegeta, & salubria, confert vitam longam, vt intelligat Rex, quòd vita ipsius labori mancipata est; id est custodia totius Regni, seu cura de toto Regno, vnde nomen cordis à cura deriuatur, quia maximam curam habet, & vigilat, vt tueatur Regna, & ea, quæ in eis sunt. Porrò in duobus maximè vigilantia cernitur, atque intelligentia: in corde & gallo; hinc cùm dixit Iob, vel potiùs Deus alloquens ipsum, & ad interrogata respondens. Quis dedit gallo intelligentiam? Litera Hebræa transtulit. Quis dedit cordi iusti intelligentiam? non absque causa idem officium tribuitur gallo, & cordi: dormientibus cæteris auiculis, gallus vigilat, & alis, proprium, & aliarum auium somnum discutit, eosque excitat, & quod maius est, certa noctis tempora, & vigilias demonstrat, & denuntiat, ac si illa intelligere videatur. Hoc idem officium proprium est cordis mystici: alijs potentijs quiescentibus, intellectu cessante à discursu, memoria cessante à reminiscentia, voluntate quiescente, dum nec oculi vident, nec aures audiunt, &c. cor vigilat, vt dixit Sponsa: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, non dicit, *& sensus vigilat*; ex quo deducitur, quòd anima nostra, non solùm dum vigilamus, verùmetiam dum dormimus, operatur. Quod si cordi naturali tanta vigilantia inest, quantò magis cor Politicum? Christus Dominus vigilat, ne tempestates obruant nauem Reipublicæ, qui solus eas potest sedare, monetq; Reges, & Principes maximè cauere debere, ne lethargo opprimantur, sed populis dormientibus, vigilent. Pluries insonans in aures illorum illud Isaiæ. *Pone mensam, contemplare in specula, comedentes, & bibentes: surgite Principes, arripite clypeum.* Pagninus paulò clariùs loquitur. *Disponendo mensam, speculando speculum, comedendo, bibendo, surgite Principes, vngite clypeum*, & sic ne comedendo quidem tantum otij Principibus permittat, vt à speculo, & defensione populi cessent.

22. Cor vnde deducitur quoad nomen?

Isaia 21. n. 5.

Boleslaus filius Vladislai Hermani adhuc iuuenis, non surdus auditor obediuit voci Domini; nam cùm pro virtutibus heroicis, balteum militiæ Vladislaus Pater ei cum amplis conuiuijs offerre vellet, audito, quòd Pomerani insilientes castrum Santok obsederunt, Boleslaus dignitate militiæ protunc demissâ, sumpto clypeo, & militibus, qui tunc aderant, Pomeranos in tabernaculis quiescentes trucidauit, & obtruncauit. Tandem reuersus, cingulum militiæ sub frequentia, & conuiuio multorum, gloriosè accepit. Boleslaus quoque Criuousti, seu indirecti oris, facto conuiuio, relictis senibus, ipse cum centum militibus iunioribus, & Skarbimiro ad

Miechouita lib. 3. c. 3.

venan-

venandum processit, reperitque Pomeranorum circiter tria millia ad vastandum Poloniam progredientia. In quorum multitudinem, non referendo pedem, Boleslaus cum centum militibus insiliens, quosque obuios prosternebat, cuneos Pomeranorum pertranseundo, & perforando, tanquam leo ferox, innumeros occidendo, agmen penetrando, quousque equo illius globo percusso, accepto militis equo, ad conuiuantes regreditur, cui etiam ipsi pro subsidio ferendo, auditâ pugnâ, occurrerunt. Hic Princeps obediuit voci Dei, qui non priùs ad conuiuas regressus est, nisi deuictis hostibus. Tantâ vigilantiâ opus est Regibus. Vigilantia Regum hâc ratione persimilis erit vigilantiæ cordis mystici, Christo Domino. Persimilis item erit diligentiæ, quam habet natura, ne æternam perdat auem, quam Plinius vult esse Phœnicem, nos, scilicet, animam.

CAPVT III.

Primus Regius splendor gloriosus, ex fulgore capitis mystici inuestigatur. 23.



TRIPLICI splendore refulget sublimis dignitas Regia, qui primùm ex splendorib⁹ capitis: deinde ex fulgoribus Coronæ: tandem ex gemmis annuli desponsatorij inuestigandus est. Porro caput, à quo auspicandum est, superat cæteras corporis partes tribus prærogatiuis, scilicet, ordinis, perfectionis, & virtutis influendi. Ordinis, quia reliquis corporis partibus celsius est. Perfectionis, quia est sapientiæ aula, & domicilium. Virtutis, quia in reliqua membra influit, sicut cor vitam, ita caput motum, & operationem: caput est membrum corporis, animi sedes, sacrum domicilium sensuum, reliquorum membrorum Princeps; cui totum corpus, Dij subesse, & parere iusserunt, inquit Plato, & Lactantius. *In summo caput est collocatum, in quo esset regimen totius animantis.* Ideòque Deus mentem, alta capitis fundauit in arce, mandatricem operum, spectatricem laboris, inquit Claudius. *His quoque proprietatibus celsior est populo, & amplior Princeps, qui omnium reliquorum ordinum superat authoritatem. Et inprimis locum imperij celsiorem obtinet, atque potestatem.* Solus enim Princeps, totalem imperandi potestatem habet, reliqui ad parendum obligati sunt. Ac licet in Republica, genere, opibus, & virtute præstent, semper tamen Dominum ipsum superiorem agnoscunt. Nam Principes generosi à seruitute quidem multos quotidie liberant, fidem autem clientelarum nunquam remittunt. Quamobrem, qui potentiâ, & authoritate in Regno pollent, eo loco se haberi, quo pinnæ in arce habentur, contenti

Splendor Regius inuestigatur ex splédore capitis.

Plato. Lactantius de opif. c. Claud. 4. Cos. hon. 131.

tenti sunt, quæ antemurali altiores, & speculis humiliores sunt (si quam enim habent in plebem authoritatem, vel potestatem) Principi debent, qui in vniuersis eam habet. Virum enim cordatum, & honoratum ordinis, non Principem, speculæ instar, eminentem; sed antemurale, vallumq; respicere decet. Sanè non aliud est, si proceres tum Regi, tum Reipubl. imperare velint, quàm si brachia, manusque supra caput semper extollantur.

Experientiâ magistrâ discimus, nos à natura ex multis neruis, ossibus, carnibus, digitis, dentibus, esse compositos, & ijs omnibus vnum corpus constitui, eiusque corporis vnicum duntaxat esse caput; ita & Respublica ex multis quidem componitur ordinibus, vnico tamen præside, nec manui, aut ossibus id concessum est, aut neruis, quo caput emineant; auulso à manu digito, vngue, vel capillo à capite, manet corpus integrum; at malè imperatur, vbi aliud membrum præter caput imperat. Malè imperatur, cùm regit vulgus Duces, inquit Seneca. *Rex igitur eum locum in populo tenet, quem caput in corpore, & sicut caput principem locum in corpore obtinet; ita & Rex in Republica præcedit omnes eminentiâ loci, & potestatis.* Itaque Princeps in Republica occupat locum, quem animus, & mens in corpore, quem director nauis in naui, quem auriga, & director currus, & Reipublicæ compendium, ipsius commoda, & incommoda cognoscens.

Seneca Oct. 2. P. 4.

24. Vt caput præcedit alias partes corporis sublimitate, sic Reges superent subditos, & illos præcedere debent.

Quemadmodùm item caput, præcedit perfectione cæteras corporis partes, eò quòd sit domicilium sapientiæ; ita & Rex debet cæteros ordines sapientiâ præcedere, vt sic regendo peritiam habeat, quam cùm assecutus fuerit, tum demum perfectus erit. Assequetur autem, si ab ordine sapientiæ non deuiauerit, hoc vbi effecerit, sapiens erit. Vbi sapiens, ibi optimam gubernandi peritiam habebit, quæ totius principalis scientiæ periodi conclusio est. Regendi onus calamitosum est, eò quòd peruersi difficilè corriguntur, quorum numerus cùm sanorum valde excedat, Politica disciplina ad ciuium beatitudinem ordinata, in paucioribus effectum habet, quòd omnium voluntates promereri difficillimum sit in imperio, vnde non defuerunt, qui voluntarijs imperare diuinum potiùs, quàm humanum dixerint, tametsi prudentium sententiâ probetur, Principem, quamuis rectè imperantem, non omninò omnibus posse placere.

Ex hominum, scilicet, peruicacia, quorum nullum morosius animal, nullum maiori arte tractandum, tanquam in nullum magis insurgere solitum, quàm in eos, quos in se imperium affectare, senserint. Vnde & egregiè quidam: Excellentibus ingenijs citiùs artem defuturam dixêre, quâ ciues regant, quàm quâ hostem superent. Oportet ergo Principem esse sapientem, & ex domo sapientiæ hanc artem haurire, fauore aulicorum-

officialium, atque ministrorum sapientiæ, de quibus fusiùs infrà: sola enim sapientia leuius faciet onus regnandi, quæ à Deo postulanda, & proprio labore quærenda est; à Deo quidem poscendam sapientiam, sed & humano conatu quærendam esse constat, & incipiendo à peccatorum, & sermonum vituperabilium fuga; nam declinare à malo, & facere bonum, est sapientiæ gymnasium, eradicare vrticas, seminare herbas vtiles, sibi, & Reipublicæ virtutes, &c. ex consilio D. Thomæ, ad acquirendam diuinam sapientiam necessaria procurare, & D. Bonauentura. *D. Thomas de acquir. diuin. sap.*

Diuitias excessiuas congregare, alienum esse debere à Rege, docent Politici. Nam licet caput minùs carnis habet, quàm quoduis aliud corporis membrum, nihilominus omnia alia in eius solius salute, vel infirmitate, sana sunt, vel infirma. Minùs igitur opulentia Regi, quàm populo competit; ad opus autem omnium opibus iuuari debet.

Quantùm verò ad id, quod tertio loco dictum est de dignitate capitis, nimirum, quòd sit principium motus, & operationis, idem est capitis munus in ordine ad omnia membra, quod animæ ad corpus. Nam sicut anima non est homo, sed pars hominis sublimior, & caput non est corpus, sic & Rex non est Respublica, sed pars suprema. Anima vnitur corpori, non vt accipiat esse, sed vt toti tribuat esse, vnde licet separata habeat esse, dicitur tamen imperfecta in essendo, non quoad proprium esse, quia hoc etiam seperata habet perfectum, sed quoad esse totius, quod habet participatiuè, eo enim ipso, quod dat toti perfectum esse, ipsa etiam ex eo habet perfectionem participatiuam. Sic Reges duplici gaudent perfectione, & propriâ, & participatâ, quam habet Respublica, ab eius regimine perfecto, pro quanto est principium bene operandi Rempublicam.

Caput quoque quasi in specula positum est ad custodiendum, ne quid aduersi corpus totum, præcipuè verò cor, patiatur, vnde ruina totius corporis, & ipsius capitis proueniat: hoc ipso Rex admonetur, se non solùm in specula esse, ne quid aduersi Reipublicæ eueniat, sed etiam motum, vitam, & calorem influat, & omnis cognitionis sit fons, ideoque in capite cerebrum natura posuit, fontem cognitionis & motus, eique affixit oculos videndi, custodiendique instrumenta, vt noxia dignoscat, & vndequaque arceat. 25.

Sicut caput est domiciliũ sapientiæ, ita eius ostiũ est, vt sit in speculo ad tuendum cor, ac cæteras partes corporis.

Hoc quoque, vel ipsum nomen Principis indicat, qui est principium dignitatis, & operationis. Princeps iurè dicitur, ante quem nemo est armatus, sed quem sequuntur cæteri, quare vel nomen ipsum declarat Principem id esse, à quo & principium sumit Respublica, vnitatis instar, ad quam numerus redigitur omnis. A Ioue (vt communiter dicitur) omne principium, & iterum. Semper feliciter cadunt Iouis taxilli, à Deo omne

principium felix, & omnia opera, quæ tanquam à principio, à Principe proueniunt, incipiunt faustè, & ab authoritate potestatis eius, feliciter cadunt, si ipsi quoque, qui sunt principium Reipublicæ negotiorum, à Ioue Deo, & sapientia, initium sumant, cum eoque priùs de agendis consulant. Plerumq; omnia, quæ à natura nutriuntur, sursum versùs crescunt. Videmus enim terram vapores sursum emittere, maria sursum fluctus attollere, arbores sursum pullulare, ignis impetum alta petere; at solus homo ærumnosus deorsum fertur. Caro enim humana, quæ nihil nisi terra est, & de terra orta, in terra viuit, ad terram tanquam sedem suam naturaliter vergit.

Rectè dixit Aristoteles, hominem esse arborem inuerso plantatam ordine, cuius radix est caput, truncus verò corpus, rami brachia, cortex caro, nodi ossa, medula cor, caries malitia, gummi amor, flores verba, fructus præclaræ actiones. Ordo quidem, vbi pedes sunt, ibi caput esse, & vbi caput est, ibi pedes esse poscebat. Caput enim radix, pedes rami sunt. Verùm, vt nostro proposito respondeamus: si præposterè caro plantata est; multò magis præposterè vita instituitur. Quare, etsi principium Regis, sit Regnum, maximè vbi Princeps suffragijs comitiorum regnat: Rex tamen non minùs principium est Reipublicæ; vnde hinc manifestum est, quòd præmia, & congiaria à Rege in Regnum, non à Regno in Regem conferantur. Bellum item indicere, inducias inire, pacem facere, remunerari bonos, & coërcere Tyrannos, ad Regis pertinet arbitrium, cum consensu ordinum; Regiæ Maiestati conuenit, statuere, & iubere; Reipublicæ est, ad illius se authoritatem, consilia ac consensum adiungere, & obedire.

26. Cùm igitur caput celsius sit toto corpore, ordine, perfectione, & virtute influendi: & Princeps similiter est caput mysticum, præcedens cæteros ordines eminentiâ dignitatis, & imperij perfectione, & virtute influendi. hinc est, quòd sicut iudicio Sapientum, & Medicorum, prima ratio habenda est capitis, ita & Regis: Nam etsi totius mundi fabricam esse sapientiæ ducem in ratione vestigij affirment: præcipuè tamen formam corporis humani. Et reuerà omnia creata, sapientiam Dei referunt, quæ instar solis, omnibus radium aliquem perfectionis indidit, vel potiùs instar typi, vnicuique rei secundùm speciem suam, impressit certam imaginem, & formam, quæ statim periret, nisi diuinæ sapientiæ sigillum, assiduè illam formaret, & consignaret. Maximè verò in humani corporis formatione, sapientiam Dei elucere, ait Galenus, vir certè ingenio, sine dubio, maximo, etsi luce diuinæ sapientiæ orbatus; hic expendens corporis humani musculos, ossa, viscera, & eorum ministeria, siue conditiones, ad varios

Sicut capitis in corpore Physico, prima ratio habenda est; ita & Regum, qui sunt capita populorum.

Galenus lib. de form. fœtus.

fines necessarios, quæ sunt propè infinitæ, in eam vocem érupit, quòd à solo sapientissimo opifice, omnia facta sint. Sed adiecit, quinam ille sit, pronuntiare non audere, & per consilij inopiam obmutescere. Dum autem ad capitis formationem Anathomicâ consideratione accessit, iam penè in admirationem raptus, fatetur, quòd ibi adest gubernator totius corporis, qui vocatur cerebrum, & residet in suprema parte arcis, seu palatij, amictus veste candidâ, & ipse coloris candidi: maiestas, & sedes eius est, super basim candoris sui, quæ quidem maiestas est formata ad instar retis piscatoris, similiter candida, & vocatur à Galeno rete mirabile; ipsa quidem sedes huius Principis dicti cerebrum, est rotundæ figuræ. Sed quoniam eius substantia est mollis, & delicata, ne ab aliquo lædatur, testudine, seu superficie fortissimâ sedes eius munita est, quæ quasi denticulis à parte superiori, & inferiori serata cernitur, vtsi, opus fuerit, ad ferendum aliquod gubernatori subsidium, aperiatur, & seratur. Habet hic gubernator, officiales suos plurimos, quos per se, & vice gubernatores disponit, de quo Galenus. *Hunc igitur gubernatorem corporis vniuersi, aulici, ministri, & serui, in tanto habent honore: vt pro ipso, cuncta pati non dubitent, & ad defensionem eius fideliter concurrant.* Cùm igitur Regis simulachrum sit caput, sicut vniuersi, regimini capitis subiecti in defensionem eius naturâ inclinantur; ita in securitatem, ac defensionem Regis, cuncti ordines Reipublicæ propendere debent. Hoc idem edocet Mater natura, & ars alumna, illa quidem, quando cor ipsum priùs, & caput generandum, priùs & alendum sibi proponit, & erigendam ei arcem, priùs quàm alia membra procuret; deinde id insinuat summa membrorum cura de tuendo capite, faciliùs enim homo manum sibi detruncari patitur, ne caput saucietur. Ars quoq; quando corporum formas æmulando, naturam effingere conatur, ante omnia primùm caput depingit, nec in alia membra priùs lineas destinat, quàm à capite figuratum arte auspicium faciat.

Galenus lib. 6. de Vsu part.

Adstipulantur & Sancti Doctores, vbi maius gratiæ auxilium, & excelsiorem Angelum Principi, quàm vlli subditorum in custodem dari affirmant. Quin & Deus ipse, per Sanctos, vel inde eius eminentiam expressit; quòd cùm omnes homines ad suam ipsius imaginem, & similitudinem æquè formatos dixerit, Principem tamen signaculum similitudinis appellat, ad significandum sanè, eum in Republica locũ occupari à Principe, quem gemma in annulo.

27. Vnde non longè nimis eius nobilitatem attigisse videntur Ethnici, dum videri dixerunt longè formosiorem reddi in principatu virum, quàm suapte natura sit, obseruatumq; vnum, eundemque longè pulchriorem visum Principem factum, quàm cùm priuatum ageret, quod vel e-

Princeps euectus in fastigium digni-

tatis Regiæ, longè formosior est, quàm suâ naturâ fuerit. xemplo Titi Vespasiani Suetonius comprobat: ille enim, antequam ad Imperium assumeretur, inhumanus; postquam autem Imperator factus est, virtuosissimus euasit; ita vt sæpiùs diceret: *Amici diem perdidi*, si illo die nullum beneficijs affecit.

Sueton. Tranquillus in Tito cap. 7. Quod Deus, & natura, ars, & Sanctorum doctrina tantoperè reuere-tur, atque tuetur; iustum est, vt Respublica ab omni periculo securum habeat, & in quoduis periculum se iniecturam, ob salutem capitis, seu Regis manifestet: ita, vt si opus fuerit, illæso capite, non aspernetur promptè in pericula ruere, vnde & Politicis quæstio est. Num Reges in bellis peragendis esse debeant præsentes? videnturq; in eam partem nonnulli inclinare, non debere, nisi de summa rerum agatur. Nam saluo Principe, secura est Respublica; saluo (inquiunt prudentes subditi) Principe, nos securi sumus, communia ei nobiscum, tam læta, quàm tristia, nec magis sine ipso nos esse felices, quàm ipsum sine nobis, caput enim corpus totum continet. Vnde satis erimus nos illæsi, vbi Rex liber erit; nam Rex solus, nostra salus, & eius cautio, nostra cautio, gaudiumque eius, gaudium nostrum, quando anima nostra ex illo pendet, & ex pace eius, pax nostra, atque adeò ex illius vnius vita, nostra omnium. Pendet & vestra, ex nostra salute, salus, ait Princeps. Quæ quidem omnia summo iure dicunt; nam & videmus hominem ex aliorum membrorum languore, nil ab operando desistere, at ex solius capitis nil aliud posse. Vnde & vulgò iactatur, capite languido, omnia membra dolere; imò, & quod plus est, aliquo ex membris mutilo, adhuc viuere, adhuc & operari licet, capite autem abscisso, aut supremè confracto, interire omninò, supremè inquam; nam datur interdum confringi quidem, sed vt & vita superfit, & sanitas, salusq; reuocetur, secus quàm in corde.

Miechov. lib. 4. cap. 44. Hinc magnam laudem natio inclyta Polona, non solùm ab extraneis, sed etiam à proprijs Regibus promeruit, quòd adeò solicitè ad securitatem Regum attendat, vt sine omni custodia proprij corporis, in sinu vnius militis, Rex tutò quiescere possit, teste Rege, quòd ex innata virtute, & generositate Polonorum prouenit, ita, vt velint vitam, & sanguinem pro-

28. prium profundere potiùs, quàm Maiestatem lædere. Quod etiam re ipsa in Prutenico bello, Vladislai Iagellonis contra Cruciferos experientia e-

Poloni commendantur ob singularem in Reges propensionem, fidelitatem, ac securitatem. docuit; nam cùm miles quidam Almanus genere Dipoldus Kikierzycz appellatus de Deeberk, de Lusaica cingulo aureo, albâ diploide in Polonico *lákʹá* vocata, & armis per totum vestitus, in equo rufo exiliens, vsq; ad Regem decurrebat. Quem Rex dum hastâ vibratâ excipere niteretur, à Zbigneo de Olesnicá Regio Notario, postea Episcopo Cracouiensi & Cardinali, inermi, Regis ictum præueniente, suâ manu de equo deiecit,

cit, quem ſupinum Rex Vladislaus, haſtâ feriendo reliquit, attamen illicò à militibus Regem obſeruantibus, occiſus, à pedeſtribus verò armis exutus eſt. Prouenit autem hæc in ſecuritatem Regum propenſio, partim ab inclyta Polonorum natione innata, vt dixi, partim à clementia Regum, qui ſubditos pro filijs habent, ita, vt Rex reſpectu ſubditorum, Patris nomen induat, curam æque ac filiorum gerendo, nec reuerentiam terrore, nec amorem humilitate captando. Subditi quoque verè dicere poſſint Principi. Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus, vt Deus eloqui iuſſit ſubditis ad Regem accedentibus, & tanquam Patrem agnoſcentibus. Nec facilior, & ſecurior tuendi caput Reipublicæ eſſe poteſt modus, ſupra dicto, vt Laconum Rex reſpondiſſe dicitur filijs ſuis, quòd totius Regni molem in hoc ſolo puncto fundatam iudicabat; vnde rogatus interdum à filijs, quo pacto quis poſſet, nullo ſatellitio adhibito, tutè imperare? Si ita ſubditis quis imperet, (reſpondit) vt filijs Pater. Quod etiam videtur approbare Dauid Rex, cùm dixit: *Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis*; Hebræa legit: *Qui impleuit pharetram ſuam.* Beatus Rex, qui ſecurus eſt de perſona, honore, vita, etiam inter hoſtes, ſicut eſt ſecurus miles, qui ſagittis habet plenam pharetram; ſimiliter quoque, ſi ciues, quos pro ſagittis, haſtis, tormentis bellicis habet Rex, ſecurus eſt; ita & armis viuis ſtipatus, vt audacter poſſit loqui inimicis ſuis in porta, quemadmodum alloquebatur Turcarum Tyrannum impauidè Vladislaus Princeps, omine bono futurus Rex diuinâ prouidentiâ, & Caput totius Regni in porta totius Chriſtianitatis paciſcendo cum Turcis. *Pſalm. 126.*

Sed & illud memoriâ dignum, quod iure meritò maximè miratur orbis, vnius egregij Senatoris animum in tuenda Regia dignitate (vt refert Lubienſcius) & procuranda ſecuritate. Cùm enim die, quâ ſumma conſiliorum, & ea, quæ in diſceptationem vocabantur, circa Coronationem Sigiſmundi Tertij hæreditarij Regis Sueciæ, in Suecia conciliari debebant, Patruus Regis Carolus ambiens Regnum, ſtipatus vniuerſis Proceribus Sueciæ, & milite, quem in eum finem adduxerat, eo animo in arcem venire decreuerat, vt non modò de ijs, quæ præter fas, & æquum, eo authore, à Rege poſtulabantur, non decederet, verùm etiam contentione aliquâ factâ, vel cædis initium faceret, vel Regem in ordinem redigeret. Non latuit id Tarnouium Reipublicæ propugnatorem acerrimũ; igitur re cum Rege communicatâ, Albertum Laſcum Palatinum Siradienſem aduocat. Pereundum nobis, inquit, omnibus, niſi fraudem virtute præueniamus, Carolus, & Regi, & nobis, vel cædem, vel tetrum carcerem machinatur: paratior eſt, quàm nos, & in ſuo nido audacior; ſed non deſunt rationes, vt vel ſaluâ dignitate, nec inulti moriamur, vel cer- *Lubienſcius fol. 17. Enar. rerum Suec.*

tè nos,

tè nos, & Regem noſtrum ab omni dedecore, ſumma cum noſtri nominis gloria vindicemus. Collatis deinde conſilijs, placuit, vt in craſtinum (dies 26. Februarij futura erat) omnes Poloni, (vltra quadringentos Hungaros pedites, qui in arce excubabant) quotquot arma ferre poterant, ſummo mane in arce eſſent honoratiores, Tarnouium, & interiora Regij palatij obſeruarent, reliqui cum peditatu Hungarico in area arcis, ad nutum Laſci præſtò eſſent, eaq; res quàm ſecretiſſimè ageretur, ne vllum ſignum noui apparatus deprehendi poſſit. Carolus vt conſtituerat, arcem ingreſſus, deducentibus eum, omnibus Regni Proceribus, cùm omnes, qui longo ordine eum præcedebant, quiq; latus eius cingebant, patenti portâ admiſſi eſſent, milites omnes ſclopetarij (ad duo millia erant) qui penè ſequebantur, cùm arcem item ingredi vellent, mandato Laſci excluſi, portâque clausâ, & iuſto firmatâ præſidio, admotis etiam maioribus bellicis tormentis, vt ſi Caroliani iam intentarent, faciliùs arceri poſſent. Ignarus earum, quæ à tergo nullo impetu fiebant, rerum Carolus, iam regium palatium ingreſſus, primò quidem inſolitam, & in area, ac in gradibus, atque in ipſo atrio palatij Polonorum frequentiam animaduertens, aliquantiſper hæſit: ſed cùm mox nuntiatum illi eſſet, arcis aditu milites ſuos eſſe excluſos, portaſque arcis firmo teneri præſidio, tùm demum ſuâ fraude ſe circumuentum agnoſcens, pallere, trepidareque, mox Tarnouium interrogat, ecquid rei eſſet, cur ſui excluſi, & ipſe armatis ſeptus? An nos (inquit Tarnouius) tua deſtinata, & quo conſilio armatis ſeptus arcem ingredi volueris, latere putas? Tenentur tuæ fraudes, quibus mox Deo innocentiæ regiæ vindice, tuo capite litabis; ſimul vnum è præcipuis aggreſſus, hæc (inquit) veſtis, ingrate, quâ cæteris honoratior ornatus incedis, Regio beneficio, & liberalitate tuum contegit corpus, eò vos Rex olim & vitâ donauit, & poſtea beneficijs ſuis prouexit, vt nunc capiti illius inſidias ſirueretis? Nihil iam ad iuſtum tumultum deerat, niſi ab vtrinq; arma aſtringerentur, cùm Rex, qui conſilio Tarnouij, in remotius Reginæ cubiculum, ſub ingreſſum Caroli receſſerat, conſternatione Reginæ, ne orto tumultu aliquid grauius (vterum tunc ferebat) pa-
29. tereretur, motus medium ſe interponit. Carolo ſe in poteſtate Regis eſſe, & fruſtrà fraudis inſimulari aſſerente, tandem ad mutuum colloquium re adductâ, æquioribus, quàm initio voluerat, conditionibus, & Regnum Regi eâdem horâ delatum, & Coronationi dies prima Menſis Martij aſſignata eſt: fideſque data, ea, de quibus tunc conuenerat, rata vtrinq; fore; ſancitâ etiam mutuarum iniuriarum, vel potiùs ſuſpicionum obliuione. Hæc Lubienſcius, & concludit. Incredibile videtur, viros fortes, quoduis periculum ſubire voluiſſe, ne dignitas Regia in aliquo læderetur, & homines

Exorto iam tumultu Rex prohibet, ne quid grauius committatur in Carolum, qui eo periculo modeſtior efficitur.

homines liberi, sub arbitrium, & potestatem Tyranni, vltrò conciderent.

CAPVT IV.

Splendor Regum ex externo vultus indicio proditur.

TOtus homo est in capite, vultuque, inquit Aristoteles, quoniam prudentia, sensusque omnes, non aliàs, quàm in illa parte corporis continentur; hinc & idem Aristoteles dicit. Signa animi in capite esse. Vnde & in Problematibus quærit: quæ pars capitis sit præstantior, num media inter occiput, & sinciput, quod medium vertex dicitur? & determinat, quòd cerebrum sincipiti subditum sit, occiput inane. Morum quoque ac passionum, atque humanorum affectuum, caput indicium est, nam & ipse motus capitis, varias significationes insinuat, & passiones. *Locuti sunt labijs, & mouerunt caput*, id est deriserunt; estque hæc locutio admodum frequens: *mouentes capita sua*; aliquando tamen significat, compati alicui, vt habetur in Iob: *Mouerunt super eum caput*, id est, compatiebantur illi, nisi fortè significet ibi congratulationem; vtrumq; denotare potest, quod habetur in Iob: *Mouerem caput meum super vos*, id est, compaterer vobis, vel ex animo, vel irrisoriè. Omnis, qui pertransierit obstupescet, & mouebit caput suum, inquit, vbi exprimit, vel gestum admirantis, vel deridentis, licet aliqui, sed minùs bene, velint esse signum condolentis. *Aristoteles.* *Psalm. 109.* *Iob 16. 5.*

Vultus quoque indicat, qualis quisque est, vt docet Aristoteles in Problematibus. Vnde & quærit. Cur faciem depingere consueuerunt? Vtrùm, quòd qualesnam sumus, eâ ipsâ corporis parte intelligi possit? An, quòd eâ præcipuè, qui simus, agnosci potest? Quod Aristoteles docuit, hoc Sacra Scriptura clarè loquitur. *Ex visu* (inquit) *cognoscitur vir, & ab occursu faciei, cognoscitur sensatus, quoniam animi imago, vultus eius est*, inquit Salomon. Et Ecclesiastes: *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Vir aspectu grauis cunctis venerabilis. Ratio est, quia cor hominis immutat faciem illius, & animi motus, vultus detegit: & sic vt Salomon ait: *Sicuti in facie prudentis prudentia, & sapientis sapientia lucet, ita &c.* *Eccl. 19. 26.* *Eccl. 8. 1.* *Prou. 17. 24.*

Quod cùm ita sit, non immeritò inquirunt Politici. An licitum sit Regibus ex indicijs vultus, de moribus hominis iudicare, & concludere? Deinde. An similiter subditi ex vultu Regum, cor & animum regium inuestigare possint? Quantum ad primum propositum. Olim in vsu erat iudicare ex indicijs vultus (quia sicuti aquæ referunt vultum, sic & cor- 30. Num liceat ex indicijs vultus, de moribus iudicare?

da, & natura animi panditur per vultum. Est color interpres mentis, vultusq; propheta: ait Ouidius. Ideoque ex vultu iudicabant antiqui de bonitate vitæ, & moribus, teste Cassiodoro, qui de præstantissimo Quæstore verba faciens, sic ait: *Affuit mandatis Regalibus eloquens, & decorus Orator, permulcens etiam aspectu, qui grauissimos reddebat auditus.* Tales decet esse viros aulicos, vt naturæ bona indicio frontis aperiant, & possint agnosci ex moribus, cùm videntur. Tacens enim plerumq; despicabilis est, si eum tantùm lingua nobilitat, semper autem in honore manet, si cuius est tranquillus animus, eum quoque serenissimus commendet aspectus.

Cassiod. lib. 8. Variar. 14.

De Moyse quoque, qui Pharaoni adoptatus in filium fuit, & in Saluatorem populi à Deo electus, ait D. Paulus: *Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum.* Vbi D. Anselmus: Moyses occultatus est fide parentum, quia videbant elegantem paruulum. Credebant enim Deum facturum aliquid magnum per eum, cùm esset adeò elegantis formæ, quoniam ab ortu fuit illi infusa magna gratia venustatis. Et quidem serenissimus pueruli aspectus, popularibus suis amicas vndas maris præsignabat, orisque compositio, non solùm à natura, sed & dono Dei, magnarum virtutum specimen dabat, & fidem faciebat, infantem, & Deo, & Regibus, & mundo futurum gratum. Neque verò solùm his licitum erat ex elegantia vultus futuras virtutes, aut bonitatem vitæ colligere, sed & ipse Christus, quòd fuerit summi Parentis Filius, voluit cognosci ex verbis, & facie, ait enim: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Et rursùs ait: *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, &c.* quasi oculis, & auribus aliorum se committat, qui testentur, quantus ipse debeat esse, apud summum Parentem, & moderatorem rerum. Et hæc quidem indicia bonitatis præsentis, aut futuræ, ex vultu iudicantur.

Ad. Hebr. 11. 23.

31. *Licitum est ex elegantia vultus mores laudabiles colligere.*

Ioan. 14. n. 9.

Malitiam quoque futuram, similiter tum ex vultu, tum ex gestorum inæquabilitate conijci posse, docet D. Nazianzenus, qui ex moribus Iulij Apostatæ, dicit se fuisse optimum vatem. *Nec enim,* (inquit) *boni quicquam significare videbatur ceruix minimè firma humeri, quos hinc, inde attollebat, & agitabat, oculus vagus, & oberrans, furiosum quiddam intuens, pedes instabiles, & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus proterui, & exæstuantes nutus, & renutus omni ratione carentem denotabant.*

Nazianzenus oratione 4.

His accedit & ratio, si enim, vt docent Politici, licitum est ex nominibus mores laudabiles, vel vituperabiles indagare, quantò magis ex indicijs vultus? illud autem, scilicet, nomina esse morum indicia, licitum esse fatentur, eamque ob causam, Sancta Dei Ecclesia generali præcauere lege studuit, nomen baptizando imponendum ab aliquo sancto mutuandum

dum esse, qui ob excellentem animi pietatem, & religionem, in Sancto- rum numerum sit relatus. Ita facilè futurum dicens, vti nominis similitu- dine, ad virtutis quoque & sanctitatis imitationem excitetur. Quare & eos reprehendendos, qui gentilium nomina, & præcipuè scelestorum quorundam anxiâ quâdam diligentiâ consectantes, pueris imponunt. Ex quo intelligi potest, quantum Christianæ pietatis studium faciendum existimet, qui impiorum memoriâ tantoperè delectari videntur, vt fide- lium aures, eorum profanis nominibus circumsonare velint. Per opposi- tum verò, qui pulchra Sanctorum nomina imponunt, multo pretio com- paranda ducunt; conueniunt enim multoties nomina rebus, quemad- modum & de Sancto Francisco canit Ecclesia. Quem huius non dese- ruit numen, & omen nominis; ex cuius vultu sapientissimus Pontifex in- tellexit, simplicis animi puritatem, mundi contemptum, paupertatis amorem.

Præterea licitum est ex egregijs in iuuentute factis colligere, & vati- 32.
cinia capere de futuris, quemadmodum ex optima indole, & in rem mi- litarem inclinatione Boleslai pueri, magna atque heroica huius Regis *Miechou. lib. 3. cap. 3.* Poloniæ facinora, & quæ nulli Regum, ac Poloniæ Principum tam pro- speré obuenerunt, prosequitur Miechouita, puer siquidem Boleslaus no- *Licitum est ex laudabilibus in iuuentute factis de futuris iudicare.* uennis (nonum enim agebat annum) audiens mandata Patris de bellis gerendis, cæpit ardenter supplicare, vt mitteretur cum exercitu ad Mo- rauiam, cui pater renitens prohibuit, asserens eum vires, & ætatem bel- lis aptam, nondum attigisse. At Boleslaus puer: Satis, inquit, genitor, ætatis mihi, & roboris est, dummodò tu me non prohibeas. Expugna- uit itaque continuâ supplicatione, & instantiâ, vt Pater eius ipsum ad bellum Morauicum, mitteret. Strictè mandans Setegio, vt curam eius gereret, vnicus namque fuit Patri, & intimè dilectus. In tota autem ex- peditione Boleslaus nouus miles obiuit cuncta militum officia, noctis vi- gilias cum eis peragens, arma, quoties congrediendum erat, arripiens, & ad principium, ne cohiberetur, currens disciplinam militarem diligen- tissimè auscultans, & exequens, in dormiendo sagulo militari, tenerum corpusculum supra nudam humum tegens.

De Vladislao quoque Quarto Rege Poloniæ, feliciter regnante, scri- *Piasecius.*
bit Piasecius, quòd cùm Moschouitæ, spreto pacis tractatu Smolenscum obsedissent, bellum contra ipsos, in iuuenili ætate existenti Vladislao, commissum est. Vladislaus indole excelsâ, curasque, animosque viriles, ætatem ante gerens, munus illud animosè suscepit, & cùm consternatos, imparatosque Moschos inuenisset, multa ibidem egregia, estò cum ma- gna hyemis intemperie, cæterisque incommodis, gessit. Et tandem post

plures annos, victoriâ de Turcarum Tyranno reportatâ, Rex inauguratus, iterùm expeditione factâ contra Moschum, non tam multitudine exercitus, quem copiæ Moschorum longè superabant, quàm rei bene gerendæ scientiâ, Marte fauente, mouit castra, vt hostem adiret ad confligendum prælio, vel hærentem in castris obsideret, ac in extremam commeatus penuriam reduceret, vti successit: nam Vladislaus maioribus animis, quàm viribus, premere hostem non cessauit, (ipse in persona vbiq; præsens, omnia penè militaria munia, ipsomet obeunte, exercitum lustrante, vigilias nocturnas obseruante, quas hostis aliquoties submisso peditatu selectiori Germanico fallere tentârat) quousq; ad deditionem coegit, & sic feliciter Smolenscum arcem in Europa principalissimam ab obsidione liberauit, correspondente fortitudine Regiâ, fortitudini in ætate minori, ex qua hæc futura colligi facilè poterat. Et quid mirum, quòd ex moribus inditia sumantur de futuris? sic & de Christo dictum est: *Puer autem crescebat, &c.*

Si igitur & ex nominibus, & ex actionibus peractis in tenera ac iuuenili ætate, colligere licet, & judicare de futuris: sanè & ex delineamentis vultus, verbis, & gestu, futuram qualitatem morum colligere licebit, non tamen tanquam per certa indicia, sed tanquam probabilia, non tanquam per demonstrationes, sed tanquam per coniecturas, etsi enim ab occursu faciei, cognoscatur sensatus, eò quòd animi imago, vultus eius, in quo lucet prudentia, non est tamen certò concludendum, maximè quoad mores futuros vituperabiles, aliquem certò talem futurum, qualem vultus, gestus, risus demonstrat; sunt enim signa, non demonstrationes. Quo non obstante ex his, quæ dicta sunt, illud emolumenti, qui Monarcharum obsequijs dediti sunt, accipiant, vt sic faciei vultum componant, sic cohonestent, vt quid viderint, vel frontis indicio, vel vultus delineamentis, quàm bona eorum sit vita, quàm summo Principe digna, perspectum habeant.

33. Iam verò quantùm ad subditos. An ex diuerso Regum aspectu, licitum, & proficuum sit illis cor, & animum Regium inuestigare? Id magis certum videtur, quantò liberiùs in sacris actionibus Maiestati procedere licet; atque ideo ad hilaritatem, & iratum animum, fortem, sapientem, affabilem, seuerum, & ad labores, atque imperium natum intelligere possunt ex vultu. Porro tria sunt, ex quibus apprehendere possunt Reges, qualem vultum gerere debeant, ex Deo, ac Filio eius, ex sole materiali, & mystica significatione quatuor animalium Ezechielis. *De vultu tuo, iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.* De vultu tuo retributio meritorum meorum prodeat, dicebat Dauid, & vltra merita benignitate tuâ,

Subditi ex vultu Regum, inuestigare possunt animum Regum.

Psalm. 16. 2.

tuâ, cuius oculi cor aſpiciunt, mihi retribuas. Aſpiciens autem Dei vultum iratum dicebat: Vultus autem Domini ſuper facientes mala, terrorem incutiendo, atque minis ſuperciliorum terrendo; ideoque vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. De hilaritate autem vultus filij eius Chriſti Domini, dicit Euangelium: *Reſplenduit facies eius vt ſol.* Non eſt imaginandum alium fuiſſe Chriſtum in monte Caluariæ, & alium in monte Thabor, ſed eundem transfiguratum; idem Chriſtus heri & hodie, idem in Paſſione, & Reſurrectione, idem in dolore, & transfiguratione, idem glorificatus faciens diuina, & patiens humana, idem contemptus, & clarificatus; in eo ſolùm differentia, atque diſſimilitudo reperitur, quòd in monte Caluariæ, non erat illi aſpectus, non erat illi decor: at in monte Thabor reſplenduit facies eius vt ſol, remunerationem enim futuræ beatitudinis repræſentabat: in monte verò Caluariæ rigorem iuſtitiæ, & amoris Chriſti celſitudinem. Tandem ex vultu quoque Regis Chriſti, filij Dei, eluxit ſeueritas, cùm ex templo eiecit vendentes, & ementes, vt inquit S. Hieronymus. Fulgor, inquit, Diuinitatis, & Maieſtatis occultæ, in humana facie relucebat, quæ ſolo aſpectu homines ad ſe trahebat. Et rationem reddit. Si enim, inquit, in lapide magnete, & ſuccino hæc eſſe vis dicitur, vt annulos, ſtipulas, & feſtucas ſibi copulet: quantò magis Dominus omnium creaturarum, vultu affabili bonos ad ſe trahat, ſeuero autem malos perdat, ille qui ex templo eiecit vendentes, & ementes, potiùs radijs vultus, quàm flagellis. Sic ex imitatione Dei, & Chriſti, Reges quandoque ſerenum, quandoque aſperum vultum habere debent. Reges terræ, præter imitationem Chriſti, imitentur ſplendores ſolis. Alius quippe ſplendor ſolis eſt in oriente, alius in meridie, alius in occaſu. Sol in ortu omnia fauſta, gloriam, & Maieſtatem Dei annuntiat, pulcherrimus aſpectu, in ortu ſuo annuntiat ſerenitatem, quandoque pluuias vtiles, ex quibus vireſcunt omnia, & hilareſcunt cuncta: ſimili ratione in hilaritate vultus Regis vita, & clementia eius, quaſi imber ſerotinus, inquit Saluator. Vel vt legunt ſeptuaginta Interpretes. In luce Filij Regis vita, & qui accepti ſunt ei, quaſi imber ſerotinus. Hæc Salomonis doctrina, Regibus etiam terrenis deſeruit: quia ſicut ſol radijs ſuis cuncta fouet, & rebus omnibus vitam & lætitiam inſpirat; ſic etiam hilaritas, beneuolentia, & gratia Principis ſubditos erigit, & iucundam quãdam amœnitatem, amœnamque lætitiam illis affert, quos beneuolè intuetur. Sol deficiens magnam in rebus perturbationem operatur. Luna item ſi eclypſetur, afficit terreſtria. Non aliter accidit, vbi beneuolentiæ ſuæ radios Princeps intermittit: ſicut enim officium ſolis eſt radijs illuſtrare orbem; ita Principis eſt egenorum miſereri, qui etiam ſole ipſo clarior

Matth. 17. num. 2.

34. Vt ſol eclypſatus multam perturbatio-

nem in imis operatur; sic Princeps in subditis.

clarior est, quando pius est, estq; quasi imber serotinus, clementia eius; nam sicut pluuia, primo vere tellurem tristem herbis, & floribus ridere facit, copiosissimisq; fructibus fœcundat: sic etiam Princeps clementiâ suâ, subditis lætitiam, & iucunditatem efficit.

Nec solùm subditis, sed & hostibus metum incutit, qui dum aduersâ fortunâ Regem turbari minimè aspiciunt, sed tam in prospera, quàm in aduersa æque serenum vultum gestare cernunt, terrentur. Ideoq; omnibus quidem suadet Plutarchus mœrorem, metum, aliasque animi perturbationes, & affectiones tegendas esse: maximè tamen Imperatoribus, & Regibus. Horum enim vbi animus conciderit metu, mœrore, qui in facie cerni posset, totius Reipublicæ languescunt vires, & animi ruunt: Principisque languor, hostibus animos facit: Ideò Rex, quoad fieri potest, in tota vita sua, hilaritatem, & lætitiam vultu præseferre debet, ne hostibus in suspicionem veniat, timentis, aut despondentis esse animi, dicendo cum Propheta, & Rege Israël: *Cor meum, & caro mea exultauerunt, in Deum viuum*: hac enim ratione ipsius Regis vita, respectu hostium, pendet à serenitate, respectu autem subditorum, pendet ex suauitate vultus eius, quia dat facies animos, vrget præsentia Regis.

Et quoniam, Rex mores, & vitam suam in filium transferre debet, vt quemadmodum lucerna vna, ab altera lucem capit, & simili modo splendet, sic etiam ex Parente filius lucet, & Parens in suo filio viuit diutiùs. Quia etiam ex bona indole, & moribus, quibus filius Regis fulget, secunda gentis fortuna pendet, ideo vniuersi illius ingenium, & mores obseruant. Omnes illius gratiam inire student, & qui illi accepti sunt, quasi imber serotinus, sors illorum est, qui licet tardiùs decidat, tamen vberiùs terram fæcundat, nam post longas temporis moras, & diuturnam expectationem, tandem aliquando, dum filius Regis Regno potitur, amicos & familiares suos tractat honoribus, & donis ditat plurimis; sicut enim vere primo vehementiores, & longiores imbres defluere solent; sic etiam Regis beneficentia in primo Regni sui aditu, vberior, & copiosior esse solet.

Sol præterea in meridie rigorosiorem induit vultum, exurit herbas, nubes pellit, æstu iumenta, hominesque afficit. Non est itaque alienum à splendoribus Regijs, turbato quandoque aspectu, & irato supercilio, excutere subditorum excessus, faciei nutu multa bona operari potest Princeps. Ideoque & vultus iratus Principis, multoties est causa vitæ, dum maligni minaci vultu Regis perterriti corriguntur, atque ita *Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Sicut ergo sol aspectu suo, & radijs dissipat nubes, nociuosque humores; sic dum Rex aspectu suo in-

Prou. 20. n. 8.

tuetur impios, timore quem inde concipiunt, in meliorem frugem conuertuntur. Nôrunt enim maligni, id quod dixit Salomon: *Indignatio Regis, nuntij mortis*; quoniam iræ Regum, estò exiguæ, velut scintillæ modò videantur, breui tamen in magnum incendium euadunt, quia quò subliniores se agnoscunt Reges, eò grauioribus suam maiestatem criminibus lædi existimant, atque ob id eorum indignatio immaniùs æstuat. *Prou.16.v.14.*

35. Facultas etiam vlciscendi indignationem acuit ad vindictam. Ideoq; si sapientes sunt illi, qui cùm iratum sentiunt Regem, sequuntur Salomonis consilium. Postquam enim dixit: *Indignatio Regis, nuntij mortis*; subdit: *Et vir sapiens placabit eam.* Ingenium quippe Regis est ita generosum, nobile, & diuinum, vt facilè animus iratus placari possit, modò sapienter, & cum dexteritate magna id operetur sapiens, vt animus iratus Principis mitescat, atque faciem seueram in hilarem conuertat. In hoc tamen passu ad Deum recurrendum est: quia *multi requirunt faciem Principis, & iudicium à Domino egreditur singulorum.* *Prou.29.v.26.*

Ex varia positione solis, inuestigatur varia dispositio animorum Regum.

Tandem sol in occasu lugubrem formam induit; eadem ratione Reges, estò mærore conficiantur, eum tamen generositate tegere debent: quandoque tamen ita intolerabiles sunt, vt lachrymas excutiant, & cor Regium, vi afflictionis sudare cogant. Christus Rex Regum, videns Hierosolymam, fleuit super eam, & in horto sanguinem sudauit. Dauid Rex fugiens Absalonem, plorabat, vultu tecto: ille quoque stratum suum lachrymis rigabat, vt Deum propitium sibi, & Regno haberet, cuius iram, luminum potiùs, quàm fluminum aquas sedare posse optimè nouerat.

Denique ad splendores Regum, pertinere volunt Politici, vt Principes gerant facies, vel quasi facies quatuor animalium Ezechielis. Notanter dicitur quasi facies, quia faciem nullum animal habet, præter hominem, (inquit Aristoteles) nam piscis, aut bouis, faciem (inquit) dicere non solemus. Hoc tamen non obstante, asserit Ezechiel Propheta, quòd quatuor animalia, quæ trahebant currum triumphalem, in cuius rotis, erat vita sic disposita, quòd quatuor erant facies vni, & quatuor pennæ vni, & vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cùm ambularent. Et sanè Ezechiel ad mysticum sensum trahi potest; quippe insinuat, quòd Princeps tunc est vel maximè principium vitæ subditorum, dum est vnus, & quatuor habet facies. Exemplo sit Christus Dominus, qui pro salute nostra Cruci appensus est, vnus Deus & Homo, neque tamen absque mysterio depinguntur circa ipsum, & Crucem eius, quatuor animalia, vel vt intelligatur, quòd ille idem cùm sit vnus Deus, & Homo in assumpta carne, ab anima eiusdem animata, atque ita in vna, eademq; persona, quatuor Entitates cernuntur, natura humana, scilicet

corpus,

corpus, & anima vnita in vita, & reparata in morte: Natura diuina, & Hypostasis, seu Personalitas diuina. Vel certè circa Crucem quatuor animalia collocantur, vt intelligatur, quòd quatuor sunt facies vni, vna & eadem veritas de Incarnatione Domini, quam testantur quatuor Euangelistæ, vt ait Gregorius. Hoc sentit S. Matthæus de Christo, quod S. Marcus, Lucas, & Ioannes: ita, quòd si quæratur à S. Matthæo, quid sentis de Christo? responderet: Hoc quod cæteri Euangelistæ, Marcus, Lucas, & Ioannes, & sic responderent singuli, atque ita quatuor sunt facies vni, quia notitia fidei, quâ cognoscuntur de hoc mysterio secreta Dei, ita sunt in vno, quòd simul sint in quatuor. Quicquid enim in vno audieris, hoc ex omnibus simul quatuor agnosces, inquit Gregorius. Non desunt tamen qui dicant, per hanc mysteriosam picturam, designari quatuor virtutes, quæ fulgebant in Christo Redemptore, nempe laboriosum, immensum, significatum per faciem bouis, animal labori deputatum. *Isaiæ 43. 24.* *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Fortitudinem, quæ per faciem leonis denotatur: *Apocal. 5.* *Vicit leo de tribu Iuda.* Sapientiam, quæ per aquilam innotescit, siquidem Christus fuit, *Ezech. 17. 3.* *aquila grandis magnarum alarum Dei*, quæ vtrâq; alâ bonitatis & sapientiæ, pugnat contra hostes, & ossa, atque corpora discerpta amicorum suorum custodit, sicut custodiuit corpus S. Stanislai, & S. Adalberti caput abscissum, & in arbore suspensum per triduum. *Miechou. lib. 2. cap. 8.*

36\. *Continua clementia Christi Domini, sed Præcipuè in Cruce.*

Tandem clementiam, & lenitatem diuinæ naturæ propriam, humanæ autem per participationem Christus demonstrauit, maximè verò in cruce, vbi depingitur brachijs extensis, in cuius dextera legitur, promitto: in sinistra, expecto: in corde verò scriptum legitur, remitto.

Cùm igitur Principes vicem Dei in terra gerant, & sint diuinitatis imagines, hoc quoque seruit splendori eorum, vt de illis dicatur. Facies quatuor vni, quatuor virtutes, quæ per facies animalium Ezechielis exprimuntur, illis sint propriæ, vt inquit Cicero. *Hæ sunt virtutes Imperatoriæ, labor in negotijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, clementia in humanis.* Laboriosa est in vita Regni, persimilis circulationibus solis, & syderum motibus, quæ nunquam quiescunt, sed de hora in horam cursum suum perficiunt, nec hyeme, ac æstate, à labore cessant. Flores & herbæ odoriferæ inclementias cæli perferunt, boues arando, & triturando fatigantur. Et Reges labori parcere non debent, vt illis sint similes, quiete, & ioco tantisper recreato animo.

Facies quoque leonis competit Regibus, vt sint fortes in periculis, nec aduersis frangatur animus eorum, nec secundis rebus extollatur. Vir enim prudens, ita firmat virtute suâ fortunæ volubilem rotam, quòd minimè

nimè commouetur, nec ob eius motum, nec ob eius metum, sed vbi est impetus spiritus, scilicet, cœlestis, illuc moueatur, nec reuertatur, dum ambulat, quasi pila vento distenta, aut nauis huc, & illuc iactata, sed vbiq; dicit. Inanes minæ, quia oppugnari potest vir fortis, non expugnari.

Laurus brumali, & æstiuo tempore natiuam viriditatem retinet. Adamas nec ferro infringi, nec igne absumi potest: & Rex fortis in diuersa fortuna, semper faciem leonis retinet, animi semper inuicti signum habet. Aeolum imperare ventis, aiunt Pöëtæ, vt ostendant Regem in tractando imperij clauo, nullis turbationum tempestatibus succumbere, sed strenuè ac fortiter imperare, nouit enim in aduersa tempestate, non solùm nauigare, sed etiam enauigare. Verè fortis animus est, quem infortunia non deijciunt, quem casus non perturbat, quem detractiones non lædunt. Fortis leonis faciem habet, qui iram cohibet, qui vindictam non appetit, qui omnium iniuriarum obliuiscitur. Sed nec minùs fortis, qui prosperis rebus non extollitur, secundis ventis, sereno cælo, prospero cursu nauigans, inconstantiam fortunæ perpendit. Fortuna est persimilis vino, quod cùm maximè flauescit, & in vitro splendet, subitò mordet vt coluber, & venenum diffundit. Fortuna similis est sonitui maris, quem infallibiliter sequitur tempestas, & eodem die, vbi fluxerint nauigia, absorbentur. Fortuna similis est insistenti rotulæ, nullam stabilitatem habenti; quare & contra fortunam instabilem, Rex faciem leonis induat.

37. Princeps in tractando imperij clauo, nullis tempestatibus succumbere debet.

Aquila symbolum est sapientiæ: de qua D. Augustinus: *Circumuolitabat me misericordia tua à longè.* Circumuolitare Regium est, & videre afflictionem populi, & audire clamorem eius, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, offendere, descendere, vt liberet eos, Regis officium est. Celerrimi volatus est aquila in aëre & terra, vbique Princeps; quia circumuolitat, vt mos est aquilis, & consedet super caput, super dignitatem Regiam inaugurando cuncta prospera, sicut aquila illa cœlestis Seraphim, sex alis tecta, consedit super caput D. Francisci inaugurando omnia prospera desideria, subleuandi genus humanum, & indulgentiam à peccatis assequendi. Regi itaque quasi facies aquilæ adsit, vt sit vbique Princeps inaugurando omnia prospera, præcipuè, vt feris, & auibus emineat, Paganis & Christianis. Denique facies hominis iuremeritò à Rege requiritur, qui affabilitate, & lenitate cunctis præcellere debet, vt populorum animos in amorem sui accendat. Philippus Macedo dicere solebat. Oportet Regem semper meminisse, se esse hominem, & per clementiam se Deo fieri similem, cuius quanta sit clementia, modò diximus. Hac ratione vnus naturâ homo, facie, & virtutibus, quæ per sacros significantur,

D. Chrysostom. in Epist. 2. ad Corinth. erit multiplex, vt inquit D. Chrysostomus, explicans illud D. Pauli. *Quis infirmatur, & ego non infirmor.*

CAPVT V.

Splendor Regum ex ornatu extrinseco Capillamenti solaris, seu candidi.



CApilli à capite Principis penduli, sunt populi Principibus subiecti, qui candidi solicitudine Principis esse debent, seu solares, quod enim solis sunt radij, hoc capillamenta capitis Regum. Sol autem, vt docet Aristoteles, totus albus, & candidus est, vnà cum radijs solis. Sol, inquit Aristoteles, separatim albus existit, licet ob caliginem, aut fumum puniceus visitur. Ideoque & Christus à Sacra Sap. 7. n. 16. Scriptura dicitur: *Candor lucis æternæ, speculum maiestatis Dei.* Hic color præ cæteris excellentior est, ita, quòd nullo colore magis delectatur Deus, quàm candido, significat enim innocentiam, quæ vt ipsum nomen innocentiæ insinuat, in eo consistit, vt omnibus placeat, & nulli noceat. Ideoq; gens inclyta Polona pro insignijs Regni, accepit aquilam candidam, vel industria Lechi, primi huius gentis Parentis, qui ex aquilis, quæ Gnesnæ nidos ædificabant, omine felici auspicato spem nactus, gentis Polonæ factus est Parens. Ne autem crudelitatis suspicio eius synceritati obesset, candidam aquilam pro armis Regno Poloniæ reliquit, vt gentem Polonam futuram innocentiâ, & synceritate floridam prognostico ediceret. Vel certè, vt alij volunt, munere Ottonis Tertij Imperatoris, qui dum Gnesnæ, reliquias D. Adalberti, pedes, vnà cum Monarcha Poloniæ inuiseret, admirans potentiam, splendorem, omnium rerum abundantiam, ac beneuolentiam tanti Principis, eum coronâ Regiâ, & insignijs Regijs, aquilâ albâ insigniuit. Cùm igitur sit splendidior cæteris coloribus candidus color, visui gratissimus, & mysterijs significandis aptissimus, iuremeritò à Regibus requiritur, vt capilli capitis eorum, nimirum populi à capite penduli ex tetro colore ad candorem reformentur, in candore diu conseruentur, & ad perfectum finem, ad quem constituti sunt, deducantur.

Diuersi coloris capillamentum quotidie cernitur, & in Republica qua-
38. tuor hominum genera reperiuntur. Primi, qui inconsideratè omninò, & casu quodam torpentes viuunt, quorum vita indifferens est, de quibus aut benè, aut malè sperari potest, prout ad alterutrum inclinauerint, & hi omninò plurimi. Secundi, qui consideratè quidem viuunt, sed qui reprobi, ex malitia facti scelerum serui, rationem omnem præteruertunt, hi pauci.

Quatuor sunt genera hominum, alij casu, alij malitiosè, alij bene vi-

Tertij,

Tertij, qui abstinent quidem à malo, non autem sponte, sed necessitate quâdam potiùs coacti, ac timore pœnæ, non virtutis amore: hi pauciores. Vltimi tandem, qui solius virtutis amore, secundùm rationem viuunt; hi paucissimi sunt, & in horum classem redigendi sunt omnes populi à Regibus, vt coacti vita, virtutis amore viuendo, perfectum candorem induant, & recipiant. Porro triplici malo denigrantur populi in Republica Regibus subiecti; animi, corporis, & vtriusque, ab his liberandi sunt. uentes; vltimi virtutis amore.

Sanè hoc Dei proprium officium esse videtur, dealbare conscientias denigratas. *Lauabis me, & super niuem dealbabor,* dicebat Dauid Rex. Et D. Paulus: *Emundauit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.* Sed & Reges in eo Deum imitari debent. Refert Daniel Propheta, se vidisse senem, vultu venerabilem, vestitum amictu candido, ipsumq; totũ candidum, præcipuè capillamento candido, seu solari, cuius thronum circumstabant millia millium Principum, seruiendo ipsi cum summa reuerentia. Dumq; hæc aspiceret Daniel. *Ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit illi potestatem, & honorem, &c.* atque ideo Principes circumstantes ceciderunt in genua stupentes, quòd accedens ad thronum maiestatis splendidæ, ac penè igneæ, ad antiquum dierum sedit. Multi ex Sanctis Doctoribus, hâc visione, tres Personas Sanctissimæ Trinitatis denotari volunt; nam per antiquum dierum, significatur Pater æternus, persimilem Filio hominis; Christus, qui sedit ad dexteram Patris, tanquam ipsi æqualis, in potentia, duratione, & Maiestate: per Thronum autem igneum, ac splendidum, personam Spiritus Sancti, siquidem ille est, quo se diligunt Pater & Filius, atque per ipsum in æterna beatitudine vniuntur. *Psal. 50. n. 8. Ad Hebr. 9. num. 14. Dan. 7. 13.*

Cæterùm difficultas est, quam ob causam Deitas exprimitur per vestimenta alba, & capillos candidos Dei? Quorundam opinio est, quia Diuinitas est lux inaccessibilis, quæ plùs de candore habet. Verùm alij asserunt, quòd ad denotandum dominium, & nobilitatis æternæ durationem, à qua omnium familiarum nobilitas deriuatur. Ex quo omnis Paternitas. Sicut enim à sole candor emanat, & à mari fluuij, sic ab æternitate Dei, perennis duratio. Verisimilius tamen est, candore amictus, & capillamenti diuini exprimi officium, & occupationem Dei, ille enim occupatur præcipuè, vt conscientias hominum ab eius benignitate dependentium, vt capillamentum à capite, denigratas nigredine culparum in transparentes, & candidas gratiâ suâ transformet.

Antiquitùs in Regnis, & Republica, Officiales & Magistratus deportabant insignia officiorum suorum in capite, quibus admonerentur, summa cum diligentia officia propria exequenda esse. Hinc fuit mandatum

summo Sacerdoti Aaron, nomen Dei in fronte gestare; ad insinuandum, eius exercitium totum esse debere circa cultum Diuinum, idque omniũ oculis patere. Hac ratione & Deus, capillamentum candidum deferre visus est, vt ab omnibus intelligeretur, Dei officium esse, colores diuersos capillorum, diuersas personas, & mores eorum vituperabiles, in laudabiles transmutare, atque ex peccatoribus sanctos facere, in hoc maximè cernitur eius occupatio. Immò & omnipotentia eius, in conuersione vnius peccatoris, & directione in finem, ad quem creatus est. Deo volenti omnia facilia, tamen in creatione mundi, minor videtur difficultas, quàm in iustificatione vnius peccatoris, nostro modo intelligendi. Totum id, quod est in creationis opere, in conuersione peccatoris suo modo reperitur multò perfectiùs, sicut opera supernaturalia sunt perfectiora naturalibus, qualis est Creatio; tum quòd ibi gratia iustificans producitur per Creationem, ibi sydera & stellæ luminosæ bonorum operum cernuntur.

39. Tum quòd in Creatione nullum fuit impedimentum, tam ex parte operis, quàm ex parte operantis. At in iustificatione peccatoris, potest esse impedimentum ex parte peccatoris indispositi, & renitentis. Itaque difficilius videtur Deo, mutare hominem denigratum vitijs vt carbonibus, in candidatum, quàm mutare tempora, ætates, & transferre Regna atque constituere, in quibus consistit harmonia totius mundi. Hybernum tempus triste, & nubilosum mutare in vernale iucundum, & delectabile, arbores gelu quasi arefactas in virides & floridas, noctem obscuram in diem clarum, Deo facile est; vt luna crescat, & decrescat, vt sol oriatur, & occidat, non est difficile Deo; ipse mutat tempora, & ætates. Mutare autem hominem, & voluntatem eius, atque ex peccatore facere iustum, renitente ipsomet peccatore, opus magis arduum est, quàm creare cœlos, & formare stellas. Nec mirùm, quid enim difficilius est, erigere domum pro agrestibus, an verò sumptuosum palatium pro Imperatoribus, arcem munitissimam pro Regibus ædificare? sine dubio, hoc secundum est difficilius.

Difficilius est Deo iustificare hominem, quàm creare, si quid Deo difficile est.

Cùm igitur produxerit Deus cœlum, & terram pro hominibus per creationem, quasi pro agrestibus, & per renouationem conscientiæ, atq; dealbationem producat palatium, pro Imperatore cœli, & Trinitate Sanctissima. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Præterea illa domus pro agrestibus, sine vlla resistentia erigitur. *Tu fecisti cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur, Dominus omnium es, neq; est, qui resistat maiestati tuæ.* Cùm autem producit mansionem pro seipso, voluntatis humanæ consensus requiritur. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Quærit Iob. Sed resistere potest illi liberum arbitrium, ideò amore, beneuolentiâ, promissis trahit ad se

Ioan. 14. Hester 13. num. 11. Iob 9. num. 4.

ad se voluntatem peccatoris, quasi postulando consensum eius, quia fundamentum reductionis peccatoris, à calore tetro ad candidum, non est opus potentiæ, sed amoris, & beneuolentiæ. Quæ verò beneuolentia maior esse potest eâ, quâ Deus in sanguine Filij sui dealbat conscientiam peccatorum, & dealbatam varijs coloribus virtutum exornat? solus enim ater color tincturam non suscipit. Cùm igitur munus Regum sit, exequi, quod ab ipsis expectatur, nimirùm sanctitas domi, & arma fortia foris, in tam arduo negotio procurent imitari Deum, & coöperari illi.

Quid igitur in re adeò difficili Principibus faciendum est? recurrendum vel inprimis ad Deum, cuius id esse officij diximus, & à quo recta consilia, & iusta sunt opera, qui salubria suggerit, mentem illustrat, & ad felicem finem absque errore perducit. Deinde consideranda est causa prauitatis, & denigrationis conscientiarum, & tandem suo modo remedium adhibendum. Duplex quippe status naturæ humanæ in sacris literis insinuatur, scilicet, naturæ institutæ, seu integræ. Naturæ destitutæ, seu à peccato transformatæ, cui etiam addi potest tertius, naturæ restitutæ. Fuit enim à Deo creata ad imaginem, & similitudinem suam. Et cùm respiciat imago formam, similitudo verò naturam, tunc intelligimus, non minùs formæ, quàm naturæ Diuinæ participem à Deo factum hominem. Et quâ naturam respicit immortalem esse, quâ formam triplici potentiâ ornatam. Sicut enim Deus ipse sibi est forma, & tribus Personis distinctis consistit: sic & anima tribus potentijs, memoriâ, intellectu, voluntate. Has omnes exturbans Parentum nostrorum casus, tres grauissimas infirmitates in hominem induxit. In intellectum, ignorantiam, & cæcitatem: in voluntatem propensionem in malum, & eminentiam malorum in comparatione bonorum. Ac tandem in memoriam obliuionem finis, ad quem à Deo producti sunt. In his itaque infirmitatibus populo mederi necesse est, ab auxilio Diuino auspicando, *quia potentia Dei, non fiducia hominis sicut victor, ita & rectus gubernator semper extitit Imperator*, inquit Horos: Deinde in modo adhibendi remedium, natura imitanda est. Si enim Principes Dei, & naturæ imitationem habuerint, non errabunt. Porrò naturam in rebus perficiendis id obseruare, notatum est, vt priùs de ijs prouideat, per quæ ad finem peruenire valeat; dein' repugnantia tollat, tandem ad finem ipsum perducat, sic igni leuitatem ad ostendendum priùs, deinde calorem ad frigus eijciendum dedit, tandem & sursum perduxit. Sed & homini necessaria priùs comparauit, dein' intellectum ad operandum dedit, tandem ad operandum promouit. Sic itaque Regum officium, dicendum est, priùs quidem populum ita disponere, vt intentum sibi finem assequi valeat; dein' obstantia repellere, tandē

40. Dei, & Regum officium est, denigratas conscientias ad dealbationem, & candorem disponere, & quâ ratione.

Horos: de Theodos. 7. 35.

ad finem ipſum dirigere; ſagittæ inſtar, quæ priùs recta efficitur, deinde pennata ad ſcindendum aëra, tandem ad ſignum intenditur. Prouidendum ergò eſt Regibus, vt populus priùs habeat, vnde finem aſſequatur, deinde contraria ſunt tollenda, & tandem ad finem dirigendus. Sic à Deo quidem principaliter dealbabuntur conſcientiæ populorum, à Regibus autem diſpoſitiuè, ſi prouideant inprimis neceſſaria ad finem aſſequendum, quæ ſunt tria: Scientia, Virtutes, & Bona externa. Scientiæ quidem illuminabunt intellectum. Virtutes à malo auocabunt, & ad bonum dirigent voluntatem. Bona autem externa, neceſſitates victus ſuppeditabunt. Hinc literarum ſtudia, à quibus tanquam à radice, & virtutes, morum compoſitio, & candor animorum, & plurima commoda ad Rempublicam veniunt, rectè inſtituenda ſunt à Principibus, quoniam diuitiæ ſalutis, & ſapientia, & ſcientia bonorum omnium mater dicitur.

In particulari autem, præter eas, quæ diuinâ indigent irradiatione, & ſupra captum naturalem intellectus, vt ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ circa Dei notitiam, Iuris Ciuilis ſcientia, in quo propriè Ciuilis ſocietatis ordinatio conſtituta eſt, inſtituenda eſt. Hoc enim ſublato, nihil eſt; quare exploratum cuiquam eſſe poſſit, quid ſuum, aut quid alienum ſit, nihil quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus eſſe poſſit. Deinde iuris interpretandi facultas iuuat ad intellectus illuminationem, Politicæ præterea diſciplinæ ad illuminandum conferunt: ideo eas publicè prælegendas curabit Princeps. Cùm enim nihil ſit aliud Politica iſthæc, quàm ſcientia, per quam, quæ ad bonum Ciuitatis pertinent, conuenienter diſponuntur: conſiſtitque conuenientia illa in ordine quodam inhabitantium ciuitatem, in iubendo, & obediendo: Malè poterunt Ciues ordinis huius conuenientiam tenere, niſi aſſequendi ordinis diſpoſitionem agnoſcant, & malè hanc agnoſcent, niſi eis prælegatur. Nec ſufficit Philoſophica Politia, ſed requiritur Chriſtiana, ad rectè inſtituendos candidatos Regni cæleſtis, quoniam antiqui Politici, in eo perfectionẽ ciuilis doctrinæ præcisè conſtituebant: vt Regna, & ciuitates affluerent bonis externis, ignorantes alium finem perfectiorem congregationis populi. Atque ideo Reges apud ipſos erant Architecti, Oeconomici, Ethici, qui edocebant homines viuere ſecundùm virtutem, vt commodè, & benè viuerent. Sed quoniam maior eſt perfectio ciuilis doctrinæ apud Chriſtianos, nimirùm, edocere, vt homo bene viuens, moraliter beatitudinem, & vitam perennem aſſequatur: Ideo hoc præcipuum eſſe officium Regum, Politia Chriſtiana docet, mores ſubditorum reformare. Sed quia illam perfectionem non conſequitur homo per virtutem humanam, ſed gratiâ Dei, & virtute Diuina, gratia autem Dei, eſt vita æterna; ideo

41. Omnes ſcientias publicè prælegendas curabit Princeps.

ideo hoc munus principaliter spectat ad Deum, & quibus id commissum est, dispositiuè maximè ad Reges pertinet, vt suo imperio ordinent omnia, secundùm quod ad cælestem beatitudinem congruunt, vt candidatos faciat populos, præcipiendo ea, quæ ad cælestem beatitudinem ducunt, & eorum contraria, remouendo secundùm quod fuerit possibile; sic enim in populo sibi subiecto imitabitur Deum, in fabricando ædificio, & mansione conuenienti, in conscientijs eorum, DEO.

Illuminato intellectu per scientias, voluntas dirigenda est æqualitate. 42.
Sanè duo sunt, quibus omnis humanorum actuum constat affectus, voluntas & potestas, quorum si alterutrum desit, nihil est, quod explicari queat: deficiente enim voluntate, ne aggreditur quidem quis quod vult, at si potestas absit, voluntas frustra adest. Licet in optione alterius magis eligenda sit voluntas sine actione, quàm actio sine voluntate. Voluntas enim promptitudinem ad agendum dicit, ex qua perfectum opus sperari potest: actio verò, sine voluntate operis, imperfectionem arguit. Est autem voluntas impulsus appetitus, siue affectus cum ratione ad aliquid. Nullus enim vult, quod non putauerit esse bonum, cùm autem in hoc falli plerumque omnes possint, vt mala pro bonis velint, putantes bona esse, huc nitendum, vt dum velint eligant cum ratione, id est, rectè approbetur, quod velint, est enim electio approbatio recta. Cum ratione verò eligere, id est; rectè approbare, solius sapientis est, cuius etiam est dirigere voluntatem ex æqualitate quantitatis, & proportionis. Quippe æqualitatis regula est, voluntatem ad sufficientiæ limites dirigere, deuitando extrema. Æqualitas quantitatis in iustitia commutatiua seruanda est, vt quantùm quis dederit, tantùm capiat. Quantitas verò proportionis inter ordines, & populum, quoad iustitiam distributiuam, hæc si seruentur, pax intra, & extra, quia vbi æqualitas est, ibi bellum esse non potest, nec alterutrum molestia, quod si ab extra instet, ex æqualitate concordes resistent. Atque ita, vbi æqualitas in quantitate & proportione vrget, nulla potest esse controuersia, quin potiùs vera vndique pax. Id ostendunt & bilances, quæ pares in quantitate æque stant, & corpus humanum, vbi estò elementa sint contraria, æquali tamen gradu commixta, sanitatem corporis tuentur, & conseruant.

Qualiter medendum est infirmitati intellectus, voluntatis, & memoriæ.

Tandem medendum est memoriæ, per reuocationem finis, propter quem homo productus est. Est autem memoria signatarū rerum in mente vestigium. Signatus porro in hominis mente est finis, quorsùm factus est, factus est autem, vt Deum colens, ad Deum tandem tendat. Vnde dixêre prudentes, hominis finem esse mente viuere, & mentis vitam, Deum esse: hoc si semper homines meminissent, res bene se haberent. At verò memoria,

moria, ex primi hominis casu circa multa occupata ne diuagetur, reductore opus habet, qui seuerâ lenitate, lenique seueritate, ad memoriam reuocet, pœnis, & præmijs Deum, qui similiter vniuersum orbem regit, castigando malos, & honestando bonos, finem hominis esse, nec enim Respublica stare posset, si in ea non adsint supplicia peccatis, & præmia rectè factis: hæc enim efficiunt, ne obliuiscatur homo, cùm in honore erat, & honore coronandus sit. Et in præsenti constitutus est, super opera manuum Plasmatoris; caueat ergo homo improperium, ne in similitudinem iumentorum insipientium tanseat. Ita me debitur Princeps, & infirmitati intellectus per scientias, & inclinationi voluntatis in malum per æqualitatem, seu temperamentum excessus & defectus, moderatè subueniendo necessitatibus iuxta conditionem personarum, & memoriæ, per reuocationem finis, in quem tendere debet.

Restat, qualiter remouenda sint obstacula conseruandi candorem.
43. Tria autem sunt, inquit D. Thomas, quibus bonum publicum in candore suo permanere non sinitur. Quorum quidem vnum est à natura proueniens. Non enim bonum multitudinis, ad vnum tantùm tempus institui debet, sed vt sit quodammodò perpetuum, homines cùm sint mortales, diu durare non possunt. Nec dum viuunt, semper sunt in eodem vigore, quia multis variationibus humana vita subijcitur, & sic homines non sunt ad eadem officia peragenda, æqualiter per totam vitam idonei. Ideoque & sapientia, & bonitas Principis maximè elucere debet in creando, vel immutando magistratu, vt docent Politici. Nec mirum, quia ex eo, vel boni nominis celebritas, si boni & prudentes fuerint, prouenit: vel infamia, & vituperatio, imò & Regni interitus, si improbi. Quare sicut Labyrintho occlusus, non nisi filo quis ducatur, inde exire potest, ita fortunæ deductionis fila sunt Principibus, Magistratus, viri sapientes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam. Aliud impedimentum candoris publici conseruandi, ab interiori proueniens, in peruersitate voluntatum consistit, dum vel sunt desides ad ea peragenda, quæ requirit Respublica, vel insuper paci multitudinis sunt noxij, dum transgrediendo iustitiam, aliorum pacem perturbant.

Qualiter remouenda sunt obstacula, quæ candoré conscientiarum impediunt.

Tertium item impedimentum Reipublicæ conseruandæ, ab exteriori causatur, dum per incursum hostium pax dissoluitur, & interdum Regnũ, aut Ciuitas funditùs dissipatur. Igitur circa tria prædicta, triplex cura imminet Regi. Primò quidem de successione magistratuum, quæ quàm dignè peragenda est, modò diximus, & fusè pertractat Christophorus Varsauicius genere Polonus, vbi monet Principes multipliciter, qualiter in electione ad officia, & consilia se habere debent; & sicut per regimen

D. Thomas de regimine Principum.

diuinum in rebus corruptibilibus, quia semper durare non possunt, prouisum est, vt per generationem alia in locum aliorum succedant, vt sic conseruetur integritas vniuersi: ita per Regis studium conseruetur subiectæ multitudinis bonum, dum solicitè curat, qualiter alij in locum deficientium, boni, & prudentes succedant. Secundo autem impedimento obuiabit legibus, & præceptis, pœnis, & præmijs, homines sibi subiectos ab iniquitate coërcendo, & ad opera virtuosa promouendo. Tertio tandem obuiabit, si multitudo sibi subiecta contra hostes tuta reddatur, atq; hac ratione Rex candido capillamenti splendore exornabitur. Hæc si obseruat Princeps, satisfacit obligationi suæ, de qua Cicero: *Omninò*, inquit, *qui Reipub. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant; vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agunt, in eam referant; obliti commodorum suorum: alterum, vt totum corpus Reipub. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant.* Et ratio horum est, quia potestas magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari, inquit Saluianus, & D. Ambrosius: *Qui non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit.*

Cicero lib. 1. de officijs.

Saluianus l. 7. de iudicio & prouident.

Ambrosius l. 1. de offic. c. 36.

CAPVT VI.

Splendor Regum ex ornatu extrinseco quinque sensuum exteriorum.

ET primùm ex ornamento visus, cuius splendorem augent oculi simplices, lumen, & obiecta visibilia. Duo præclara, sensus externi, etsi omnibus hominibus, maximè tamen Principibus afferunt. Ornamentum, & vsum. Ita Aristoteles in Metaphysica. Omnes homines naturâ scire desiderant: signum autem sensuum delectatio, nam & absq; vsu propter seipsos amantur, quia, scilicet, per seipsos sunt hominis ornamento. Et subdit: præ cæteris autem sensus, qui per oculos fit, non enim vt agamus solùm, verùmetiam nihil acturi, ipsum videre præ omnibus alijs eligimus. Cuius reddens rationem dicit: Causa autem est, quòd sensuum hic maximè nos cognoscere quidquam facit, multasque differentias manifestat. Itaque decus, & ornamentum capitis est sensus visus, index cordis: nam ex visu cognoscitur vir, siue prudens, vel stupidus, simplex, & rectus, an vafer, an malitiosus; per oculos ingreditur lumen in intellectum, per oculos manifestatur bona, vel mala dispositio corporis, & animæ, ita quòd totus homo videatur in oculis esse, & quoad ornatum intrinsecum, & extrinsecum.

44. In sensibus externis duo præclara reperiuntur, Ornamentũ, & vsus.

Vſus præterea oculorum, vel potiùs ſenſus viſus eſt apprimè neceſſarius hominibus, maximè Principibus, qui tria requirit. Organa, ſeu inſtrumenta, & ſunt oculi; deinde id, ſine quo viſio eſſe non poteſt, ſeu ratio videndi, per quam, eſtque lumen, & tandem ratio videndi, ſeu viſionis obiectum.

Qualitates oculorum, & inſtrumentorum videndi, optimè notauit Chriſtus Dominus, dum dixit: ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Quod in vniuerſo eſt ſol & luna, hoc in Principe ſunt oculi, hæc ſydera ſunt adeò ſimplicia, vt nullam qualitatem peregrinam percipiant, ſolo lumine, & vigilantiâ excellunt, ſiue enim vigilent, ſiue quieſcant homines, lucent: ſic & oculi Principum lucidi, atque vigilantes eſſe debent: oculi diuini multò lucidiores ſunt ſole. Sol enim illuſtrat ea, quæ patent; oculi autem Dei intuentur cor, cogitationes, affectus, intentiones, nihilominùs tamen oculi diuini ſimpliciſſimi ſunt, nec ſolùm peregrinas qualitates, ſed nec vllam compoſitionem recipiunt, aut recipere poſſunt. Itaque & imitatione oculorum Dei, & imitatione ſyderum, ſimplices eſſe debent oculi Principis, vt totum corpus Reipublicæ lucidum ſit. Verùm quomodo id fieri poteſt, ſiquidem oculus, teſte Ariſtotele, ex quatuor elementis compoſitus eſt, & ex multis membranulis, quibus tuetur pupillâ oculi? Galenus affirmat centum viginti infirmitatibus laborare oculos, quibus difficile eſt mederi, niſi toto corpore priùs perfectè curato. Neque item requirit Chriſtus, quòd oculi ſint ſimplices, id eſt, omni diſcurſu, & conſideratione carentes, quales ſunt oculi brutorum, quippe bruta habent oculos, quòad externa idola, ſeu ſpecies, typoſque obiectorum percipiendos, ſed adeò ſimplices, vt omni diſcurſu, & conſideratione careant, prudentiâ, atque animo ſubueniendo ijs, qui videntur aliquo auxilio indigere. Non eſt contra ſimplicitatem oculorum de mente Chriſti Domini, quòd oculi ſapientis corporei non ſint compoſiti Phyſicè, nec oculi mentis non ſint diſcurſiui, & conſideratiui, imò doctrina Chriſti eſt, vt quod vident ſapientes per oculos, hoc illicò per intellectum, qui eſt oculus mentis, conſiderent qui non ſolo viſu materiali præſentia rerum comprobatur, ait D. Bernardus. Reges, qui ad viſitandum Iob venerant, dicit Sacra Scriptura, quòd videbant dolorem eius eſſe vehementem, quia tamen nullo remedio afflictionem eius lenire, ac ſubleuare cogitabant: idcirco affirmare æquum eſt, quòd brutales oculi eorum fuerint. At verò oppoſitâ ratione, de Matathia, & filijs eius, dicitur, quòd hi videbant mala, quæ fiebant in populo Iuda & Hieruſalem, vnde & dicebat, vt quid natus ſum videre mala populi mei? videbant quidem & cæteri, illis tamen ſolis tribuitur, quòd viderint mala, quia nimirum illi ſoli

45. Non ſatis eſt oculis corporis videre, ſed opus eſt oculis mentis cōſiderare.

soli subleuare, & eruere conciues suos ex omni oppressione, & calamitate moliebantur, illi soli mala gentis suæ, quæ oculis corporeis spectabant, attentâ animi consideratione, vnà cum compassione perpendebant, illi pro libertate, patrijsq; legibus strenuè dimicârunt, illi iugum hostile suis, populique ceruicibus excutere minaci dexterâ non dubitârunt. Mirum est, quantùm delectatur Deus simplicitate, non illâ, quæ artis compositione acquiritur, sed quæ naturali synceritate decoratur. Ad beneficia Dei solicitanda, & Deum exorandum necessarium esse cor simplex, docuit Christus Dominus, dicens: *Cùm oraueritis dicite: Pater noster, qui es in cælis.* Patrem *Matth. 6. v. 9.* oraturi vocamus; non dixit Deum Optimum, Maximum, non Dominum exercituum, non Regem Regum, nec aliud Dei grandius, & honorificentius vocabulum, siue proprium, siue appellatiuum præmittitur in Oratione Dominica, sed solùm *Pater noster.* Solum enim nomen Patris, est nomen naturale, in simplicitate naturæ fundatum, nec vnquam Deo gratiores, & acceptiores reddimur, quàm vbi erga illum, quandam naturalem simplicitatem seruamus. Itaque delectatur plurimùm Deus simplicitate, in verbis & actis, in natura & oculis simplicibus, qui sint absque mixtione tenebrarum, vitiorum, passionum, & cæteris, quibus caligant oculi. Hæc enim sunt peregrinæ qualitates, à quibus sicut longè est sol & luna, ita & oculi Principum esse debent, qui sunt sol mundi, & Regiminis Politici, vt dicere possint cum Christo: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Aquilarum oculi sunt æmuli solis, in victorijs reportandis, ex ipso solo visu, quando lucidissimis solis radijs sese opponunt, & de victoria visu reportata, regiam suam ostendunt naturam: sic & Regij animi Christum imitantes, gratiâ Diuinâ adiuuante, nouerint sternere aduersarios suos. Vnus solus Christus sufficit ad perdendos impios, & de hostibus trophæa erigere.

Neque verò in Regibus tantùm Deus requirit talem simplicitatem oculorum, sed etiam in ijs, qui appropinquant Principibus in visu, & consilijs. Non est contra dignitatem Regiam, alienis etiam oculis ordinem Reipublicæ aspicere, an sit laudabilis, vel vituperabilis? Quare non solùm tunc totum corpus Politicum splendidum erit, cùm vt dixit Christus, si oculus tuus simplex fuerit, scilicet Principis, sed etiam, si oculus priuatorum seruorum, qui est oculus alienus, simplex fuerit.

Vsus ocularium non denegatur hominibus, modò sint simplicia, & repræsentent visibilia, vt in se sunt; quæ verò arte factâ, visum decipiunt, aliter repræsentando, quàm res se habeat, hæc abijcienda sunt, quia falsò repræsentant. Nam & Saul his deceptus vt persequeretur Dauid, & Salomon

lomon Adoniam. Minoris potentiæ fuit Adonias, quàm Salomon; tamen interemit eum, non aliam ſanè ob cauſam, niſi quia ocularibus ingroſſantibus, res minoris momenti aſpexit Salomon in Adonia.

46. Per ocularia non aſpiciendum in negotia publica, & felicitatem proximi.

Auertat Deus, vt Principes per prædicta ocularia aſpiciant, nam inde ſequeretur, totum corpus futurum tenebroſum, totum Regnum inuidiæ labe laborare, quæ in malitia quaſi, omnia ſuperat vitia. Omnia quidem vitia ſunt ignis deuorans, prædictus tamen ignis, poteſt aquâ bonorum operum extingui. Ignis autem inuidiæ, potiùs aquâ bonorum operum, & felicitatis, quam cernit in proximo, incenditur, nec bonis operibus extinguitur, quin potiùs augetur, dum aſpicit bona proximi. Non prohibuit itaque Chriſtus Dominus vti Principes ocularibus, quæ ſiniſtrè repræſentant; permittit enim Regibus, ea, quæ in Regno illius aguntur, aſpicere oculis alienis. Non deſunt in Regnis viri probi, prudentiâ & virtute excellentes, per quos Princeps inueſtigare poteſt, qualiter Regno ſit ſuccurrendum. Non eſt vituperabile Regibus, vti conſilio virorum illuſtrium, quos idioma Hiſpanicum vocat Priuatos, qui cùm ſint recepti à Regibus in intimiorem amicitiam, bonum commune, & honorem Diuinum promouere, aut etiam nociua denunciare, abſque omni fuco, tenentur; exemplo Chriſti Domini, qui relictis alijs diſcipulis, tres ſolùm aſſumpſit priuatos, tanquam teſtes ſynceræ veritatis.

An autem aſſumendi ſint ad priuatam cum Regibus conuerſationem plures, vel vnus, non conueniunt Politici. Saluſtius Criſpus vnum ſolùm priuatum aſſumendum eſſe, ſuaſit Tiberio Imperatori, qui eſſet tanquam Ioſeph in Ægypto, ob periculum inuidiæ. Si enim plures aſſumerentur, poſſent cum potentia, & inuidia Regnum perturbare. At Chriſtus Dominus non vnum, ſed plures aſſumpſit, & licet in imperante vnitas omninò ſit congruentior, vt probat Ariſtoteles, & S. Thomas, & lib. 2. cap. 1. deducetur: in priuatis tamen pluralitas laudabilior eſt. Si enim Moyſes ad gubernandum populum, vnum tantùm in auxilium aſſumpſiſſet, exiguum ab ipſo auxilium accepiſſet, ideo vt plures aſſumeret, mandato Dei præceptum fuit. Sine dubio Chriſtus Dominus per ſe ſolum, totum mũdum conuertere, & ad ſe pertrahere poſſet, vnico radio potentiæ ſuæ, per Apoſtolos tamen id efficere, & mundum per fidem erudire voluit: præterea pluribus oculis res meliùs percipiuntur, quàm vno. Cæterùm, ſtatus Priuatorum periculoſiſſimus eſt, quod vel ex ipſa comparatione, & ſimilitudine ad ocularia patet, nam & gratiam Principis conſeruare, & Dei offenſam cauere debent; gratia autem Principum vitro debilior eſt, quæ multo tempore parta, leui ictu perfringitur. Quantos vidimus, poſt multos annos, mercatores gratiæ Principum, ex aula pulſos, (inquiunt Poli-

Politici) quia vno, vel altero verbo à Principis sententia discrepârunt, vel quia in sententiam eius non consenserunt: sed demus, quòd non excidât à gratia, quanto labore, & industriâ opus est, ne vno momento amittant, quod per tot annos comparârunt. Deinde placere Principi, & satisfacere voluntati Dei, difficile est, suaue quidem est, esse charum Principi, omnia apud illum posse, nihil sibi denegari quod postulant, apud populum in magna reuerentia, & reputatione haberi, sed quàm onerosum, & periculosum, dicant qui experti sunt.

Itaque & Regum, & amicorum eorum priuatorum, oculi simplices esse debent, suadente id Christo, eâ quippe ratione, totum Regnum lucidum erit. Idem enim est, esse oculos simplices, & luminosos, ex ipso verborum Christi contextu; nam cùm ex simplicitate oculorum infert lucidum fore Regnum, insinuat, illos oculos simplices esse luminosos, à quibus lux in totum Regnum diffunditur. Oculi autem luminosi, longè sunt à caligine tenebrarum, & vitiorum; nihil enim magis obfuscat pupillam oculorum, sicut tenebræ, quæ denegant oculis simplicitatem, & potestatem videndi. Et quid aliud est incredulitas, nisi caligo oculorum mentis? vitia enim non aliter excæcant oculos, atque excæcauit nidus hirundinis Tobiam. Vnde & ingemuit, atque cum lachrymis dixit: *Iustus es Domine, &c.* Per oppositum verò oculi luminosi, seu illuminati, spargunt lumen, non solùm in Regnum, sed in omnia opera eius, præterita, præsentia, & futura, manifestantq; etiam minimos errores, ita, vt verè dici posset illud Ruperti: *Quando habentes oculos illuminatos respiciunt præteritos errores, in quibus fuerunt, & conferentes veritati, valde mirati sunt, tremor apprehendit eos*; præsentia quoque & futura illustrant, ne in eis error accidat, conferendo cum præteritis, quod prudentiæ est. 47.

Alienis oculis aspicere negotia Regni, licitum est Regibus.

Iob 3. num. 2.

Rupert. lib. 2. in Exod. 32.

Aliud quod requirit splendor visus, est lumen, illudq; triplex: Corporeum, Intelligentiæ, & Fidei. Nullus quidem sensus sine lumine esse potest, vt dicit Seraphicus Doctor, præcipuè tamen sensus visus, nam vel lux sumitur secundùm suam puritatem, vel secundùm quod commiscetur extrinsecè: si secundùm, tunc vel commiscetur aëri, & sic est Auditus, vel vapori, & sic est Odoratus, vel humori, & sic est Gustus, vel terræ grossiciei, & sic est Tactus. Sola autem lux, secundùm puritatem suam, causat sensum visus, vnde intelligitur, quanta sit necessitas luminis ad visum. Luminis, inquam, corporei, ad illuminandas, & percipiendas veritates sensibiles, sine quo impossibile est videre etiam illa, quæ sunt lucidissima; quis enim gemmas in tenebris percipere potest, aut fulgidum aurum? 48.

S. Bonauent. de reductione artium ad Theologiam.

Oculi non solùm debent esse simplices, sed & luminosi triplici lumine.

Requiritur præterea lumen altius, quod illuminet veritates intelligibiles, de quo dicitur in Psalmo: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Montes

tés æterni, dici possunt Angeli, sed quia & isti illuminantur à Deo, & in tempore producti sunt, ideo montes æterni sunt Personæ Sanctissimæ Trinitatis æternæ, quæ illuminat mirabiliter, quia inuisibiliter in creatione illuminat Pater, *signatum est super nos lumen vultus tui, &c.* sicut enim in cera sigilli imago tota exprimitur, & omnia delineamenta eius: sic dum hoc lumen recipitur in creatione, creatura vultus Dei similitudinem accipit. Hoc lumen illuminat, calefacit, & dirigit gressus nostros perfectiùs, quàm lumen solis. Horologia solaria dirigunt homines, & notificant certitudinem horarum, si opponantur lumini solis; ideo quidam annotauit super prædicta horologia sequentia verba: *Aspicitur, si aspiciatur.*

Porrò lumen fidei illud est, quod dirigit gressus Reipublicæ, sicut direxit linguam D. Petri, diuinitatem Christi profitentis. Prædictum lumen lucescit Regibus, qui in pace regnare cupiunt, necesse est, vt non contemnatur, non immutetur, & vt omni vi defendatur, & amplietur. Sanè fides facilè prolabitur, cadens autem, Rempublicam semper secum trahit, sicuti stans semper sustinet, tanquam quæ sola fulcrum est, & pedamen, & basis, in qua Regni simulachrum firmiter insistit. Sane ideo mala omnia in rebus humanis quotidie ingrauescunt, quòd Deus mundi effector, & gubernator derelictus est, & susceptæ sunt, contra quàm fas est, impiæ religiones. Quod percandidè agnouisse videtur gentilis quispiam, qui obiurgatus, quòd inimici sui mortem doleret, qui à viuo vinci potuisset, respondit: Non sic Deum colimus, inquit, vt ille nos non defendat.

In Annalibus Polonis scribit Miechouita, quòd cùm Vladislaus Iagello, Rex Poloniæ, à fratre suo Suidrigalo còáctus esset in Lithuania, vt ei resignaret Podoliam, & Castrum fortissimum, naturâ & prouidentiâ Dei munitissimum, dictum *Kámieniec*, duo Poloni, Andreas de Tęczyn, & Nicolaus Drzevvicki, qui Sigillum Regium ferebat, in globum cereum literas includentes, puero Zaklicá dederunt, adijcientes mandata verbalia: *Si errare nollet, lumen in cera quæreret*; Buczácki Præses Castelli re intellectâ, & literis in cera inuentis, nec contemptâ instructione, Castrum resignare est dedignatus. Hoc idem Regibus Christianis suadetur, vt non contemnant lumen fidei, nec alibi veritatem quærant, nisi in lumine fidei, si errare nolunt, in fide Catholica Romana, quæ sola veritatem possidet.

49. Suadetur præterea Regibus, vt omninò procurent, ne fides immutetur. Nam si profanarum rerum immutatio, cladem, perniciemq; Reipublicæ afferre solet, si & legum nouitas, iniquitas est; multò magis sacrarum, adeò, vt religionis nouitas, impietas sit. Sanè si antiquis retinendus videbatur, tum ob vulgi opinionem non turbandam, cùm ob magnas

Maximè procurandum Regibus, ne fides antiqua immutetur.

Reipu-

Reipublicæ vtilitates, antiquior mos, religio, disciplina, quæ tamen fallax erat, & vana: quantò attentiùs nobis retinenda est, nostra solida, firma, vera Religio, ne immutetur. Dicat qui vel minimùm mentis habet, quàm damnosum sit aliquid innouare, & ea, quæ Patriâ lege, laudatâque consuetudine firmata sunt, immutare. Suadent autem Politici amplian- dam esse Religionem suadendi mansuetudine, non imperandi ratione, & religioni potissimùm ampliandæ, Regem præpositum esse custodem, certum est, ideo vt semper augustum se ostendat, oportet. Ampliandi methodum optimam amplectatur persuadendo, animos alienigenos, scilicet, armorum vi in potestatem redactos, sensim, leuiterque in nostram religionem, cultumque ducere studendo, vt mansuetudine prouocati, sequi nos potiùs velint, quàm seueritate deterriti fugere. Fides enim est suadenda, non imperanda, cupienda, non extorquenda, malè enim respondent cóácta ingenia, & nemo cogitur, vt credat inuitus. Memoremque oportere quemque suâ ipsius electione Deum colere, non cóáctu. Ita quidem, vt fidem ipsam Catholicam semel susceptam spontè, semper cogatur retinere, ne alijs vilis, & alijs etiam contemptibilis habeatur. Nam & ideo Christus Dominus tametsi venisset sanare omnes: quia tamen non omnes medicinam expetiuerunt, non nisi volentes sanauit, inuitos nihil adstringens, ne abuterentur medicinâ mentis. Quo non obstante, omni vi fides defendatur contra externam hostium violentiam, qui illam suâ ipsorum introductione, quasi clauo extrudere nituntur. Eo enim fine cùm inauguratur Rex ab Ecclesiæ ministro, gladium accipit, pro Ecclesiæ Dei, & fidei defensione vibrandum, atque stringendum, pro Matrefamilias illius Regni.

In hoc magnâ laude dignum est Regnum Poloniæ, quòd ab eo tempore, ex quo recepit sanctam Fidem, nunquam habuit Regem hæresi infectum, quin potiùs Fidem sanctam semper defendentem, quod etiam nostris temporibus in Comitijs Cracouiæ Anno 1633. specialiter innotuit, vbi dum formula iurisiurandi Regij impugnaretur, quasi iniustè, verbis, fidem Catholicam, adderetur, Romanam, cùm tamen verbum illud, intelligentiam sententiæ non mutaret, Catholico nomine, non nisi Romanam Ecclesiam, communi intelligendi vsu designante. Vnde cùm diutiùs tam inaniter contenderent dissidentes, asperiori apprehensione, quòd dubia in re, dubia quærerent, minasque iactarent, reprimi debuerunt. Et inter eas concertationes, in illa verba Ioannes Zebrzydovvski Ensifer Regni, proruperat. Quousque dissidentes de Religione, intra limites ciuilis concordiæ, pacati viuerent, tolerandos fuisse, at vbi tam apertè abuterentur patientiâ Reipublicæ, seueriori animaduersione coërcendos 50. Non permittant disceptationes de fide,

sed cuncti decretis Concil. Tridentini acquiescant.

cendos esse. Non permittant etiam Reges pugnantes de fide opiniones, & diffidia, ne seditiones concitent, & turbas excitent, sed cuncti Concilio Tridentino acquiescant.

Tandem tertiò quod requiritur ad splendorem visus, est obiectum visibile, verùm quia plura sunt, quæ oculis Regijs ad videndum subijciuntur, seu quorum notitiam habere debet Princeps, hæc ad quatuor puncta reduci possunt, vt videant, quæ sunt supra se, quæ sunt infra se, & quæ sunt iuxta se, siue à dextris, siue à sinistris. Rex nihil maioris authoritatis supra se habet, præter ipsum Deum; quia sicut Reges capita sunt populorum, ita Deus Regum caput est. Debet ergo Princeps oculos mentis, scilicet, intellectum, & voluntatem in Deum erigere, fide Deum venerari, protestando, quòd crederet omnia, quæ de ipso (illo eodem reuelante) credit Ecclesia Romana, & impossibile est falsum aliquid à Deo reuelari Ecclesiæ, maximè, quod spectat ad articulos fidei. Necesse est item Principem rectum in Deum oculum, & amoris affectum erigere, qui ipsum in solio Maiestatis Regiæ collocauit, atque eundem laudare gratitudinis ergo, vnde sequitur dolor, quòd quandoque ipsum offendat, vel præcepta, aut leges tam illius, quàm Reipublicæ, ad quas obseruandas tenebatur, transgressus fuerit, & sic veniam obtinendam postulabit.

Debet item Rex, ex officio suo videre ea, quæ sunt infra Maiestatem Regiam, pauperes, & desolatos pupillos, & ad egestatem redactos, nam & Rex cælestis eos aspicere non dedignatur. *De cælo prospexit, vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum.* Et hoc vt succurrat miseriæ ipsorum, sequendo exemplum ipsiusmet Dei, qui propterea quæsiuit à Moyse: *Quid est, quòd populus plorat?* non quasi dubius de afflictione ipsorũ, & afflictionis causa, sed vt succurreret miseriæ eorum; sic Rex quærere debet à Præsidentibus, & Ministris, & Præfectis Ciuitatum, Oppidorum, Rurium. Quid est, quòd in Ciuitatibus audiatur ploratus, maledictiones, imprecationes malorum? Quid est, quòd in plateis pauperes moriantur? Quid est, quòd in villis agrestes opprimantur? Quid est, quòd in

51. Regno hæreses multiplicentur? quòd tam multi reperiantur inobedientes Deo, & Summo Pontifici?

Vltra simplicitatem, lumẽ oculorum, requiritur obiectum, & quoad Principes, sub obiecto oculorum illorum, quanam cadant?

Quid est, quòd pauci reperiuntur à Regibus destinati, qui fideliter inquirant de triplici PPP. qualiter in vrbe Prætor se gerat, an æqui tenax & boni, quietisq; publicæ studiosus, & inculpatus. Qualis Pastor, an non solùm verbo, sed etiam exemplo omnibus suis deseruiat, & qualis Præceptor. Quòd Reges sint Christiani, propter illos est, sed quòd sint Reges, est propter alios, ideo omnium curam gerere debent. Denique ad dignitatem, & reputationem Regiæ Maiestatis spectat, intueri ea, quæ ad

dignitatem eius pertinent, & tandem illa, quæ ad necessitatem Regni requiruntur tempore pacis, & belli. A latere dextro Maiestatis Regiæ sunt Senatores, & Consiliarij, illuc vel maximè cor, & oculi Regij intenti esse debent, exemplo ipsiusmet Dei, qui ad vnum ex Senatoribus suis, sic locutus est: *Ego Dominus Omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus*, vbi legit S. Ambrosius: *Ego sum Dominus Deus tuus, emerere in conspectu meo*, (id est in oculis meis) *& ambula sine querela.* Ibidem videnda est reputatio Maiestatis, vt prudentes habeat Consiliarios, ne consilia eorum procedant ex ira, passione, aut interesse, his enim solium Regium, & authoritas firmatur, & maximè in fide, & religione. Ordines etiam, & status nobilium, claro oculo aspiciendi sunt, & an more vulgi, an verò animi fortitudine splendeant? Item oculis aspiciat milites, an sint viles, vel illustres? quia gloriosum hoc est Principi; si enim in multitudine populi est honor Regis, multò magis in multitudine strenuorum bellatorum, & illustrium seruorum: vnde & Christus Dominus ex multitudine populi elegit duodecim Apóstolos, qui eum comitabantur, miraculis, & prædicationi assistebant.

Denique necessitates Regni videre, & prouidere tenentur Reges, vt sunt securitas, & libertas; viarum quoque aptitudo ad transeundum, vt bene stratæ sint viæ, siue pro aduenis, siue pro indigenis: propter hoc enim iratus fuit Deus Amorrhæis, & iussit ipsos deleri, quia filijs Israël vias impediebant, ne transirent, propter hoc officiales Regum vectigalia, pedagia recipiunt, &c. Præterea arma, ærarium militare, & cætera, quæ bello, & pace, pro tuendo Regno, necessaria sunt, prouideant; de quibus D. Thomas fusè. *D. Thomas de Regimine Principum.*

CAPVT VII

Splendor Regum ex ornatu intrinseco sensus auditus.

NON secus, atque visus, auditus quoque à natura institutus est, ad ornamentum, & vsum, teste Salomone. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, auris obediens*; vbi Salomon duo insinuat, & ornatum, & vsum auris obedientis. Ornatum quidem, cùm inquit: *Inauris aurea, & margaritum fulgens*; hæc enim ad ornatum, & decus extrinsecum adhiberi solent. Vsum verò; cùm inquit: *Auris obediens.* Hinc splendores Regum, ex auditu illustrandi sunt, nimirum; cui concedenda sit audientia, & cui, ac quando deneganda. Porro non sufficit audire, sed necesse est audita perficere. Auditui quidem fauet natura, quæ sic aures disposuit, vt essent in loco eminentiori sine obstaculis, ad exercendum mu- *Prou. 25. n. 12.*

nus suum, neque enim clauduntur, sicut oculi palpebris, aut sicut lingua labijs, & dentibus, neque mouentur, sicut manus, vel pedes. Cæteris animalibus permissum, vt demitterent, vel erigerent auriculas: homo autem habet aures erectas, & immobiles. Nec licitum est eas obturare, ne fortè comparetur homo ratione præditus, venenosis aspidibus, vel serpentibus, de quibus ait Psalmista: *Furor illis sicut aspidis surdæ obturantis aures suas.* Sicut ergò natura auribus ad audiendum fauet; ita sapientia ad obediendum, & inclinandum cor ad ea, quæ auditu percepta sunt. Inclina (inquit) cor tuum ad audiendam sapientiam. Septuaginta interpretes aliquid plus requirere videntur, dum legunt: Inclina cor tuum ad intelligendam sapientiam; videntur enim insinuare, quòd ad percipienda monita sapientiæ, non sufficiebant aures corporeæ, sed requirebantur mentales.

Psal. 57. 5.

52. Seraphica, & qui sunt intimiores Deo Angeli, non habent aures corporeas, percipiunt tamen vocem sermonum eius; delicata est vox Dei. Hinc Dauid: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, ad audiendam vocem sermonum eius*; vbi specialiter inuitat Angelos Propheta ad benedicendum Deo, & quòd, sint potentes virtute, scilicet, ad operandum ea, quæ velle Deum intelligunt, & quòd sint prompti, atque capaces ad obediendum: audire enim, & non facere, vanum est, vnde de hominibus dicitur: Beati, qui audiunt verbum Dei, & faciunt illud. Commune est brutis, & animalibus, audire auribus corporis, sed solis hominibus concessum est, audire auribus mentis, ita vt auditum sequatur cor & operatio; & hoc est, quod dicit Christus Dominus: Beati, qui audiunt verbum Dei. Sub præmio beatitudinis suadet Christus, & auditum verbi Dei, verbi increati, & sapientiæ, quæ à Patre procedit, estque origo sapientiæ, & in superno illo beatarum mentium domicilio, & in toto orbe sublunari. Itaque (inquit) qui habet aures audiendi, audiat sapientiam Dei, cuius voluntas in lege Domini. Et sacra Scriptura: audiat non solùm verbum vocale, aut scriptum, nec solùm verbum personale æternum, aut in carne assumpta, sed etiam eos, qui gerunt personam verbi, seu Christi Domini, scilicet, pauperes & afflictos, iuxta illud: *Quod vni ex istis minimis fecistis, mihi fecistis*; non solùm auribus corporis, sed etiam auribus mentis, erigendæ, extendendæ, expandendæ sunt aures ad audiendam afflictionem illorum, quia tales Principes magnum expectant in cælo præmium, beatitudinē, nempe, æternā. Beati, qui audiunt eos, qui gerunt personam Verbi, & faciunt illud. Imaginandum est aures esse bilances, quibus oneratis, eam in partem instar trutinæ, flectitur mens, quò suasionis pondus incumbit, idcircò longè meliùs, atque faciliùs id præstat, si ad persuasio-

Non solùm est audiendū auribus corporeis, sed etiam & auribus mentis, audiūt enim & Angeli.

Psal. 102. v. 20.

nis pondus, voluntatis quoque momentum, quod eſt amor, atque beneuolentia accedat. Amor enim meus (inquit S. Auguſtinus) eſt pondus meum, hoc autem tunc maximè eueniet, ſi in audiendo imitemur Deum, qui exaudit, & præſtat, quod petitur, iuxta illud Prophetæ: *Dominus de cælo in terram aſpexit, vt audiret gemitus compeditorum*, id eſt, vt auxiliaretur illis, adiuuaret, & faceret, quæ poſtulabant. Sic audiuit Deus *filium Agar captiuæ*; ſic audiuit Dauidem: *Cùm inuocarem exaudiuit me*; ſic audiuit *Chriſtum offerentem ſibi preces cum clamore valido, & lachrymis: & exauditus eſt*, inquit D. Paulus, *pro ſua reuerentia*, id eſt, conceſſa ſunt ei omnia, quæ poſtulauit. Itaque Deus audit, cùm facit, ita quoque ad audiendum inuitat Chriſtus, dum inquit: Qui habet aures audiendi audiat, non ſolùm intelligendo, & quæ dicuntur recipiendo, ſed etiam obediendo, & exequendo audita, mores & vitam, per ea, quæ auribus percipiuntur, corrigendo. Hoc eſt enim, cor inclinare ad intelligendam ſapientiam. Pſal. 101. n. 20. Gen. 21. 17. Pſal. 4. n. 1. ad Hebr. 5. n. 7.

Non eſt etiam pauperi deneganda audientia, monente Eccleſiaſtico: *Declina* (inquit) *pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & reſponde illi pacifica in manſuetudine*; vbi tria ſuadet Principibus. Primò: vt pauperis ſupplicatio ab illis pronis, & benignis auribus ſuſcipiatur. Deinde: vt reſponſum molle ſubijciatur ad leniendum mærorem eius. Tandem: vt ei aliquod ſubſidium feratur. *Nam qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, ipſe clamabit, & non exaudietur*, inquit Salomon. Doctrinam hanc de audiendis illis, qui perſonam Chriſti gerunt, quales ſunt pauperes, ſimplices, afflicti, & iniurijs affecti homines, Chriſtus Dominus confirmat exemplo: nam cùm afferebant ad illum infantes, vt eos tangeret, diſcipuli increpabant eos, Ieſus autem conuocans eos, dixit: *Sinite paruulos venire ad me, & nolite vetare eos, talium enim eſt Regnum Dei*. Nonné erat ſatis dicere, concedatis eis audientiã, inde intelligetis, quo indigeant? vt edoceret, quòd ſicut alienis oculis videre, ita & alienis auribus audire, licitum ſit Regibus, voluit tamen ille idem, qui ad tam altam dignitatem, & officium prædeſtinauit Reges, & ſpecialem illis contulit gratiam, vt perfectè audiant, & iuſtè, quod audiunt, decernant, proprijs auribus audire miſeros, & afflictos, qui nomine puerorum hîc intelliguntur, ſunt enim ſicut pueri paruuli opibus temporalibus, protectione, & defenſione deſtituti, in magna afflictione, tales non ſunt prohibendi ab audientijs Regum, qui vltimâ neceſſitate coäcti confugiunt ad Reges, vt ad Regnorum publicos Patres. Moleſtiam autem, quam ex eo Reges habent, præmium beatitudinis compenſabit. Si quis autem non neceſſitate coäctus, ſed ambitione, adulatione, auaritiâ, mercaturâ, audientiam poſtulauerit: huic eam denegare, iuſtum eſt. Exemplo Chriſti Domini: nam Chriſto prædicta loquente, accedens Eccli. 4. 8. Prou. 21. 13.

cedens ad eum quidam Princeps, sic ait: Magister bone, quid faciens, vitam æternam possidebo? Dixit autem illi Iesus: Quid me dicis bonum? nullus bonus, nisi solus Deus. Quibus verbis corripuit Christus adulationem, ille, qui aliorum datum sibi honorem non respuebat, & puerorum exultationem dicentium: *Osanna in excelsis,* & Magdalenæ deuotionem acceptauit; hunc reiecit. Vidit enim oculo diuino, quòd non desiderio vitæ emendandæ, & acquirendi Regnum Dei, suauiter ei locutus est, sed ex motiuo inuidiæ: postquam enim Christus dixit: *Talium enim est Regnum Dei,* ille cùm esset diues, intellexit aliter se non posse possidere Regnum Dei, nisi ex opulento, relictis omnibus, fieret paruulus, obmutuit, nec ampliùs interrogare ausus est, quem cùm inde contristatum videret Iesus, ait: Quàm difficile est eos, qui pecunias habent, in Regnum Dei intrare, facilius est intrare camelum per foramen acus! &c.

Itaque verbo & exemplo docuit Christus, hoc esse singulare ornamentum Regum, quòd sint faciles ad audiendum, atque ad subueniendum miserabilibus personis. Hæc est inauris aurea, & margaritum fulgens Regum, audire lachrymas innocentium, officium Regum est, audire clamorem sanguinis, dum enim innocentes lachrymantur, sanguine cordis sudant, nam Sanguis Christi meliùs clamat, quàm Abel, postulando clamore valido vindictam de afflictione pauperum, tam fortiter, quòd clamor eius peruenerit vsq; ad aures Domini Sabbaoth. Clamant lachrymæ innocentium ad Deum, sed validior & efficacior est clamor sanguinis Christi pro illis, ideo clamoris eorum vices assumpsit, cernit siquidé clamores lachrymarum pauperum esse impeditos, vel potentiâ Principum, propter quam, ne inclamare quidem audent, vel raucedine, quam ex clamore animæ contrahunt, vnde patienter tolerare coguntur, dum ossa eorum confringuntur, & tanquam in molendino grana conteruntur, & ipsi, ne mussitare quidem audent, oppilante iniquitate os eorum; & quanquam id sit magnum patientiæ, & sanctitatis signum, patienter tolerare, quale fuit in Martyribus, vindex tamen sanguinis Christi postulat à Deo vltionem.

53. Reges debent esse faciles ad audiendum miserabiles personas.

Imitentur Reges supremum Regem, nec patiantur obturari aures suas, vel officialium suorum muneribus, de quo dicit Sacra Scriptura: Dominus Deus vester, Deus deorum, & Dominus dominantium, terribilis est, qui personam non accipit, nec munera, facit iudicium pupillo, & viduæ; munuscula, honoraria laborantibus, & publico bono deseruientibus, non videntur prohibenda, quia nec Medici gratis mederi tenentur, nec Causidici, ne honoraria recipiant, prohibentur, sed ne opes infirmorum, & pauperum, ex nimia auiditate exhauriant. Nec Causidici

ſine mercede eſſe debent, ſed, ne ante deciſionem cauſæ, munera honoraria recipiant, quin potiùs expectent, & poſtquam ſubſidium tulerint iniuriato, mercedem habeant. Et hoc eſt, quod D. Paulus ſuadet, dum dicit: *Qui bene præſunt, duplici honore digni ſunt*, id eſt, multo honore, multis obſequijs, multarum rerum largitione, nam honor in hoc loco, prædicta obſequia, & largitiones inſinuat. Qui tamen muneribus, & honori debito renuntiant, magnæ & perfectæ virtutis ſunt, ſolâ enim virtutis gloriâ contenti. *1. Tim. 5. 17.*

Prudentis eſt cinere ignitos carbones tegere, ſed multò prudentioris honorem debitum humilitate decorare, & non acceptare, vel quia, dictante naturâ, honor virtutem ſequitur: vel quia ſicut improbis nequitia ipſa eſt ſupplicium, ita & probis probitas ipſa eſt præmium, vt inquit Boëtius. Quoniam virtuti perfectæ nullus fit condignus honor, vt dixit Philoſophus, ſed eſt præmium ipſa ſibi. Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces. Nulla corona etiam ex gemmis, auro, & lapidibus pretioſis decorata, nullum ſertum varijs florum coloribus, atque odoribus ſplendens, eſt dignum virtutis præmium, ex ramuſculis ipſiuſmet virtutis, ſertum virtuti texere neceſſe eſt. *Boëtius 12. de Conſol. Proſâ.* *Ariſt. 4. Ethic.*

Auertat Deus à Republica Chriſtiana, quod olim Michæas de domo Iacob prophetabat. *Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Hieruſalem in iniquitate.* Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant, & ſuper hoc requieſcebant diuites: non venient ſuper nos mala. Sed decepti ſunt, ſubdit enim Propheta: *Propter hoc, causâ veſtri, Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem, quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.* Et quam ob cauſam? quia obturabant aures ſuas muneribus, in iudicando cauſas pauperum. Non ſic Dauid Rex, de quo dicitur. Pauit eos in intellectu cordis ſui, gubernando rationabiliter, & in innocentia manuum ſuarum deduxit eos, non extendendo eas ad capiendum munera, quin potiùs ad largiendum. Hoc in Regibus laudabile eſt. *Mich. 3. 12.*

Oneroſum quidem eſt Regibus, & Principibus, aſſiſtere litigantibus, audire Senatus conſulta, iudicijs adeſſe, & ſapienter decreta ferre, atq; próprio ore ius dicere, hoc tamen neceſſarium eſt. Deus autem ſpecialiter adeſt Monarchis, ne errent, diuinatio in labijs Regis. per me legum conditores (inquit Sapientia æterna) iuſta decernunt. Vnde Eccleſiaſticus. *Eſto manſuetus ad audiendum, vt intelligas, & cum ſapientia proferas reſponſum, & ne capiaris in verbo indiſciplinatô, quoniam honor & gloria in ſermone ſenſati.* *Eccli. 5. n. 13.*

Tædium multarum horarum, quas iudicia occupant, ſuperare non pigeat, memores ſint Principis ſupremi Chriſti Domini, qui ſine vllo tædio, iudi-

Psal. 9. v. 5. iudicauit causas nostras in cruce, iuxta illud Prophetæ: *Fecisti iudicium, & iustitiam, qui sedes super thronum.* Super thronum iudicauit causas Christus, non suas, quia innocens, & impeccabilis fuit, sed nostras, vt idem Propheta insinuat. Fecisti causam meam, condonatis proprijs iniurijs, in causa nostra fecit iudicium inter Patrem cœlestem, & homines, reconciliando eos Patri, & inclinando cor eius in filios, inter dæmonem instigantem, & iurisdictioni suæ subesse debere, naturam humanam affirmantem præsentando culpas, & peccata generis humani, illum tamen condemnâsti, nos à potestate eius liberâsti, sanguinem, quem pro nobis effudisti, offerendo Patri, & ita captiuos libertate donâsti, inimicos in filios adoptiuos adoptâsti, gentiles in Christianos commutâsti, ex idiotis, & ignorantibus, sapientes, & eruditos in rebus cœlestibus fecisti. Hunc igitur imitentur Reges, qui sine vllo tædio has nostras causas iudicauit. Præterea ab hoc tædio liberare debet Reges dulcedo beatitudinis, quam Christus promittit audientibus verbum Dei, ad quod specialiter in iudicijs attendendum est.

54. Aliud ornamentum, splendor, & margaritum fulgens auditus Regum est, denegare audientiam, maximè delatoribus, & adulatoribus: & delatoribus quidem, quia nimia facilitas in credendo delatoribus, ingentem campum calumnijs præparat, innocentiam exterminat, sapientium ingenia confundit, & perturbat, Principes seducit, insidias artificiosè parat, vt incautos decipiat. Non prohibetur, nec dignitatem Regum lædit, accusationes audire, sed videndum, an venenum aspidum, & insanabile sit, sub lingua delatoris, & detractoris, quo inficiat, & lædat innocentem. Videndum, an sint sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs, quibus denigrat famam, conditionem, candorem innocentium. Attendendum est, quòd sicut non omnium abroganda fides, ita magna adhibenda est cautio, ne aures Principis seducantur, ne aliquando cognitâ causâ, facti pœniteat, examinanda sunt verba delatoris, an serpentina lingua mussitet, & spiculo venenoso cor Principis tangat. Diabolus accusator fratrum dicitur in Sacra Scriptura, ideoque qui defert innocentem, diaboli linguam gestat, ideoq; fugandus est, aspectu formidabili, & voce Christi. Vade satana. Non etiam sine speciali mysterio, natura duas aures concessit hominibus, quo monentur etiam Principes, tum ne faciles sint ad credendum, quæ in audientijs priuatis referuntur: tum, vt dum sinistram delator occupat, dextera delato, cuius est secundùm iura miserabilior pars, reseruetur, & dum illa puniendis malis incumbit, hæc remunerandis bonis attendat. Nam qui statuit aliquid, parte inauditâ alterâ, æquum licet statuerit, haud æquus erit, inquit Seneca.

Denegare auditum histrionibus, adulatoribus, regium est.

Nec

Nec minùs perniciosi sunt adulatores, & Principibus, & Reipublicæ, de quibus inquit Beuxamis. *Christus in adulatoribus colaphisatur.* Malchus: *Adulando Principi sacerdotum, alapam Christo dedit*; hinc de adulatoribus lamentatur Christus, dicens: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt, super vulnera corporis, vulnera adulationis, quæ fuerunt causâ vulnerum corporis.* Adulatio enim est persimilis doloribus Iob, de quibus lamentatur, dicens: *Concidit me super vulnus.* Nouerint ergò Principes, quòd nulla pestis est perniciosior adulatoribus: corrumpit enim ingenuos mores, cùm semper mentiatur, & vitia pro virtutibus extollat. Eliminat à palatijs veritatem, inquit Chrysologus. Et reuerà ita est, quia adulatores sunt hostes Reipublicæ, quam inficiunt simulationibus, adulatores sunt locustæ, verno tempore, quando est odor agri pleni, Principibus assistunt, at brumali tempore recedunt, & quandoque si opus, deficiunt, terga vertunt, imò moribus famam Principis dilaniant; denegandæ itaque sunt aures adulatoribus: tum ne supra dictis rebus afficiatur Princeps: tum vt à Christo præmium reportet Rex, quod Principi sapienter aures suas obturanti, repromisit. *Qui obturat* (inquit) *aures, ne audiat verba mendacij. Qui obturauit* (inquit Sacra Scriptura) *aurem suam, ne audiat sanguinem, &c. claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt*, inquit Isaias. *Qui claudit aures, ne audiat blasphemias* adulationis ambitionis conatus, hic triplex præmium in præsenti vita pro se, & populo, quem gubernat, obtinebit, nempe: primò securus erit ab hostibus, quia in excelsis habitabit Respublica, quam administrat, erit sicut arx excelsa, quæ ab hostibus capi non potest, & celsitudo eius est protectio diuina. Securus erit populus eius à fame, quia datus est ei panis. Ipsæ petræ, & lapides, si opus fuerit, diuinâ omnipotentiâ conuertentur in panem dulcem, & manna cœleste. Tandem securus erit in inundatione aquarum, vel defectu illarum, tempore æstiuo, dum aquæ deficere solent. Præterea, quid suauius veritate? quæ Principem, & Rempublicam liberat ab omni errore in arte gubernandi: adulatio verò excœcat, vt ait Beda. *Hyrundines* (inquit) *propter leuem volatum, adulationem leuem significant; quarum immunditia, quibus dominatur, excæcat.* Primus inter adulatores fuit diabolus, qui dum auaritiâ Christum excæcare non potuisset, offerendo illi diuitias mundi, arte adulationis vsus est: Cucurrit, & humiliter adorauit IESVM, dicens: Quid tibi, & mihi IESV fili Dei Summi, fili omnipotentis Dei? Recognosco, quòd sis magnus Princeps, recognosco, quòd quidquid facis, optimè facis, recognosco me esse tuum seruum, & vilem creaturam manu tuâ formatam. Credidit infelix, vt quia muneribus inflectere Christum non potuit, adulatione pulsando posset, inquit Chrysologus.

Isaia 33. 15.

Gen.4.num.8. Dæmonem eſt ſecutus Cain, qui foris *offerebat ſacrificia, & intùs perſequebatur Abel*, & Deum contemnebat, viliora offerebat, terrena cœleſtibus præferendo, nam inquit. *Eijcis me*, ſcilicet à bonorum terrenorum abundantia, *& à facie tua abſcondar?* Si terrenam externorum abundantiam à me tollis, non curo cælum, non curo videre faciem tuam, abſcondar à facie tua. Caimum ſecutus eſt Iudas, & deinde miniſtri Pilati deteſtabiles, qui Chriſtum, vt Regem adorabant, & arundine percutiebant, hos ſequuntur omnes hypocritæ filij Balam, qui in ore habent benedictionem, & in corde maledictionem.

Geneſ.4.n.14.

55\. Itaque, qui aulam fictè ſequuntur, & Regem adorant, non veritatis gratiâ, ſed auaritiæ culpâ, hi ſunt, qui ex palatijs Regum eliminant veritatem, vnde ruina Regnorum, ita, vt verè quidam dixerit. *Plura Regna deſtruit adulatio, quàm arma inimicorum.* Nec mirum; quia magis nocet Reipublicæ, quàm locuſtæ frumentis terræ, profundiùſque ſpicula figit, quàm apes, dum mel in ore verborum habet, & fel in corde geſtat, oculos Principi eruere, vel eum obcœcare contendit, dum inclinationem Principis ſequitur, eamque in malum Principis promouet. Quare diligenter attendendum eſſe Principibus, monet Salomon, (ad diſcernendum veros amicos, & bonos conſiliarios ab adulatoribus, lucem à tenebris ſeparandam) *Gloria* (inquit) *Regum eſt, inueſtigare ſermonem*, & intelligere, ad quem finem dirigitur ſermo: ſi ad bonum commune, Dei gloriam, & tunc verus amicus eſt: ſi loquitur ex amore ſui & intereſſe, adulatorius ſermo eſt: ſi autem ex amore amici, & meritorum eius, verus amicus eſt: ſi deficiente bono, commodo defuit, & amicum dereliquit, adulator eſt: ſi ſine intermiſſione diligit, verus amicus eſt: ſi ſuadet conuerſationem cum prudentibus, & amantibus bonum honeſtum, eſt verus, & ſyncerus amicus: ſi procurat, vt caueant ſibi Reges à viris bonis, adulator eſt. Sicut enim pictor imperfectus, imperfectè depingens auiculas, potiùs terret, & repellit viuas, nec publicat depictas, ſed eas abſcondit, ne comparatione factâ cum viuis, errores, & imperfectiones pictoris in pictura pateant; ſic adulator, ne in eius adulatione iniquitas, & vilis animus aduertatur, cauet ſibi à viris probis, illoſque perſequitur, & odio habet. Si autem ſuadet præmianda merita ob conſeruationem ſtatus, aut ob acquirendam reputationem, verus amicus eſt, ſi ſibi congregat, & à Principe cumulanda recipit, adulator eſt. Si denique nunquam dicit id, quod veritas dicendum ſuadet, adulator eſt. Si autem prudenter, & modeſtè veritatem dicit, dum dicenda eſt, vir bonus cenſendus eſt. Nam Medicus perfectus non ſemper dicit ea, quæ placent infirmo, ſed ea, quæ ſanitati congruunt, eſtò acerba videantur, inſinuat.

Adulatores ex palatijs Regũ eliminant veritatem.

Prou.25.n.2.

Imitan-

Imitandus est Deus, in discernendis amicis ab adulatoribus, qui eam ob causam stateram in manu gestat, vt doceret ponderandas intentiones, & verba sermocinantium, & discernendos veros amicos, ab adulatoribus. Gloria Regum est discernere sermonem, vt dixit Salomon: *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam*; sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua, sed in veritate, vt superiùs dixit: *Esto firmus in viis Domini, & in veritate sensus tui, & scientia, & prosequatur te verbum pacis, & iustitiæ*, suadente Ecclesiastico. *Eccli. 5. 11.* *Eccl. 5. n. 12.*

CAPVT VIII.

Splendor Regum ex ornatu extrinseco sensus Olfactus.



TRia sunt præcipuè, propter quæ perfectissimus Olfactus est desiderandus in Regibus, & Principibus: Sensorium olfactus, seu modus operandi illius sensus, obiectum eius, & virtus obiecti. Ita enim operatur sensus Olfactus, vt à longè percipiat odorabilia; in quo monet Principes, à longè subodorare Reipublicæ proficua, & nociua. Perfectissimum sensum odoratus describens Sponsa in Canticis, inquit: *Nasus tuus sicut turris Lybani, quæ respicit contra Damascum.* Turris prædicta, vt satis probabiliter dicitur, versùs Damascum erat ædificata, à Lybano autem non admodum longè distabat, & vt habet lectio Hebræa, & versio Septuaginta, spectabat faciem seu facies Damasci. Quoniam ad excubias faciendas aduersùs Damascenos, & Syrios, qui è Damasco totius Syriæ capite Iudæam infestabant, exstructa erat, infestatam namque Iudæam à latrunculis Syriæ legimus. Cùm igitur dicit Sponsa, quòd nasus Sponsi sit sicut prædicta turris, erecta super pulcherrimo Lybani monte, ita nasus in facie erectus est, sed similitudo, non proprietas est spectanda, quæ non in eo solùm consistit, quòd sicut illa turris super pulcherrimo monte erecta fuit: ita nasus, absque vlla curuatura, laudabilis structura est; neque item in eo, quòd sicut illa turris incutiebat terrorem latrunculis, ita gestus oculorum, & nasus est in pauorem & repulsam iniquorum; sed potiùs in eo, quòd sicut ex turri Lybani facilè erat dignoscere, latrunculos è Damasco in Iudæam tendentes, vel certè à longè dignosci poterant, amicine essent an hostes; ita sensus Odoratus (cuius organa sunt nares) in percipiendis ac iudicandis odoribus, pollet in homine, vt facilè sit dignoscere etiam à longinquo, an odor sit suauis, vel fœtidus; quinimò Aristoteles affirmat, quòd etsi odoratum hebetissi-

56. Reges à longè pericula præolfacere tenentur. *Cant. 2. n. 4.*

mum omnium animalium habeamus, faciliùs tamen odores percipiuntur à longinquo, quàm propè, & dulciores occurrunt odores à longinquo, quàm ex propinquo. Non absque mysterio itaque Minerua nostra sapientia, vult nasum dilecti sui esse persimilem turri Lybani. Firmamentum quippe non leue est Regnorum, si dominatores præsentiant à longè, quid periculi, quid odoris bonæ famæ afferat Regnis, quid verò amarum, & lachrymis deflendum odorem inducat, quid odorem gratum, dulcem, atque suauem, & quid putridum ac fœtidum afferat, atque longè prouidere, in hoc consistit prudentia Principum; sicut enim dicitur Prudens, quasi à longinquo videns, & per dioptram prospiciens, ita dicitur sensatus, quia acuto sensu odoratus à longinquo præsentit; Apes mella è longinquo sentiunt in aëre, pisces in aqua odore sentiunt alimentum in limo; Sol, inquit sacra Scriptura, cognoscit occasum à longinquo ab ortu, vt mirum sit, quòd Principes non prospiciant à longè pericula, irruptiones, fures, hostes, maximè si adsunt indicia; aliud est, si de securitate prospectum sit, quod etiam excusat Polonos, de irruptione Gustaui in Prussiam, quia tunc ne indicia quidem fuerunt irruptionis futuræ, maximè, quia crescente rumore de Classe Suetica, satis prouisum fuit, quòd Rex monuerit Ducem Prussiæ, vt diligentiores in Pilauio transitu, prout ex formula suæ fiduciæ tenetur, excubias, & quatuor naues, milite, & bellico apparatu instructas, teneret. Delegatos etiam suos ei destinârat Rex, qui munitionem illam Pilauiæ, & ordinem vigiliarum cognoscerent, & Regentes illius Prussiæ, dato responso, affirmârunt, securitati Regni ab illa parte sufficienter esse prospectum, omninòque tuta esse omnia ab illa ora maritima videbantur; cùm initio mensis Gustauus Rex, ex Suecia cum triginta nauibus adueniens, Pilauiam intrauit, nemine resistente, & tormenta solo puluere nitrato sine pillis onerata, aduentante hoste, planè lætitiæ causâ explodi fecerat. Præfectus illius loci etiam conuiuio lauto hospitem excepit, cum maximo detrimento & Regni Poloniæ, & Imperij. Cuius damni ignauia, atque defectus prouidentiæ Polonorum esset causa, nisi eos assecuratio excusaret; tenentur enim Principes pericula futura à longè præuidere, & quia in necessitate subita, quæ terrent, ante præuisa, non solent esse formidini: & quia id docuit Christus Dominus proprio exemplo, qui à longè prospiciens, & subolfaciens, quòd esset moriturus, & crudelissimâ morte necandus, & nihilominùs sic alacer, & festinus ibat in Hierusalem, vt (iuxta S. Marci notatum) præiret omnibus discipulis suis. Vnde tanta alacritas, & festinatio in via, cuius finis cruentissimus erat interitus, funestissimæ mortis amaritudo, latebat illum? Absit; imò ab ipso Conceptionis momento ante

Piasecius in Chron. Polon. sub Anno 1626

ante oculos habebat vniuersa dolorum suorum & momenta, & fomenta, diuinitatis odore, quæ tamen nullatenùs eius alacritatem amouere potuerunt, nec retardare cursum, si enim (vt modò dictum est) sol cognouit occasum suum, quantò magis Sol iustitiæ Christus Dominus? Solent equidem fortissimi, & constantissimi quique, imminente interitus conspectu, affici, & immutari, Christus non. Sol eadem luminum comâ rutilans, eodem aureo vultu nitens, ad interitum currit, cùm nihil priùs ab ipso ortu suo, quàm suum occasum videat. Vnde dicit Diuus Ambrosius: *Cùm enim dies horas suas complere cæperit, sol debitum sibi cognoscit occasum.* Ne putes solis pulchritudinem, & alacritatem in cursu inde oriri, quia nesciat finem, quin potiùs sic pulcher est, sic alacer, quia ab ipso primo lucis ortu, occasum & interitum prospicit. D. Zeno idem habet: Sol, inquit, die vnâ nascitur, eâdem die, quâ nascitur, moritur, nec tamen instantis finis sorte terretur, suos vt deterreat cursus, vt horas aut momenta producat, & saltem paulò diutiùs dies sui demorentur in vita: sed fidelis semper, semper intrepidus, ad sepulchrum noctis contendit. Quis etsi fortissimus instantis finis sorte visâ, non pigritaret, vt iret? Quis si posset aliquandiu remouere, non produceret horas, nec diei terminos longiores efficeret? Et minimè id sol facit, sed intrepidus currit ad notum sibi finem, in quo non solis materialis, sed veri solis iustitiæ grandis laudatio exprimitur. Equidem vidit diuinus hic sol occasum suum, vidit horribilissimum interitum, quem etiam diuina caro expauesceret, & non terretur, suos vt repigret cursus, vt horas, & momenta longiora producat, sed alacer, & festinus Hierosolymam ascendit, ascensurus ibi Crucem. Hoc item facere decet Reges, & Principes: quia (vt dictum est) in necessitate subita, quæ terrent, ante præuisa, non solent esse formidini.

Desiderandus est præterea in Regibus, & Principibus, perfectus Olfactus, ex ratione obiecti prædicti sensus, quod est odor, seu odorabile, significans claritatem nominis, & famam. Celsi & regalis animi est, claritatem nominis cunctis rebus præferre, famam omnibus temporalibus pretiosiorem reputare. Hanc debent Principes à prima inauguratione spectare, atque diligentiam adhibere, qualiter nomina eorum effulgeant popularibus, & quàm laudabiles apud subditos appareant, quoniam, vt inquit Cassiodorus: *Gloriosis Dominis gratiosiora sunt præconia, quàm tributa.* Quia stipendium & Tyranno panditur, prædicatio autem, nisi bono Principi debetur. Mirari aliquis potest, cur non alibi Christus Dominus, Rex Regum, de nominis sui inter populares æstimatione, nisi in Cæsarea cum discipulis egerit? Verùm id factum est, vt edoceret, qualis diligentia deceat præcelsos Principum animos, de fama, & bono nomine, & qualiter cætera *Cassiod. lib. 9. ep. 25.*

temporalia, ob hoc solùm contemnenda sint. In Cæsarea Cæsarum tributa seruabantur, & ibidem Regi Regum Christo, & diuinitatis, & facinorum suorum, præconia dantur.

Vter igitur gloriosior, vter diuinior apparuit: Cæsar auctus tributis populorum, an Christus virtute diuinitatis suæ professione? equidem tributum non distinguit inter Regem, & Tyrannum, aurea spolia tam solent esse latronum prædæ, quàm ornamenta dignitatum, & præmia facinorum. At præconia, & laudes, fama, & boni nominis publicatio non designant, nisi celsissimum, & regalissimum animum, quo etiam ita Christus delectabatur, vt meritò D. Petrus diuinitatis Christi professor, in eo loco celsissimum ab eo acceperit præmium, vbi pro Cæsare colligebantur census, &

57. tributa. Iuuat & illud, quòd à Principibus magis æstimanda sit cæteris omnibus fama; quia sicut odor à nobilissimo principio originem trahit, scilicet, cerebro, vnde etiam non minoris momenti est ornamentum homini: ita fama à virtute, siue bellica, siue in toga exercitata procedit, mediante probitate, quippe nominis honorificentia ex probitate oritur, probitas ex sola virtute. Est autem probitas æqua animi compositio in moribus, omnique vitæ actione coruscans, ac in honesto, tum externo, tum interno cultu consistens. Externo, vt modicus sit, vt decorus. Interno, in verbis compositus, dulcis, verecundus, opum contemptor, recti amans, in periculis constans, grauis, seuerus, sed non ad minas flexus, & in summa, omni virtute clarus. Porro virtutem, quòd finiri minùs aptè possit, varijs modis describunt Ethici. Et sacri quidem, simpliciter nihil aliud virtutem esse, quàm amorem, siue amoris ordinationem, siue bonum liberi arbitrij vsum, aut bonam mentis qualitatem volunt: ideo, scilicet, quòd prima animi affectio sit amor, & quòd per eam amor in nobis ordinatur, quo rectè viuatur. Profani verò, nunc rationis absolutionem, nunc rectam rationem, nunc in se perfectam, & ad summam perductam naturam, illi diuinitatis radium, imò & diuinum quendam thesaurum, quòd vitæ actiones ad Deum erigentem hominem, quasi Deum faciat: hi verò, ornatum & decorem operum voluêre.

Ad regalis nominis claritatem maximè Principes attendere debét sicut odorem famæ.

58. Enimuerò, si vera felicitas gloriosum faciat, si via hominibus ad felicitatem à Deo demonstrata sit, vna hæc est per virtutem, ita quòd qui virtutem assecutus est, eum, & felicitatem assecutum esse, & sic bonum nomen, quod breuiter comprehendisse videtur ille, qui rogatus aliquando, quid sit virtus? gloriosum nomen, respondit. Nec longè abscesserunt hinc sacri, vbi virtutis nomen ad potentiam perfectam significandam tractum, docuêre. Hinc veteres viros virtute pollentes, reliquos homines ita superare aiunt, vt plùs quàm terrena sapere, quin & ad Deum proximè ac-

Gloriosa via ad felicitatem per virtutem.

mè accedere viderentur, Heroas dixêre, id est, aëreos, & item semideos appellârunt. Ex hac etiam occasione antiqui, distribuerant genus humanum eo ordine, vt Deum summum, hominum infimum genus dicerent, inter medios Heroas, Deo quidem inferiores, hominibus superiores, & id ob solius virtutis participationem. Non debent igitur Reges nimiùm fidere, & famam quærere, ac bonum nomen aliunde, nisi ex virtute; Principes prisci ex virium præstantia, ex corporis elegantia, ex natalium splendore, ex Regnorum, quæ possidebant, amplitudine, expensarum, quas profundebant, copia, famam sibi comparabant; sed sicut prædicta temporalia sunt, & facilè pertranseunt, ita & fama bona illorum sempiterna esse non potuit; sola fama immortalis est ex virtute Christiana, quoniam qui famam suam magni æstimant, illi vitam flocci faciunt; & ex aduerso, qui vitam magnifaciunt, illi famam non magni æstimant.

Tandem desiderandus est perfectus sensus Olfactus in Regibus & Principibus, desumptus ex virtute obiecti prædicti sensus, scilicet, odoris, qui virtute suâ enecat venenosos serpentes, fragrantiâ odorifera cor lætificat, caput corroborat, quod propriè Regum officium est, impugnare aduersarios Ecclesiæ, & Reipublicæ, vt inquit D. Augustinus: Commouentur potestates Christianæ contra dissipatores, & detestatores Ecclesiæ, & Reipublicæ, si non mouerentur, quomodo redderent rationem suo Domino de imperio? quia hoc etiam pertinet ad Reges sæculi Christianos, vt suis temporibus pacatam reddant matrem suam Ecclesiam, vnde spiritualiter nati sunt. Item ad Bonifacium Comitem. Quomodo Domino Reges seruiunt in timore, nisi ea, quæ contra iussa Domini sunt, religiosâ seueritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim seruit Rex, quia homo est, aliter, quia Rex est: quia homo est, seruit viuendo fideliter: quia Rex est, seruit conuenienti rigore sanciendo. Item Isidorus: *Intra Ecclesiam potestates sæculi non essent, nisi, vt quod non præualent sacerdotes sæculi efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impetret per disciplinæ terrorem.* Cognoscant Principes sæculi, Deo se debiti rationem esse reddituros, propter Ecclesiam, & Rempublicam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Quare si cor Reipublicæ, quod est Christus, vt suprà dictum est, lætificare cupiunt, & Ecclesiam, atq; caput eius desiderant, nouerint se debitores in impugnatione aduersariorum Ecclesiæ, odore potestatis suæ. 59.

Odor suâ virtute enecat venenosa.

Isidorus.

Imitentur Christum Dominum, qui voluit appellari Nazarenus, & talem titulum cruci affigi, nec immutari placuit, quod interpretatur floridus, quoniam fragrantia odoris, manipuli passionis propriæ ex floribus innocentiæ candidatis, ex floribus purpurei sanguinis, ac violaceis amoris igniti in Deum Patrem, & salutem animarum nostrarum compacti enecauit 60.

Totus floridus Christus Dominus, ideo Nazarenus dictus.

cauit mortem, ſanctificauit ſepulchra, male-olentia in ſplendidiſſima palatia commutauit. Enecauit venenoſum ſerpentem infernalem, eius factiones diſſipauit, & tanquam fortior illo, arma illius diripuit, vires debilitauit, ſpolia diſtribuit, ipſumque conculcauit, & pœnis perpetuis infernalibus addixit. Enecauit vitiorum monſtra, atq; hâc ratione non ſolùm enecauit hoſtes, ſed & ſanctificauit amicos Mitridate paſſionis ſuæ. Refert Chroniſta Poloniæ, quòd cùm Boleslaus Pudicus cum Prandota Epiſcopo, miſiſſet nobiliſſimos nuntios ad Summum Pontificem pro Canonizatione S. Stanislai, vnus ex Cardinalibus magnæ authoritatis Reginoldus, Epiſcopus Oſtienſis, aduerſabatur, hic graui correptus eſt ægritudine, vt ſuo, ſuorumq; Phyſicorum iudicio mortem timeret expectare. Vigilanti ergo ſoli in lecto iacēti, ſanctus vir apparens, dixit: Agnoſciſné me? Qui ſtupens, non agnoſco, inquit, quæſo tamen quis ſis? Ego ſum, ait, Stanislaus Epiſcopus Cracouienſis, à Boleslao Rege Polonorum ſectus, & occiſus, cui aduerſaris, & non rectè te opponis. Ad quem Reginoldus Cardinalis: Ignoſce, inquit, Præſul Sanctiſſime, & errori meo veniam præſtare digneris, fortiorem promotorem, quàm impeditorem Canonizationis habiturus. Cui Beatus Stanislaus, vt, inquit, me martyrio ſanctificatum cognoſcas, ab ægritudine illicò incolumis ſurge, caueque

61. ne de cætero Canonizationi meæ aduerſeris. Quodſi martyrio ſanctificatum ſe eſſe recognoſcit S Stanislaus, quantò magis Paſſione Chriſti animas Chriſtianorum ſanctificari, & vitiorum monſtra enecari, fateri debemus? Cuius ſanctificationis participes fient zeloſi Reges & Principes, in impugnandis hoſtibus Eccleſiæ, & Reipublicæ.

Paſſione Chriſti Domini Chriſtianorũ membra ſanctificantur.

CAPVT IX.

Splendor Regum ex ornatu extrinſeco ſenſus Guſtus.



Vperat ſenſus Guſtus in eo alios ſenſus, quòd ſenſorium eius duo habet officia, nimirùm: diuidere, & diſtinguere inter ſuaue, & amarum guſtui: deinde diſtinguere inter prudentem, & incautum ſermonem; hæc enim duo officia obire debet lingua, quæ eſt ſenſorium guſtus, pro munere ſuo, debet enim inter ſapores differentiam ponere, & inter locutionem ſuauem, & acrem, neque enim ſolùm ſuauitas circa cibum, & potum eſt, ſed etiam in moribus guſtus, & ſuauitas reperitur, præcipuè in ſermone, & culpis caſtigandis. Suaues & ſeueros Reges deſiderat Regnum, ita vt ſeueritas illorum non

ſit ad

sit ad perditionem, sed ad salutem, & ædificationem. Discant id Reges à Deo, qui ita est seuerus, & amarus, vt etiam sit suauis in corripiendo 62. peccatores in præsenti vita. Nunquam enim à Deo venit in præsenti vita seueritas, quæ sit ad perditionem, quod pluribus exemplis illustrat quidam modernus. Et primùm de Moyse: *dum enim pasceret greges soceri sui, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus ardebat, & non comburebatur,* vndique rubum flamma cingebat, sed rubum non exurebat. Et cur à Deo vicina flamma non exurebat rubum? cùm Deus ardenter in præsenti, venit in peccatores, flammas apponit, seueritatem & rigorem applicat, quo minimè feriat; sed extrinsecùs sistens, integra omnia interna reseruat. Pulchrè D. Ambrosius inquit: *Ideo spineus rubus vrebatur, & non exurebatur, quia terram istam, quæ nobis generabat spinas, disponebat vrere per continentiæ disciplinam, non consumere per mortis ærumnam. Ignem adhibuit circumcircà, quo tamen nihil exureret, nihil consumeret, sed omnia conseruaret integra, & à perditione libera. Huc enim peruenit asperitas ex Deo, vt spicula approximet, non tamen illa infigat, nec damnum ruinæ, sed vtilitatem emendationis procuret.*

Reges nunquam castigare debent ad perditionem exemplo Dei.

Exodi 3. *n.* 2.

D. Ambr. in Psal. 43.

Hoc idem exemplificatur exemplo Ionæ Prophetæ, cui fugitiuo & rebelli ferrum applicat, à quo sanetur, non à quo interficiatur. Iam fortè deprehensus erat, iam aderat mittendus in mare, quin potiùs iam in feruentes aquas fuerat iactus. Et præparauit Dominus piscem grandem, qui deglutiret Ionam. Quid agis Domine? Nonné misero rebelli tuo, & peccatori sufficiebat, quòd inter furentes fluctus maris mitteretur? cur insuper paras feralia piscis viscera, quibus includatur? Vbi sunt vniuersi fluctus maris in ipsum commoti, quid necessarium est, piscis ventrem addere? permiserat, imò iusserat Deus fluctibus, quòd irascerentur, quòd sæuirent in rebellem Ionam, & sic eum ad bonam frugem traherent, & ne fluctus sæuitiæ metas excederent, & quæ circa illum erant prætereuntes vsque ad intima penetrarent, & hominem suffocarent, præparatus est à Domino piscis, cuius aluus metam præfigeret fluctibus, & omnia circa Ionam turbans, ipsum daret incolumitati. Totus rigor, & asperitas excitata in Ionam eò tendebat, vt viueret, & bellua, quæ à Deo in rebellem paratur, debebat sic hominem inuadere, ne hominem mactaret, sed ei vitam reseruaret. Et sic verificatur illud Sapientiæ: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim, vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est illis medicamentum exterminij, nec inferorum Regnum in terra.*

Sap. 1. 13.

Hoc quoque patet & in sacrificio Abrahæ, vbi gladij asperitas, & rigoris seueritas expensa, hostia tamen minimè cæsa est Imò & in ipsa prolapsus hominis pœna, potuit Deus mittere perditionem, sed maluit afflictionem mittere, quæ non exterminium, sed medelam peccatori parturiret,

turiret, dicens: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* *Terra* (inquit Bernardus) *addictus es, factus es è terra, & ipsa tibi sit patria, quæ fuit materia.*

Quod si suauitatem Christi Domini perpendamus, de eo canit Ecclesia: *O quàm suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cælo præstito, &c.* Quid seuerius, & ærumnosius morte? ad cuius horrorem leniendum, & dolorem, instituit Christus suauissimũ panem Eucharistiæ, sumendum ante vitæ finem, & dormitionem mortis. Mortem nullus hominum fugiet, sed ante mortem, mirabilem Eucharistiam, confortationis, & consolationis panem, offert Christus. Consolatione calamitatem anteuertit, vt, mortis falce penè concussi, ob admi-

63. randum salutis genus in Angelica Eucharistiæ mensa exhibitum, gloriemur. Nulla asperitas, nullus in morte conflictus non sapit, vbi cœna Eucharistica præcedit. Cùm meritò refert D. Paschasius, de Corpore & Sanguine Domini, illud Psalmi: *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Ponuntur iustis viris fines, & vitæ exitus pacifici, quieti, omni periculo, conflictu carentes, sed hoc de cœlestis frumenti præmissi beneficio venit, quippe ait: *Et adipe frumenti satiat te.* Ideo vsque ad saturitatem præmittit illum cœlestem cibum, vt in fine, nullus sentiatur conflictus, sed omnia mortis hebetentur spicula.

Mors suauis, vbi suauitas cibi animæ præcedit.

Psal. 147. *v.* 1.

Iudicia quoque illius, scilicet, Christi, erant suauissima, vt clarè patet in decreto contra mulierem accusatam de adulterio. Imò & signa, atque miracula Christi erant suauissima. Fecit (inquit) signa amabilia, dulcia, sanando insimul corpus & animam, in vtilitatem, atque commodum hominum, non in damnum, atque terrorem, vt Moyses in Ægypto fecit signa terribilia. Sic igitur Reges imitentur Regem Deum, & Christum redemptorem, & non ad perditionem seuerè corrigant, sed suauiter gubernent. Non sint, vt imperiti Medici, qui dura, & aspera medicamenta dum applicant pro salute corporis adipiscenda, sæpiùs inferunt mortem, & quæ putabantur medicamenta, sunt venena, quæ infirmum affligunt, & vitam exterminant. Hæc sunt medicamenta exterminij, de quibus Sapiens suprà: *Deus mortem non fecit, &c.* Cæterùm, sicut nimia seueritas vituperabilis est, ita nimia facilitas minimè laudabilis est; sicut enim Dux indigens prudentiâ, & charitate, multos opprimet, ita Dux indigens zelo, multis occasionem peccandi præbebit. Spe impunitatis imperia subuertuntur, terrore durant, secantur metu, nectuntur dilectione, sed nec minùs ruunt nimiâ lenitate; ideoque Christus Dominus, & oraculis, & exemplo docuit temperatam suauitatem, ait enim ad discipulos suos: Vos estis sal terræ, ad gustum conferendum, maximè deseruit sal, sine condimento sa-

Sap. 1. *v.* 13.

lis,

lis, etiam optima fercula insipida sunt, componitur autem sal ex duobus elementis contrarijs, igne, & aqua, quod etiam vel ipsâ experientiâ innotescit: nam si in loco humido sal ponatur, in aquam resoluitur. Si etiam sale aspergantur gramina, & herbæ, eas consumunt, & exsiccant, ita tamen hæc duo elementa in sale contemperata sunt, vt vnum non destruat aliud, sed vtrumq; gustum, & saporem afferat. Sic decet Principes zelum benignitate commutare, temperare, ne ignitus zelus consumat, & destruat lenitatem, & zelum diminuat, vel extinguat, sed vtrumque temperatum, & moderatum Principem efficiat. 64.

Non debent Principes ob dignitatem penitùs exuere humanitatem, quoniam, vt morum asperitas hominis ingenio displicet, ita lenitas placet, & inde sequitur, vt Princeps sit Dominus, non solùm rerum temporalium, sed etiam amicorum. Præterea, hanc virtutem, per totam vitam suam, Christus Dominus docuit: *Discite* (inquit) *à me, quia mitis sum, & humilis corde*, discite lenitatem, & seueritatem in vita, & in morte, quippe in decursu passionis cernitur in Christo & lenitas, & zelus: lenitas, quia percussus à Malcho, percussione, quæ & dolorem, & contemptum inferebat, (puerilis est enim percussio, colapho cædere) nil aliud respondit, nisi cur me cædis? in progressu passionis vbique redoluit affabilitas passionis Christi, siue cùm præsentatus fuit Pilato, siue Herodi, siue Principibus sacerdotum: vbi tamen agebatur de honore diuinitatis, zelosè locutus est. Dum interrogaretur, an esset Christus, an Messias? respondit se esse Christum, subdens; amodò videbitis Filiũ hominis venientem in nube, & maiestate. Jn monte Thabor voluit apparere cum Moyse, & Helia, quorum vnus suauissimus, scilicet, Moyses, & alter zelosus, nimirum, Helias. Optandum igitur, vt Principes, & actiones sacræ illorum sint, adinstar salis, & discipulorum Christi, quod sanè eueniet, si cogitent nimio zelo imperia destrui, nec minùs nimiâ felicitate infirmari, temperatâ autem suauitate durare; prouideant (si placet) Principes mænia fortissima, erigant arces, multiplicent exercitus armatos, nostra minerua, quam armatam depingebant antiqui, solo oliuarum ramusculo plùs efficiet, quàm omnia suprà dicta, persuadendo Principibus mansuetudinem, & morum facilitatem verbis Eccles. *Fili, in mansuetudine tua opera perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Loca munita, aggeres, arces, tutum faciunt Principem, sed non omninò: hæc siquidem proditionibus, & arte, auro, alijsque modis possunt vinci, & alterius dominio subdi, aut armorum vi superari: at custodia inuincibilis Regnorum est temperata seueritas, quæ amorem populi erga Principem conciliat, cui etiam inexpugnabile munimentum est, alio munimento non egens; plùs potest amor, quàm timor, & nullâ ratione

Non debent Principes ob dignitatem penitùs exuere humanitatem.

Eccl. 3. v. 19.

one

one faciliùs ad amorem inuitatur vir, quàm præuenire amando. Quare, vt perenne, atque durabile sit regimen Principum Christianorum, lenitatem, atque temperatam seueritatem obseruent, opus est. Vnum est, quod Principes à lenitate auocare, & à seueritate in puniendis iniurijs, siue sibi, siue alijs quoque illatis, potest: nimirum patientia, quæ Regiæ authoritati, & dignitati videtur derogare, cùm tamen & Deus ipse Regibus, patientiæ exhibuerit exempla, & in proprio Filio, qui omnes percurrit ætates, & passus est in omnibus, ita, vt in passione omninò impassibilis videretur. Quid latro in cruce Deificum in Christo aduertit, quòd Deum, & Regem professus sit? ineffabilem sanè patientiam, nec mirum; quia, vt inquit Augustinus: *Commendanda erat patientia, non exercenda potentia.* Potentes sunt Reges, facilè vindictam sumere possunt, sed commendanda est in ipsis patientia à dulcedine victoriæ, quam reportant, partim ex magna iræ passione, (vincere enim iram, est vincere seipsum) partim, ex impetu impatientiæ, quam vincere gloriosus triumphus est, sicut & vindictam remittere; cùm enim Principes sint in auge dignitatis humanæ, & potestatis, minima iniuria à subditis illata eos afficit, cùmque potestatem vlciscendi habeant, ab vltione tamen abstinere, quin potiùs verbis affabilibus alloqui offendentem, valde gloriosum, & virtuosum est, in quo etiam & gentiles Imperatores gloriam sibi comparârunt.

Cùm quidam Augusto iratus esset, Tyranni nomine eum compellauit, dicens: Tyrannus es. Respondit Augustus. Si Tyrannus essem, hæc mihi non diceres. Quantâ iucunditate hic Princeps orbis affectus est, quòd feruentem, & excandescentem iram cohibuerit, & vlcisci cùm potuisset, neglexerit. Vtrumq; enim valde gloriosum est, iram deuincere lenitate, & vindictam remittere, vel saltim de vindictæ rigore diminuere: illud est magnæ modestiæ, hoc verò clementiæ, quæ item laudabiles, ac amabiles, & suaues facit Principes. Eâdem victoriâ potitus Casimirus Dux Sendomiriensis, qui ictum palmæ à milite Ioanne Conario sustinuit, & Augustus quidem, vt naturâ mitis, ac affabilis, Casimirus autem vltra hoc, vt modestus, & patiens Christi Discipulus. Sic igitur triplicem victoriam ex vno patientiæ munere lucratur Princeps ex seipso, & subditis, quos sibi beneuolos conciliat, & ex seditionibus, & turbationibus Regni, quod amore subditorum, cum quibus modestè, & clementer agit, pacificum habet. Id egregiè expressit, qui temperantiam, alterâ manu frænum, alterâ palmam tenentem pinxit. Principem hyroglíphico exprimens, quòd qui suas passiones refrænare nouit, felicissimè regnabit. Itaque ex his, quæ dicta sunt, intelligitur, Principem non ita esse debere suauem, dulcem, affabilem, vt omnibus sit suauis, nec ita amarum, & seuerum, vt omnibus sit grauis.

Non minoris momenti est vsus, & ornamentum aliud sensorij gustus, 65.
nimirum linguæ: dum discernit sermonem cautum ab incauto, simplicem ab ornato, quem insinuat Eccl. dum ait: *In lingua sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, & firmamentum in operibus iustitiæ.* Nec mirum; est enim oratio rationis vehiculum, speculum mentis. Aristoteles in Alexandro Rege eloquentiā desiderabat, sic eum alloquendo: Quemadmodùm vestium decore, atque magnificentiā, cæteris hominibus præstare studes; ita etiam dicendi inuentionem, ac vim eam, vt accipias, nitendum est, quæ pulcherrima sit, apprimèq; præclarissima. Longè enim præclarius est, animo esse bene constituto, quàm habitum corporis vestibus ornatum pulchrè intueri. Absurdum enim est, eum, qui rerum gloriâ cæteris antecellit, videre humillimis quibusdam in dicendo cedere. Et rectè; oratio enim prodit sapientiam, nimirum admirabilium rerum cognitionem, sensum, id est, prudentiam in rebus agendis, scientiam, seu naturalium rerum intelligentiam, & doctrinam, seu eruditionem in moralibus, ac tandem id, quod est firmamentum in operibus iustitiæ suauissimum, scilicet, veritatem, quæ maximè Principes decet, in dicto, facto, publicè, ac priuatim. Veritas quidem, quia eo præclarior agnoscitur, quòd altioris originis inuenitur. Et vndenam altior, quàm à Deo? Deus veritas est, à quo veritas omnis, & sine cuius lumine, veritatis lumen nemo vnquam pertingere potest, tantæ tamen efficaciæ, & virtutis, vt contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facilè semper seipsam defendat. Vnde à quibusdam omnium domitrix, quasi suo nomine est appellata. Cuius rei nota est in sacris decisio, quòd sola veritas sit fortitudo, & regnum, & potestas, & maiestas omnium æuorum. Nec mirum, quoniam rationis, & orationis sedes sunt vicinæ, & connexæ, vt Galenus testatur, dicit enim, quòd à cerebro, vbi mens, & ratio domicilium habere creduntur, deducit neruos, qui linguæ, cæterisq; orationis formandæ organis, & instrumentis in ore subseruiant, atque exclamat, id iure à sapientissima Magistra fieri: tum quòd humanæ vocis formatio, actionum humanarum, longè sit præcipua, quippè, quæ motionum animi nuntia sit, & interpres: tum vel maximè, quia 66.
omnem orationem nostram, menti ac rationi conformem esse oportet, vt sic oratio, & quicunque sermo, non solùm sit verbis ornatus, sed & veridicus. Quodsi in hominibus priuatis id requiritur, quantò magis in Principibus? Ideo volunt Politici, Reges debere esse veridicos, publicè, & priuatim. Publicè: instituendo, iudicando, præcipiendo, vt vitæ, iustitiæ, doctrinæ veritatem ostendant. Instituendo, vt moribus veris, id est, diuinæ legi consonis, instituantur. Iudicando, vt nihil à iusto recedant, sed

Aliud gustus officium & vsus est lingua. *Eccl. 4. n. 29.*

Omnis prudẽtum sermo, nõ solùm debet esse verbis ornatus, sed & veridicus.

suum cuiq; ius reddant, vt monet sacrum oraculum. Diuinatio in labijs Regis in iudicio &c. dum ita est verax in iudicando, acsi oracula proferat. Præcipiendo, vt nihil inhonestum præcipiat, hoc enim quo quid inhonestum est, eo statim falsum est. Priuatim verò: cogitando, conuersando, loquendo, videndo, audiendo, faciendo. Cogitando, vt nihil fictum in mente habeat, sed velit omninò, qualis est, talis & haberi, & talis esse, qualis videri cupit, nihil cogitare reputans, quod Deum latere possit: quin & præstò semper adesse, nedum actionum inspectorem & testem, sed & cogitationum exactorem, vbi enim homo est, ibi & Deum credendum est adesse. Conuersando, vt his tantùm assuescat, qui augere bonitatem suam, non minuere possint; proinde effrænatos, malignos, impudentes, infelices studiosè fugiat, qui tanquam leprosi, & pestilentes, non tactu solùm, sed propinquitate etiam, & aspectu inficiant. Loquendo, vt non hoc dicat, illud faciat; magnitudinem enim fortunæ suæ, Princeps qui sic agit, ignorat, siquidem principium labiorum eius, debet esse veri-
Prou. 17. *v.* 7. tas; *nam non decet Principem labium mentiens.* Veritas item in videndo decet Principem, ne quid mendax inspectet, mendax autem est, quodcunque vanum: vanum, quodcunque vacuum: vacuum, quod non implet Deus, & sic omnia vana, & vacua sunt, quæ non sunt plena Deo. Audiendo, ne mentientibus aurem præstet, cùm enim Princeps sit simulachrum Dei, cauendum, ne ore, linguâ, aut aure, famulus dæmonis efficiatur. Denique faciendo ita, vt quod semel promisit, re ipsâ efficiat, atque ideo priusquam promittat, consultò deliberet, & cùm deliberatò promiserit, citò faciat; nam veritas odit moras. Hæc si obseruauerint Principes, sentient, quàm suauis est veritas; non sicut Pilatus, qui vix gustauit veritatis vocabulum, quod ex ore Christi perceperat, & protinus infectâ re, conuertitur ad Iudæos, adulterantes veritatem.

CAPVT X.

Splendor Regum ex ornatu extrinseco Sensus Tactus.


SEnsus Gustus, atque cæteri, in plerisque animalibus perfectiores sunt, sed sensu Tactus (inquit Aristoteles) excellit homo.
Arist. 3. *de animal. c.* 12. *Etsi* (inquit) *in omnibus animalibus sit sensus Tactus, in homine tamen est excellentior & vniuersalior*, germanus gustus, quia tamen magis par-
Lib. de sensu & sensato. ticipat de terrestreitate, quàm alij sensus, in eo à cæteris sensibus superatur, quod ex eo constat: quia quoduis sensorium suo elemento aptandum esse docet Philosophus. Et obtutrix quidem facultas aquæ, aptetur sensitiua

ſitiua ſonorum aëri, odoratus igni, facultas autem tangendi, terræ: nihilominus tamen ſenſus tactus adeò eſt neceſſarius, vt nihil agere, neque pati quidquam poſſit ſine tactu, inquit Ariſtoteles: *Eò, quòd* (inquit) *ea, quibus mutui tactus facultas deeſt, neque agere, neque pati propriè queunt.* cùm ſine tactu impoſſibile eſt, aliquid agere, aut pati, & multò minùs rectè agere, hoc idem de experientia affirmat; ideo tactus rectæ experientiæ accommodatur. Qui namque (inquit) ſunt in ſingulis experti, rectè opera iudicant, inexpertis autem, ſatis eſt, ſi non lateat ipſos, benè autem, an malè factum ſit opus, vt in pictura. Et iterum. Neque enim Medici ex libris fiunt (ſupple) perfecti, ſed experientiâ, habent enim ex libris ſcientiam, ſed non opus perfectum, ſcilicet ſanitatem, ſcire enim, eſt in vniuerſali cognoſcere, vt quòd febricitanti confert inedia, & quies: at alicui forſan non conducit. Ex quo duo colliguntur: vnum eſt, egregium ſimulachrum experientiæ eſſe ſenſum Tactus: vt enim Tactus per totum corpus, & omnia membra eius diffunditur; ſic experientia omnibus actionibus, ſiue popularibus, ſiue etiam Politicis, & Ciuilibus, ſiue tandem in rebus bellicis, maximum ornatum & ſplendorem affert. Deinde Ariſtoteles inſinuare videtur, quid ſit perfectius, ars & ſcientia, an verò experientia? de quo diſputat in Metaphyſica, & ſanè primum locum videtur concedere experientiæ, quia ſicut in hominibus experientia eſt ex memoria, multæ enim eiuſdem rei memoriæ vnius experientiæ vim efficiũt; ita per experientiam ars, & ſcientia hominibus efficitur: experientia enim (vt rectè ait Philoſophus) artem efficit, imperitia verò caſum. Fit autem ars, cùm è multis experimentalibus conceptibus, vna de ſimilibus vniuerſalis opinio fit: opinari etenim, quòd Calliæ hoc, vel illo morbo laboranti hoc conduxit, ſimiliter Socrati, ac ſigillatim alijs multis, eſt experientiæ: quod autem huiuſcemodi omnibus, ſecundùm vnam ſpeciem determinatis, hoc morbo laborantibus conduxit, vt Phlegmaticis, aut Cholericis, aut æſtu febricitantibus, hoc artis proprium eſt. Præterea, experti, inquit, magis id, quod intendunt, conſequuntur, quàm illi, qui rationem abſque experientia tenent. Cauſa verò eſt, quòd experientia ſingularium, ars autem & ſcientia, vniuerſalium cognitio eſt, actiones autem circa ſingularia ſunt: non enim hominem, niſi per accidens ſanat, qui medetur, ſed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui ſic dicuntur, cui accidit hominem eſſe. Si quis itaque rationem abſque experientia teneat, & vniuerſale quidem cognoſcat, quod autem ſub eo particulare eſt ignoret, ſæpenumerò errabit à ſanando.

Ariſt. de generat. & interitu.

Ariſtot. 10. Ethic. c. 9.

67.

Non ſufficit ſcientia ſine experientia.

Quis maiori ſcientiâ præditus fuit Chriſto Domino? qui ſcientiâ diuinâ, & beatificâ nouit, omnia rectè agenda, præterita, præſentia, & futura, nihilo-

nihilominùs tamen ſcientiâ experimentali opus habuit, & in hac creuit, vt dicitur in Euangelio: Puer autem creſcebat ætate & ſapientiâ, apud Deum, & homines. Quemadmodum Aſtrologus, etſi priùs habuerit cognitionem futuræ Eclypſis; tamen cùm eclypſatur Sol vel Luna, quoad experimentalem ſcientiam, videtur illi quid nouum ſuperaddi; cùm autem vllus hominum ſcientiâ ſuâ minimè futura cognoſcat, multò magis quàm Chriſto, ſcientia experimentalis neceſſaria eſt. Hinc Chriſtus Dominus huius ſplendoris experimentalis voluit eſſe auctor, vt inquit Bernardus: *Quicquid de tuis oraculis ſcimus Domine Ieſu, aut ſcriptura docente, aut te reuelante, quod perfectiſſimum eſt, experientiâ, ſeu guſtando didicimus.* Benè etiam dicere potuit D. Bernardus, quòd multa tangendo didicimus. Nam & Thomas Apoſtolus tactu certificatus eſt de Diuinitate Chriſti, & exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* Cauſa etiam Iacob Patriarchæ voci non credidit, ſed ad tactum recurrit: *Accede,* inquit, *vt tangam te fili mi.* Similiter & Samſon, quia priuatus luminibus erat, ad tactum recurrit: *Dimitte me, vt tangam columnas.* Multa item rectè loquimur, magiſtro tactu. Iſaias eruditus fuit tactu linguæ calculo ignito. Hieremias: *Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum.* Daniel quoque: *Gabriel citò volans tetigit me tempore ſacrificij,* (id eſt, docuit me) vt inquit D. Gregorius, ipſum tetigiſſe, docuiſſe eſt. Sic cùm Deus tangit cor, tunc erudit. Optimè ergo dicere potuit D. Bernardus. Quicquid Domine Ieſu ſcimus, tactu experientiæ didicimus.

S. Ber. ſuper Cantica.

Ioan. 20.

Gen. 27. n. 21.

Iud. 16. n. 26.

Hierem. 1. n. 9.

Daniel. 9. n. 21.

Neque verò ſolùm in prædictis, ſed & in alijs ſacris operibus experientiâ duce cuncta rectè fiunt, ideoque & Chriſtus Dominus primùm in experientia perfectos voluit eſſe Apoſtolos, ſic enim ad eos ait: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos, quoniam omnia, quæ audiui à Patre meo, annuntiaui vobis, non ſolùm annuntiatione verbali, ſed etiam experimentali, per quam ipſum cognouerunt eſſe Deum, ſpectando tot miracula, aſſiſtendo ſermonibus, & verbis Diuinis, qualia purus homo proferre non potuit. Neque enim erat ſermo illius, vt Scribarum & Phariſæorum, ſed poteſtatem habens, ſcilicet, patrandi miracula, & quicquid dixit, faciendo comprobauit, quod proprium eſt Deo. Dixit, & facta ſunt, præcipuè verò in monte Thabor. In monte quoque Caluariæ, plurimi per experientiam didicerunt, Chriſtum Deum fuiſſe, vnde & clamabant: *Verè filius Dei erat iſte.*

68. Itaque etiam ad opera ſupernaturalia experientia extenditur, ſicut & Tactus: nam & Chriſtus cùm ſupernaturaliter muto reſtituit loquelam, tetigit linguam eius, & mulier ſupernaturaliter ſanata eſt, quia tetigit fimbriam veſtimenti eius. Et in ſumma, ſicut ſenſus Tactus per totum corpus humanum diffunditur; ſic experientia per omnes actiones humanas extenditur. Præcipuè tamen in gubernatione Reipublicæ, atque actionibus Politicis, ac bellicis.

Experientia etiam ad opera ſupernaturalia extenditur.

Et in gubernatione quidem Politica, experientia summè necessaria est, imò magis quàm scientia, vt habet Aristoteles in Ethicis, docens, quòd expertus potest quandoque meliùs iudicare, quâm scientiâ præditus, & experientiâ carens. Nihil (inquit) forsitan obstat, quin & hic, qui scientiæ quidem est expers, exactè autem ea perspexit, experientiâ rectè iudicet, quæ in vno quoque accidunt, & in vniuersali, vt in medicina, & ferendis legibus. Nam pars ciuilis, est ipsa ferendarum rerum facultas; & concludit, quòd qui Rempublicam gerunt, ij experientiâ, & mente opus habent. Quapropter inquit: Ijs, qui de re ciuili cupiunt scire, experientiâ insuper opus esse constat. Sic igitur & Christus Dominus, & Aristoteles, scientiæ ciuili experientiam esse necessariam docent. Vnde Regibus vtiliorem esse prudentiam, quàm scientiam docet Cicero, & D. Gregorius: *In magno periculo est Respublica, quæ regitur à Principe magnæ scientiæ, & exiguæ prudentiæ.* E contrà verò (cùm contrariorum eadem sit ratio) felix Respublica, quæ regitur à Principe moderatæ scientiæ, & magnæ prudentiæ. Experientia autem est mater prudentiæ, quia prudentia, ex magna experientia oritur, teste Sacrâ Scripturâ. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia, quia experientiam efficit temporis longitudo, vt habet Aristoteles. Geometræ, inquit, iuuenes, ac Mathematici in talibus fiunt sapientes, prudentes autem fieri non videntur. Causa autem est, quòd & singularium rerum est ipsa prudentia, quæ quidem per experientiam notæ fiunt, iuuenis autem non est expertus: experientia enim temporis vult longitudinem. Sic igitur experientia artem gubernandi efficit, vt habet idem. Pluris igitur facienda est in gubernanda Republica experientia, quàm scientia, & ars, & feliciorem habet successum, quia experientia est singularium, scientia verò vniuersalium.

Cicerò ad Atticum.

69. *Etiam in bello experientia est necessaria.*

Iam verò, & in bello, maximè necessaria est experientia. Monent Politici, vt Principes corpore & animo bonos eligant Principes. Corpore, vt strenui sint: animo, vt prudentes. Strenuitatem ex corporis ipsius dimensione, & bona membrorum habitudine, prudentiam ex anteacta vita, partim vtramque ex cœli dispositione comprehendent. Illa ad fortiter, hæc ad bene agendum necessaria: nam vt parum esset fortiter agere, si temerè ageretur: sic & parum prudenter, si imbellè. Vnde nata Prouerbia: ad fortem temerarium, homo fortis damnum domus: ad prudentem imbellem, inane consilium, quòd sicuti sola prudentia, absque viribus nihili, sic & solæ vires absque prudentia nihili. Vtræque igitur simul iunctæ, parem facient commixtionem, vt prudentia strenua, & strenuitas prudens, effectæ parem afferant expectationi fructum. Strenuitatem absque prudentia frigoris rigor facit, prudentiam absque strenuitate

nuitate caloris ardor. Proin' Orientaliores, prudentiâ, & animo præpollentes, viribus imbelliores sunt. Septemtrionaliores contrà, viribus pollentes, mente obtusæ. Illæ, quòd nimio calore exsiccatæ, modicum habent sanguinem, vnde & imbelles, & suâ naturâ timidæ, & inconstantes: hæ verò, quòd nimio frigore constipatæ, nimio item sanguine abundant. Eâpropter Martem, quem belli Deum furentem, cœcum, amentem decantatum audimus, inter has nationes, Getas scilicet, natum finxit vetustas. Mediæ itaque meliores, quòd temperatiores, & quòd neque longè distent à sole, neque propiùs accedant, & ad vtrumque ita sunt temperatæ, vt & mente cautæ sint, & prouidæ, & corde viriles, & animosæ, & corpore robustæ, & fortes. Hæ verò sunt Campestres, nam vbicunque terrarum Cismontani omnes septemtrionalium loco censendi sunt: Maritimi Orientalium, Campestres verò medij. Porrò hoc quod dictum est, in laudem Polonorum applicari potest, qui campos & planities longè, latèque dissitas inhabitant, & Campestres propterea, seu Poloni appellantur à vulgari nomine *Pole*, (quod campum significat) vnde etiam medij, & temperati censendi sunt, ac consequenter & strenui, & prudentes. Hæc de necessitate & vtilitate experientiæ: restat insinuare, qualiter sit comparanda.

70. Comparatur autem Experientia, partim peregrinationibus, partim vsu, & lectione. Quippè fructus peregrinationis est, experientiam, prudentiam, & multarum rerum notitiam haurire, & gentium mores, legesque perdiscere: cæterùm, infamis peregrinatio eorum est, qui peregrè nihil discunt, nisi scelera. Cuidam querenti peregrinationes nihil sibi profuisse: non immeritò (inquit Socrates) tibi istud euenit, tecum enim peregrinabaris: vnde & ipse Socrates peregrinari noluit, quòd arbores, & montes se nihil posse docere diceret, sed homines tantùm. Vir quidã prudens, iuueni varias regiones lustrare paranti, iussit Maceratam proficisci, quòd cùm fecisset, orbem (inquit) terrarum vniuersum conspexisti: nihil enim aliud continet hic mundus, quàm montes, valles, flumina, siluas, loca culta, & inculta, quæ omnia ibi vidisti. Hæc in eos quadrant, qui nullo fine per orbem vagantur, non in sapientiæ studiosos, qui vt meliores, sapientioresque redeant, varias regiones peragrant: cauendum tamen, ne vt venena vino permixta, aliquando bibantur, sic etiam mali mores simul cum virtutibus hauriuntur. Hinc in Annalibus Poloniæ legimus, lege statutum fuisse, ne iuuenes eruditionis gratiâ, in Germaniam mitterentur, ne hæresibus, quibus scatebat Germania, inficiantur.

Quibus comparatur experientia.

Vsu quoque & lectione acquiritur Experientia, iuxta illud Africani: *Vsus me genuit, mater peperit memoria.* Non adeo fidant, & Gubernatores Reipublicæ,

publicæ, & milites libris, & lectioni, plùs concedant vſui, & memoriæ. *Quia non ille in arte peritus eſt, qui multa legit, ſed qui iuxta ea, quæ legit, ſapienter agit;* eſtò dicat Vegetius, quòd nullus attentare dubitat, quod ſe bene didiciſſe confidit. *Veget. de re militari.* Quare vtrumque, in inſtituenda Republica, in gubernando Principatu, in regendo bello, in tuendo imperio, in amplificandis opibus, in ſequendo denique bono, & fugiendo malo, neceſſarium eſt. Quid enim prodeſt legere, ſi lectionis fructus non ſequitur? varietate tandem, caſu, quos hiſtoria continet, delectatur, & qualiter illis, quæ legit, ſit adiumento Reipublicæ. Hiſtoria non eſt fallendi temporis causâ, ſed lucrandi. Dulce eſt legere de vita, & moribus, de ingenijs hominum 71.
illuſtrium, ſed hæc imitationem requirit. Fateor, quòd lectio antiquitatum eſt magiſtra, dux in bello, in mari nauclerus, portus refugium, cuiuſcunque conditionis hominum. Sed quid hæc proſunt? Si, quæ leguntur, opere non confirmentur. *Lectio nihil prodeſt, ſi nō adſit imitatio.* Præſtantior eſt (inquit D. Gregorius) pulchritudo illa, quæ oculis cernitur, quàm quæ ſermonis penicillo depingitur, & ſapientia, quæ operibus indicatur, quàm quæ verbis ſplendet. Intellectus enim bonus eſt omnibus facientibus eum, non item legentibus, aut prædicantibus. Talis experientia, quæ opere, lectione, & vſu comparatur, facit homines cautos in ſermone, & in opere in quacunque arte. Nam crebris experientijs edocemur, verboſos & loquaces Deo, & hominibus eſſe inuiſos, maximè illos, qui non præmeditatè loquuntur, nec verba trutinant, ne aliquid reprehenſione dignum proferant, ſed abſque conſilio vllo, tanquam per inexploratum mare, vela explicant, nec loquendi ſitim explere poſſunt, aut conceptum ſermonum reprimere quærunt, hi & Deo, & hominibus, quorum capita obtundunt, inuiſi fiunt, & ſibimetipſis plurimùm nocent, nam propriæ æſtimationis iacturam faciunt, cùm eò minùs idonei ſerijs negotijs credantur, quò vberiùs, leuiùſq; loquuntur. Per oppoſitum, experientiâ edocemur, taciturnos homines bonam exiſtimationem habere, ita, quòd dum illi labia deducant, oracula reddere videantur: vel igitur tacendum, vel cautè loquendum, Experientia docet.

CAPVT XI.

Regius ſplendor glorioſus ex ornamentis capitis Regij intrinſecis, quorum primus eſt Sapientia.



AVreis tectis, & decore extrinseco gaudere Reges, splendoribus extrinsecis capitis Regij explicauimus; necesse est, vt tam pretiosis tectis, interior splendor correspondeat, atque in sublimi domicilio sublimiores resideant Luciferi.

72. Inter hos præcipuus, & nobilissimus est Parens sapientiæ, generosæ prolis author, cerebrum, sedens in throno, & maiestate miro modo fabricata, adinstar retis piscatorum, quæ à Galeno vocatur basis cerebri, togâ candidâ amicta: desuper fornice clausa, à qua procedit soboles clarior sole, fulgidior stellis. *Excelsa, & eminentia non memorabuntur, comparatione eius. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur*; inquit Iob. *Hæc est sapientia, quæ trahitur de occultis capitis*, ab antiquis dicta Minerua, producta ex cerebro Iouis, nobilissima origine, splendore aulicorum, officialium, & Ministrorum, verticem hominis, velut arcem, & Regiam, vnà cum Parente insidet. Iustum quippe fuit, vt Regalis pars animi, verticem hominis possideret. Hæc ita eruditos facit Principes, vt Politicæ rei studiosi inter se certent, an ab optimo Principe meliùs gubernetur Respublica, quàm ab optima lege? rationibus hinc, illinc ita validis confligantibus, vt prout terminanda sit, nemo cordatus temerè pronuntiauerit. Et qui pro lege militant, idcircò aiunt, quòd Princeps, quasi organum sit, instrumentumque legis: tanquam nil aliud, quàm iusti custos, & legis Minister. Quòd & faciliùs ille, quàm isthæc corrumpatur; quòd faciliùs sit inuenire paucos prudentes, qui ad rectas leges, & semel ponendas sufficerent, quàm multos, qui ad rectè iudicandum de singulis semper requiruntur, quòd qui leges condunt, debitâ temporis maturitate considerant, quid lege ferendum sit, sed qui suo arbitratu iudicant, ex singularibus factis subitò exortis iudicantes, minùs consideratè, & temerè iudicare necesse est, quòd ex multis diu consideratis, quàm ex vno, aut altero repente emergente facto, quod melius est, videre quis potest, quòd tandem leges iudicant in vniuersum, & de futuris: sed Princeps, non, nisi de præsentibus, & singulariter; & sic illæ, ingenuam iustitiam parere possunt: quàm, & ideo cœcam, seu magis, oculis velatam pinxerunt veteres: hic autem amore, aut odio, aut aliâ quapiam affectus ratione, vt plurimam spuriam. Lex enim tanquam pura mens omni affectu libera, intelligit tantùm, quod optimum iudicium requirit: at Rex vtcunque cordatus, & mentis præclaræ, quia homo est, omninò hallucinetur interdum oportet. Addunt alij, quòd leges superiores sunt Regibus, & rem à superiori, quàm inferiori meliùs semper geri, nulli controuersum. Cæteri, Regi prudenti primas deferunt, quòd lex vniuersaliter definiat, prouidentia Regum in singulos extendatur, & sic lex in multis deficit, & vt eruditione Regis sapientis suppleatur,

Parentis sapientiæ sedes, & thronus, cerebrum.

Gal. lib. 9. de Vsu part.

Iob c. 28. n. 18.

Iob. c. 28. n. 19.

73. Num meliùs gubernatur Respub. ab optimo Principe, vel optimis legibus?

pleatur, opus est. Quòd item Rex sit anima legis, seu lex animata: anima autem melior est corpore, quòd sicut homo sine mente suis membris vti non rectè potest; ita legibus sine Principe erudito.

Verùm inquies. Vnde tanta gloria Regum, vt præponantur legibus, *Arist. lib. 6. c. 6. & 7.* nonne à sapientia, quæ felices efficit Reges? nam, vt inquit Aristoteles. *Felicem quidem efficit sapientia; at non vt medicina sanitatem, sed vt sanitas, sic sapientia felicitatem, quomodocunque accipiatur*: 74. sumitur enim quandoque pro inlellectu, quandoque pro scientia, quandoque pro prudentia, quandoque pro ciuili scientia, vt habet Aristoteles loco citato. Pro intellectu quidem, & scientia, vt inquit ille. *Sapientia intellectus est, & scientia*, (& vt habens caput.) Sapiens enim non solùm ea scit, quæ ex principijs cognoscuntur, sed etiã circa principalia dicere eum vera oportet, intellectus autem circa principalia versatur, ait idem. Gloria Regũ, quòd in gubernatione præponantur legibus. Vnde D. Augustinus quærit, cur Ecclesiasticus origine, dicit primam esse sapientiam? *Intellectus* (inquit) *prudentiæ, seu sapientiæ est ab æuo, quoniam sapientia, ratione intellectus, est ab æterno.* Accipitur etiam *Acceptiões sapientiæ.* sapientia pro scientia, vt habet idem Aristoteles. *Quare* (inquit) *constat exactissimam scientiarum, ipsam sapientiam esse.* & infra patet, *igitur sapientiam scientiam esse, & intellectum, eorum, quæ honorabilissima sunt naturâ.* Accipitur etiam pro prudentia, licet prudentia consistat in actione, & intellectu, imò & pro facultate ciuili: etsi rigorosè loquendo, differant prædicta, quoniam sapientia contemplatur summa, ad quod deseruit intellectus, & scientia, prudentia verò intellectum inflectit ad ima, de qua Cassianus. *Gubernatrix vitæ humanæ est prudentia*; & Tullius. *Prudentia magistra est vitæ; ciuilis verò scientia*, inquit Aristoteles, *non est eadem facultas, quæ sapientia*; nam si eadem esset facultas, quæ circa propria commoda versantur, vt est Politica, multæ sanè sapientiæ erunt: non enim vna circa omnium animalium bonum, sed alia, atque alia circa vnumquodque versatur. Verùm, quia (vt inquit idem) homo est omnium eorum optimum, quæ sunt in mundo, scilicet, ratione intellectus, & actionis, à ratione prouenientis, & circa hæc occupatur sapientia, ideo nomine sapientiæ, intelligenda est gubernatrix intellectus, & actionis, atque ita prædicta omnia continet, quæ partim spectant ad intellectum, partim ad actionem rectam. Cùm igitur Rex sit optimum eorum, quæ sunt in Regnō, ideo iustum est, vt pro luce, & sponsa habeant Reges sapientiam, pro quantò includit intellectum, scientiam, prudentiam, & artem, seu doctrinam ciuilem, imò & pro quantò contemplatur summa. Et inprimis sapientia, vt sumitur pro intellectu principiorum, ex quibus deducuntur conclusiones, & vocatur mens, quo nihil melius in homine, decet Principes, quibus nihil melius in Regno.

Splendor præterea Regum est sapientia, vt est scientia, & notitia lite-

rarum, quippe literis ornatum Regem, est verè Regem esse, non obstante, quòd dicat Aristoteles. *Satis eruditum Principem esse, scire imperare*; quia ille idem cùm interrogaretur. Qua in re differant docti ab indoctis? Respondit. Quâ viuentia à mortuis. Sentiens hominem absque literis, veriùs esse hominis statuam, quàm hominem. Consummatur enim animus scientiâ immutabili, quæ soli Philosophiæ competit. Ideo monuit Aristoteles Alexandrum Magnum, sic alloquens eum: *Nam te vt Ducem omnium longè præstantissimum, decet maximarum rerum commentaria euoluere, & præsidio Philosophiæ munitum, nihil quod tenue sit, animo versare, sed eiusdem Philosophiæ muneribus, egregios duntaxat honestare.* Et iterum idem. *Longè enim pulchrius est, ac Regale magis, animo esse bene constituto, quàm habitum corporis vestibus ornatum pulchris intueri.* Præterea Regum est fundare ciuitates, vrbes, castella, & his similia. Horum collocatio requirit loca temperata, aërem similiter temperatum, erit autem, si non in vallibus, non circa pallustria, ædificauerint. Item aqua tanti facienda, quanti vegeta corporis salus; quoniam omne robur salutis in aqua, & pane locatum est à Sacra Scriptura. Initium vitæ hominis, panis, & aqua. An autem sit salubris, vel nociua, Philosophia docebit, cuius est rerum cognoscere causas.

Arist. 3. Ethic. c. 2.

Seneca Epist. 88.

Splendor item Regum est sapientia, vt est prudentia, eamq; ob causam laudantur Principes, qui conuersantur cum sapientibus, siue iter agant, siue mensæ assideant, siue aliquid legant, & quicquid fuerit temporis vacui, cum sapientibus transigant. Minùs enim temerarium est, militem sine armis prælium ingredi, quàm Principem non adhibitis sapientibus, regere velle Rempublicam. Vnde Salomon. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum, efficietur ipse.* Quidnam sit facilius, an quòd ex prudente fiat sapiens, & prudens, an verò quòd ex prudente efficiatur imprudens, quæritur? Sed experientia docet, procliuitatem naturæ in malum tendere; nam deprauatio voluntatis humanæ clarè manifestat, quòd facilior est mutatio à prudentia, in imprudentiam, quàm ab ignorantia, in prudentiam, quoniam nullâ arte opus est, vt quis ex prudente sit ignarus, quàm quòd quis efficiatur prudens ex imprudente. Exemplum vel in ipso Salomone est, qui cùm esset prudentissimus de seipso fatetur. Stultissimus sum virorum, nec sapientia Dei mecum est. Quare rectè D. Cyprianus. Esse inter nocentes, noxium est, nihil enim vel seriò, vel ioco in hoc mundo potest tractari, quod non meliùs sapiens, quàm fatuus, præstet.

Prou. 13. 20.

In aduersis, an non meliùs poterit consolari Principem sapiens, quàm fatuus? Sic Dauid solabatur Saul ex consilio cuiusdam Equitis, qui cùm Saul infirmitate laborabat, dixit ad eum: *Noui Dauid virum bellicosum, & prudentem verbis*: quasi vellet dicere. Noui filium Iesse, qui vocatur Dauid, qui poterit

poterit mederi infirmitati tuæ, licet enim sit iuuenis, & mediocris staturæ, crine rufus, est tamen nobilis sanguine, virtute clarus, & super omnia prudens verbis, & opere. Dicteria autem scurrilia quid prosunt? In prosperis etiam ad conseruandam secundam fortunam, vtiliùs est consuetudine vti viri prudentis, quàm malitiosè credere. In rei pecuniariæ angustijs, an non expediendæ illius rationes meliùs ostendet sapiens, quàm stultus petendæ, semper illi inhians, & hæc vna via acquirendi prudentiam, cum sapientibus conuersari, vltra alia commoda, quæ ex conuersatione cum sapientibus Regibus conferuntur. Rex Salomon tanti faciebat prudentiam, vt nihil aliud magis cogitaret, quàm vt prudenter ageret. Dedi, inquit, cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, atque stultitiam. Et hoc persuadet alijs Regibus dicens: *Si delectamini* (inquit) *sedibus, & sceptris ô Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Et rectè; quoniam prudentia est Regia virtus, ad illam enim spectat percipere. Vnde & Philosophi Morales, volentes commendare virtuosis quatuor virtutes cardinales, depingebant iuuenem elegantem, qui in manu tres coronas tenebat, nimirum, iustitiam, temperantiam, & fortitudinem, sed quartam in capite gestabat, quæ prudentiam significabat. Ideoque cùm Salomon coronaretur, hanc vel maximè exoptabat, vt esset prudens, dicebatque: *Det tibi Dominus prudentiam, & sensum, vt regere possis Israël, & custodire legem Domini Dei tui.* Prudentia quippe seruabit te à via mala, & ab homine, qui peruersa loquitur. Prudentia docet, vt iustè, quod iustum est, vir prudens prosequatur, & videat.

75. Quantum fructum afferat Regi, cum viris sapientibus conuersatio. *Sap. 6. v. 22.*

1. *Paral. 22. v. 12.*

Splendor tandem Regum est sapientia, vt est ciuilis scientia, quæ à sapientibus, longissimis tractatibus antiquorum, & modernorum scriptorum, tradita est, & ab Aristotele per continuos octo Libros Politicorum, sed & à Sacra Scriptura satis clare insinuata est, vbi, quæ ab Aristotele traduntur in libris Politic. clarè leguntur de bellis gerendis, in libro Machabæorum insinuantur.

Salomon quoque tribus opusculis conscriptis, & in lucem editis, nimirum; Prouerbiorum, Ecclesiaste, & Canticis Canticorum, expressit regendi methodos, & gubernandi seipsum, Rempublicam, & propriam familiam, atque ita ibi est legere, Ethicam, Politicam, & Oeconomicam. Ethicam quidem in verbis Prouerbiorum: vbi Prouerbijs instruit, qualiter vnusquisque seipsum regere debeat, & mores suos componere, eamq; ob causam auspicatus est librum ab eo, quòd fuerit Rex Israël, vt notum fieret omnibus, se instituisse in prædicto libro modum, & formulam rectè viuendi, quoad bonos mores, vt quæ per ora hominum frequentiùs vulgaretur, titulo Prouerbiorum eam inscribere voluit. Politicam verò expressit in

76. Salomon Politicam, Oeconomicam, & Ethicam edocuit Principes in suis codicibus.

ſit in Eccleſiaſte; vbi tanquam Rex ſolos Magiſtratus, & optimates alloquitur. Non Iſräélem totius ditionis ſuæ, vt in parabolis, ſed Hieruſalem ſolius metropoleos, perſuadens illis illecebrarum, & earum rerum, quæ ſunt nociuæ Reipublicæ, eſſe contemptores: imò & iubens ſubditos ſibi commiſſos fideliter, & integrè, abſque ſordibus, abſque auaritiæ labe, gubernandos eſſe: acſi exijs ſolis, optimam, & laudatiſſimam ordinationem, diſpoſitionemque emerſuram ſignificaret: vbi etiam Eccleſiaſtem ſe vocat, vt moneret non iubendo, ſed concionando, Magnates ab aſperi dominij rigore, cauere debere. Tandem Oeconomicam pertractat in Canticis Canticorum, ideoque librum illum auſpicatus eſt, non ab eo, quòd ſit Rex Iſräél, vt in Ethica, vel quòd ſit Rex Hieruſalem, vt in Politica: ſed poſthabito tandem Regis titulo, puro nomine Salomonis contentus, omnes in vniuerſum monet, amore regere opportunum eſſe.

Eadem ratione, & multò perfectiùs Politicam edocuit Chriſtus Dominus, vt videre eſt in Euangelio, nam & vnum, non plures voluit eſſe gubernatores. *Vnus eſt* (inquit) *Dominus, & Magiſter veſter*: & arces erigere, & materiam, ex qua ſit conſtruenda, inſinuauit, vt eſſet fortis, ac munita. *Non poteſt* (inquit) *abſcondi ciuitas ſupra montem poſita*, & arx ſupra montem conſtructa, cuius materia, ex qua ſunt bona opera, arx fortis, quia inexpugnabili fundamento, & non vna, ſed plures: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Vnus lapillus ex hoc monte, ſine manibus excifus ſtatuam ex auro, & argento, ex ære, & ferro, conflatam confregit. Hæc arx impetus hoſtiles facilè frangit, nec vi, aut inediâ expugnari poteſt, vt teſtatur Iſaias. *Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatem, & proijcit auaritiam, hic in excelſis habitabit.* Ille idem docuit qualiter theſaurizandum, *& vbi theſauri conſeruandi, vbi nec fur furatur, nec tinea demolitur.* Tandem qualiter etiam Reges ſe ad bellum præparare debeant, eoſdem inſtruxit. *Quis* (inquit) *Rex iturus committere bellum aduerſùs alterum Regem, nonne ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere illi, qui cum viginti millibus venit ad ſe.* Itaque hanc Politicam ſapientiam edocuit Chriſtus aliquando verbis, aliquando ſermonibus, vt fuſiùs infrà.

Matth. 23. — *Matth. 5.* — *Iſa. 33. n. 15.* — *Matth. 6.* — *Luc. 14. 30.*

77\. Denique ſplendor Regum eſt ſapientia, pro quantò contemplatur Diuina, vt articulos ſanctæ Fidei, neque enim ſolùm cognitione rerum humanarum firmatur Regnum, ſed vel maximè rerum diuinarum; notanter tamen dicitur contemplatur, non rimatur, quia curioſiùs res diuinas ſcrutari, nociuum eſt, riuulus delectat, ſed ingens fluuius terret, clarus aër clarificat, luminoſior obfuſcat oculos: ſufficit Principi credere, præcipuè vbi adeſt conformitas ad Summorum Pontificum interpretationes, & dum ab eo expectatur, quicquid de illis tenendum ſit, ſine quo nunquam Princeps ſperet ſe bene recturum Rempublicam, niſi ad Regulam à Summo Pon-

Splendor Regum eſt ſapientia, prout contemplatur diuina.

mo Pontifice traditam, intellectum traducat ad externum regimen probè exercendum, & sic Deum sanctiùs colat, & vigilantiùs timeat, tanquàm illum, qui ipsum in throno posuit, & qui deponere potest.

Primùm autem Sanctissimæ Triadis arcana, cuius notitiam Spiritus S. & Fides Ecclesiæ inspiret Principibus, quam credere iubentur, discutere prohibentur; similiter arcanum Incarnationis, scientiæ Dei, prouidentiæ eiusdem in opere Creationis, Passionis, &c. ex his enim omnibus plura in suum bonum Princeps hauriet, si aciem mentis in ea intendat, ex mysterio Trinitatis dignitatem suam, quoniam ad imaginem Trinitatis productus est: vt sicut Deus est vnus in substantia, & trinus in personis; sic anima Principis est vna in substantia, & trina in potentijs, memoria, intelligentia, & voluntate. Et sicut cùm sit vnus imperans omnibus, hoc cum personis sibi coæqualibus exæquatur, vt testatur D. Paulus. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*: ita quoq; Rex vnus gubernat Regnum per memoriam, intelligentiam, & voluntatem: nam memoria præterita conseruata Principi confert, ratio, seu intelligentia lumen præfert, & voluntas, quod rectum est, in sequendo rectæ rationis lumen, imperat.

Ex arcano Incarnationis amorem in subditos hauriet, cùm intelliget Deum hominem factum, vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum. Et hoc, cùm de cælo in terram prospexit: in terram sanctam, immaculatam, Augustissimam Virginem, atque similitudinem carnis operâ Spiritus Sancti in pupillam oculi sui filium Dei recepit, sicut oculus humanus recipit species ab obiecto, vt in Regno optimè administrando, prima intentio Principis sit, vt in pupillam oculi sui, omnes tanquam filios recipiat, omnes prospiciat, & in sinu suo foueat, qui boni sunt: quos autem criminosos, & Regni perturbatores cognouerit, flagellis, vt Christus, castiget, vel vltimo supplicio perdat. Vlteriùs ex scientiæ Dei mysterio, vbi se offert ineffabili scientiæ Dei, intelliget, quòd licet Deus omnes Creaturas ineffabili charitate diligat, non omnibus tamen omnia passim communicare voluit. Non est (inquit) vestrûm nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, nec animæ Christi concessit comprehensionem diuinæ essentiæ, nec virtutem cognoscendi omnia, quæ scit Deus scientiâ simplicis intelligentiæ, sed ea tantùm communicat, quamuis intimis, & longo vsu probatis, quia semel emissum volat irreuocabile verbum. Quod enim tacitum esse velis, nemini dixeris.

Iam verò ex contemplatione creationis, quoniam Deus produxit creaturas, non vt inde bonum recipiat, sed vt eis bonitatem influat, quam creando communicat, inde discet Princeps, vt omnes actiones suas dirigat in populorum commodum, nullâ cupiditate ductus, aut boni alicuius obti-

obtinendi, quia non est amor contractus, sed effectus. Et quoniam munus creationis ad solum Deum spectat, hinc intelliget Princeps, quòd in rebus magni ponderis clauum regiminis ipse teneat. Potest quidem, & debet, in administrationem Regni consultores adhibere, sed omnimodam potestatem nulli committere.

Prouidentiam Dei contemplando, quâ omnibus creaturis, etiam minimis prouidet. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Vnde D. Augustinus. Deus totus oculus est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur, totus pes est, quia vbique est, & omnium curam gerit, nec quicquam subtrahitur à prouidentia eius. Hinc quoque discet Princeps, eius muneris esse, vt omnium subditorum curam gerat, omnibus prospiciat, neminem negligat.

Non minori contemplatione digna est mirabilis mortuorum resurrectio, quæ non est aliud, quàm eius, quod cecidit, iterata resurrectio; vt contemplatione eius admoneatur Princeps, ad eius officium pertinere etiam id, quod cecidit, subleuare, & ad pristinum statum restituere.

78. Contemplatione Principis digna sunt nouissima hominis.

Tandem contemplatione Principis, digna sunt nouissima hominis: mors, iudicium, pœnæ inferni, & gloria Sanctorum, quoniam in hoc est summa sapientia. Difficilè inuenitur sapientia, quam in omnibus creaturis quæsiuit Iob, per mare, aërem, & terras, atque abyssos, & tandem eam nullibi cernens: Abscondita est (inquit) ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet: nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium: abyssus dicit, non est in me: & mare loquitur, non est mecum. Tria tamen sunt, per quæ inuestigare sapientiam licet, insinuante Iob. *Perditio & mors dixerunt, auribus nostris audiuimus famam eius.* Perditio quidem, quæ incutit timorem, & erudit in sapientia, atque inspirat recedere à malo intelligentiam. Mors item, quia, vt inquit Plato. *Sapientia est mortis meditatio*, nimirum; quid sit mors, & quotuplex sit, & quàm amara. Quid amarius infirmitate? atqui non potest quis diu dolere in infirmitate. Sic nos amantissima nostra natura disposuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret, hoc itaque solatium vasti doloris est, quòd citò inuenit finem. Amarior itaque infirmitate est mors, ideo dixit Aristoteles. *Mors maximum est omnium terribilium.* Propterea, quòd in morte tria durissima reperiuntur, tenebræ, seu carceres, miseria, & nullus ordo, vt insinuat Iob. *Antequam vadam, & non reuertar, &c.* Miseria quoque magna est in morte, vbi omnia, vt sterquilinium commutantur. Nullus ordo, quia quæ Deus in pondere, mensura, & numero disposuerat, confundentur, & loco ordinis, erit sempiternus horror. His tamen non obstantibus, mors est somnus, consentientibus Paganis, & Christianis. Nec dicenda

Iob. 28. 22.

Iob. 10.

eſſet mors, ſed dormitio, inquit D. Chryſoſtomus. Neque enim (inquit) mors, ſed dormitio, & ſomnus conſueto longior appellatur. Et Strabo cœmeterium vocat *domum, in qua hoſpites dormire ſolent*; cùm tamen ſit tumulus mortuorum, itaque mori, eſt longiùs conſueto dormire, ſed ſicut dormiens euigilat, ita à mortuis reſurget homo, licèt paulò tardiùs. Quemadmodùm item ſuauiter dormiens moleſtè fert, quòd excitetur; ita mortui moleſtè ferunt, quòd inquietentur, & ſomnus illorum diſrumpatur, ſicut Samuel dixit ad Saul. *Quare inquietâſti me? &c.* Et Petrouinus, cùm ſibi data fuiſſet à S. Stanislao Epiſcopo optio, an vellet in hac vita viuere, potiùs elegit in purgatorio pœnas ſoluere. Præterea è ſomno ſurgens viuacior eſt, & meliùs diſpoſitus; mortui reſuſcitati glorioſiores reſurgent, non erit ampliùs dolor, nec gemitus. Cùm igitur nulla ſit differentia inter ſomnum, & mortem, mors eſt ſomnus, niſi quòd mors ſit ſomnus longior, ſed magis & minùs non variant ſpeciem. Cæterùm, non omnis mors eſt ſomnus ſuauis; cùm enim ſit amara, quærendum eſt pharmacum, quo dulceſcat, ſic enim qui vel non poſſunt obdormire, vel duriuſculè dormiunt, & duriuſculo ſomno opprimuntur, pharmaca quærunt in remedium. Nihil ſuauiorem mortem efficere poteſt, eo, quòd *pharmacum immortalitatis* dicitur à S. Ignatio, ſcilicet, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, hoc facit obliuiſci eorũ, quæ in mundo ſunt, & cœleſtibus conſolatur, quod qui in vita negligit ſumere, iuſto Dei iudicio priuatur illo in morte, quemadmodùm enim inuitatis ad cœnam, & nolentibus venire, dictum eſt: *Amen dico vobis, quòd nemo virorum illorum, guſtabit cœnam meam*; ita & illis, qui hoc pharmacum contem[n]ebant, maximè in morte corporali. Siquidem quadruplex eſt mors, mors animæ, & hæc infeliciſſima eſt, mors peccati, hæc feliciſſima, dum bona opera viuunt, & peccata moriuntur, mors infernalis, & corporalis, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore. Hæc igitur meditari eſt ſapientia de mente Platonis, quam meditationem rectum Regni imperium infallibiliter ſequitur: quippe lex vniuerſalis de morte, ſi eſt familiaris Principi, facit Principem probum, & in regimine cautum, vt videtur inſinuare Plutarchus, dum ait: *Nec enim cadentis eſt alium erigere, nec ignorantis docere, nec incompoſiti componere, nec ordinare inordinati, nec imperare eius, qui non paret imperio.* Et ſubdit: Quis igitur imperabit Prinpici? Nempe lex, non iſta quidem lex, foris in libris, aut in ligneis ſcripta tabulis: Sed viua illa inſita ratio, & inſinuata mortis meditatio, ſemper conuiuens, ac familiaris Principi, nec vnquam animum ſuo ductu, ſuâ moderatione deſtituens.

Strabo lib. 1. de rebus Eccl. c. 6.

1. Reg. 28. 15.

S. Ignat. Epiſt. 14.

Luca 14. n. 24.

Plutarchus de doctrina Princip. tom. 2.

R CAPVT

CAPVT XII.

Splendor Regum auctus Magistratu, Aulicis, Cubicularijs, & Officialibus Sapientiæ.

79. Aulici Sapientiæ nobilissimi, sunt quinque, Regibus summè necessarij.



Plendida est Sapientia origine, & vtilitate. Fulget item splendore Aulicorum, inter quos alij sunt Iudices, alij Prouisores, alij Thesaurarij, alij his deseruientes: hi sunt sensus interiores viri sapientis, quibus etiam pro dignitate sublimis locus, vertex humani corporis, Caput datum est. Suntq; præcipuè quinque: Sensus communis, Cogitatiua, Memoria, Imaginatiua, & Æstimatiua. Hi omnes in palatio Sapientiæ resident, originem trahentes à Parente Sapientiæ Cerebro, distincti inter se officijs, & dignitate; siquidem sensus Communis est iudex Curiæ, & ministrorum Sapientiæ sensuum, nimirum exteriorum: nam organum sensus Communis se habet ad organa sensuum particularium, sicut centrum ad lineas procedentes ab eo ad circumferentiam, qui sedet tanquam iudex in solio, iudicans de actibus particularium sensuum ad ipsum terminatorum, & repræsentantium sibi propria obiecta. Hic ponit differentiam inter nigrum & dulce, inter sonum & odoriferum, prohibetque vt Minister Sapientiæ, qui occupatur v.g. circa dulcia, non se intromittat in messem illius, qui occupatur circa sonora, & sic de alijs, qui occupatur circa visibile, non intromittat se in officium eius, cui commissum est audibile, vel tangibile. Eruditque illos quasi Rex, de quo potest intelligi illud Prophetæ: Deus iudicium tuum Regi da, id est sensui communi, ad quem spectat iudicare, & ponere differentiam inter obiecta sensuum exteriorum. Et iustitiam tuam filio Regis; id est, sensibus exterioribus: quia sicut sensus communis iudicat inter omnes sensus, & obiecta eorum; ita etiam sensus particulares iudicant de obiectis proprijs, vt Aristoteles dicit. Cùm in singulis sensibus res partim præcipua, partim communis adscribatur, visusque præcipuum est videre, auditus audire, &c. inquit Aristot. quædam profectò constituetur communis facultas, quæ omnes quinque sequatur sensus, cuius beneficio animal, eius quod vel cernit, vel audit, sensu afficitur. Est igitur sensorium commune, quod fouet vniuersa sensoriorum genera, & subdit: quoad sensus particulares, qui inter obiecta differentiam ponunt, & iudicant inter illa, vt gustus inter dulce, & amarum, auditus inter sonorum, gratum, & lædens. Itaque sensus Communis est Iudex in regno animæ.

80.

Cogitatiua verò officium Prouisoris habet: prouidet enim, vt cuncta cogitata, sint secundùm rationem, ideoque vocatur Rationalis, eleuat humiles cogitationes, & dirigit ad Deum, vnde omnimoda securitas homini: sicut enim cogitationes in terram inclinantes, ruinam afferunt; ita securissimum, & inuulnerabilem cernit hominem, alta & sublimis, in ordine ad rationem, & Deum cogitatio, vt dicetur fusiùs infra.

Officiales & prouisores Sapientiæ, quinam sint?

De differentia, & distinctione officiorum imaginatiua, & æstimatiua, subobscura videtur certitudo, determinat tamen Philosophus, omninò inter se differre officia prædictorum officialium, dum ait: Non idem autem esse imaginationem, æstimationemué, patet: hic enim affectus in potestate nostra sine controuersia collocatur, licet namque cuilibet fingere, quid velit, atque ante oculos ponere, perinde atque ij faciunt, qui in artificiosæ memoriæ, comparatis, atque dispositis locis, imagines fingunt, atque simulachra collocant. At opinari in nobis non est situm, necesse est enim opinantem aut veram, aut falsam æstimationem habere. Tanti splendoris sunt hi Aulici Sapientiæ, vt in principio Regni sui, illorum præcipuè fauorem videatur exoptare à Deo Salomon: *Optaui* (inquit) *& datus est mihi sensus.* quoniam nouerat Salomon, quòd Principatus sensati stabilis est, iuxta illud Eccl. *Iudex sapiens iudicabit populum suum, & Principatus sensati, &c.* Similiter & Nabuchodonosor, qui interpretatur sedens in angustia, post pœnas dedit gloriam Deo, eumq; glorificauit pro eo, quòd ei restitutus fuerit sensus. Post finem (inquit) dierum illorum, scilicet angustiæ, sensus meus redditus est mihi. Multa tunc hic Rex recepit beneficia à Deo, nam cùm vellet Deus; quod fuit impossibile naturæ, conuersus est in belluam, inquit Chrysostomus, ac tandem, Deo bene propitio, ad conditionem hominis redijt: cùm desideràsset comparari Deo, iumentis comparatus est, quæ pœna fuit grauissima, nam vt inquit Chrysostomus: Peius est comparari, aut fieri, quàm nasci, quia naturaliter rationem non habere, tolerabile est: hominem verò decoratum ratione, irrationali creaturæ comparari, crimen est voluntatis, & maximè non vni tantùm belluæ comparari, sed pluribus, hoc est enim deformitatibus illorum assimilari; quare iuremeritò eleuatis in cœlum oculis Altissimo benedixit, & viuentem in sempiternum laudauit, eò quòd illi restituerit sensum, scilicet sensum mentis, ac rationis, quippe vterq; sensus multùm confert ad perfectionem, & perfectam gubernationem Reipublicæ, atq; splendorem, vt cernere est, vel ex ipsa occupatione circa obiecta sensus Communis propria, scilicet quinque sensibilia communia, quæ enumerat Aristoteles, scilicet, Motum, Quietem, Numerum, Figuram, & Magnitudinem.

Sap. 7. n. 6.

Eccl. 10. v. 2.

Et inprimis occupatio circa considerationem Motus affert splendorem, siue illius Motus, quo mouentur cœli, astra, corpora simplicia, & mixta; item illius, quo mouetur homo à sensualitate, à ratione, ac supremo motore Deo, impellitur ad rectè agendum, & gubernandum, quemadmodum supra de quatuor animalibus Ezechielis dictum fuit, de quibus dicit Ezechiel: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cùm ambularent.* Impellit Principes fortuna pluries, verùm hic impulsus, vt plurimùm decipit, nec cum tractu rationis cohæret. *Nam vbi mens plurima ac ratio, ibi fortuna minima, vbi plurima fortuna, ibi mens præexigua,* inquit Aristoteles. Ideo Princeps prudens, non curat impulsum fortunæ, imò virtute volubilem fortunæ rotam firmat, nec ob eius motum, aut metum commouetur, sed nec prosternitur, nec deijcitur, sed fortitudine animi resistit, fluctibus iactatur, sed non submergitur, impugnatur, sed non expugnatur, & vincens fortunam, ac fortunæ tela inclamat: Inanes minæ. Non extollitur, non deijcitur fortunæ impulsu, eò quòd bene nouerit, quòd vbi fortuna est, ibi neque mens vlla, neque recta ratio est; nouit item, quòd erroribus fortunæ corruat natura, vt inquit Seneca. Fortuna namque malos extollit, bonos humiliat, & natura æquales facit, Deus hos, & illos pro merito, & qualitate distinguit: impulsus igitur fortunæ, non est impulsus Spiritus Sancti. Impellit præterea ac mouet, & affectio virum prudentem, verùm quia nouit, quòd non expectatur ratio, vbi trahit affectio, talem similiter impulsum spernit, & soli impulsui diuino obedit, quod magnæ virtutis est, vt inquit D. Augustinus: Magnæ virtutis est, cum felicitatis ratione, & sensualitate luctari: magnæ felicitatis est, à felicitate non superari, itaque solum motum, & impulsum, & impetum Spiritus Sancti sequitur. Verum quidem est, quòd Dominus, atque Spiritus eius mortificat, atque viuificat, deducit ad inferos, & reducit; Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat, & vt inquit Philosophus: Verbum Domini, choreas ducit in orbe, mutando, & variando Regna, & Imperia, sed in ordine ad bonum. Olim floruerunt Athenienses, & destructi sunt per Lacedæmonios, Assyrij per Babylonios, Babylonij per Persas, & Medos, hos vicit Alexander Magnus, & ipse tandem veneno infectus obijt. Omnia volubilia in mundo, etiam Deo sic permittente. Et hîc fortassis Aristoteles disputat: An fortuna sit Deus? *Verùm* (inquit) *fortuna malis bona tribuit, Deum autem præficimus Dominum, vt bona, malaq; meritis distribuat.* Pro æqualitate meritorum exaltat, & deprimit, diem lætitiæ transmutat in noctem tristitiæ, quia inimici Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Huius solius itaque metus, & impetus sequendus est, qui bonos in bonum dirigit,

Ezech. 1. n. 12.

Lib. 2. Mag. Moral. c. 8.

81.

Princeps prudens non formidat minas fortunæ.

Arist. lib. 2. Mag. Moral. c. 88.

dirigit, & mala in peccatores permittit. Istius motus terminus, & finis est, pax Regnorum, ac quies perennis, in quo summa felicitas Regnorum consistit: & quemadmodum illa quatuor animalia non reuertebantur, cùm ambularent; ita Principes diuinum impulsum sequentes, & in bonis operibus constantes, non est opus, quòd reuertantur, sed semper impulsu Spiritus Sancti, in maiori, ac maiori perfectione proficiant.

82. Arithmetica Principibus, imò & Mathematica est necessaria.

Iamuerò non postremum etiam lumen & splendorem affert Principi occupatio circa Numerum, qui etiam spectat ad obiectum sensus Communis. Bonum est esse Principem Arithmeticum, ad faciendos Computus, quod Christus Dominus docuit exemplo illius, qui voluit ponere rationem cum seruis suis. Exigere rationem expensarum non est sordities, nam non exigere rationem expensarum, est defectus iustitiæ, quæ ad ditandum, atque augendum bona temporalia spectat, imò & in moribus exigere rationem, laudabile est, & ex hoc laudatur D. Bernardus, qui perfectam exigebat rationem à discipulis in moribus, ita, vt durus in oculis illorum videretur, & ab aliquibus imputabatur illi in culpam, sed ille dicere solebat: Felix cui solùm reputatur ad culpam, quod cæteri præsumere sibi solent ad gloriam; alij verò id imputabant zelo, vnde de ipso canitur in hymno: *Latratu strenuus, sanctus ex vtero.* Præterea in quolibet Regno, & quolibet dominio, necessarium est numisma proprium, vt docet D. Thomas, vbi etiam insinuat, quanta bona ex abundantia illius sequuntur, & quæ ex defectu incommoda. Similiter moneta, quæ sic dicitur, quia monet mentem, ne fraus sit inter homines, monet similiter numisma, quod sic dicitur, quia nominibus Principum, effigieq; designatur, mutare autem monetam, siue numisma, & pondera eius, displicet Deo. *Pondus* (inquit) *& pondus & statera dolosa, vtrumq; abominabile est apud Deum.* Solutiones, & pacta mediante monetâ fieri solent, quæ commoda à Principe fieri non possunt, si non caleat Arithmeticam. Tandem pondera, & mensuræ sunt necessariæ, ad regimen conseruandum; quia per hæc fidelitas in emptionibus, & venditionibus seruatur, hæc autem fieri non possunt, sine notitia Arithmeticæ.

D. Thomas de Reg. Princip. lib. 2. c. 13.

Prou. 20. n. 10.

Bonum est item, & non minorem splendorem affert, si Princeps occupetur circa Figuras, & magnitudines, vt sit Mathematicus, & Geometra, atque directè iudicare possit de Architectura, quod Mathematica, & Geometria docet. Nam ad Principum gloriam spectat in sua iurisdictione erigere arces, castella, turres, mænia, quæ erigenda non sunt in Sphærico fortunæ globo, sed in cubica omnium firmissima figura, eò quòd non solùm puncto planum tangit, sed æquo & plano: sic enim non fortunam in lapideo globo residentem, sed Mercurium in cubica basi repræ-

 sentabit,

ſentabit, ſic in Mathematica eruditi opera ſua, non imbecillitati, & volubilitati, ſed ſtabilitati, & firmitati perenni committent.

Nec ſolùm firma ædificia erigere docet Mathematica, ſed & ornata, ad quod etiam attendendum eſt; neque enim hoc ſolùm prouidendum eſt, ne erecta quandoque vacillent, ſed etiam vt ornatui, honeſtati, voluptati, hilaritati deſeruiant. Ornatui quidem, ſi eleganter erigantur, honeſtati verò, ſanitati, & hilaritati, vt viridaria aſpectui grata eſſe poſſint. Erigenda autem ſunt in locis tutis, naturâ, & arte. Naturâ, vt in locis editis, aut propè edita, quo ſcilicet hoſtili impreſſione vexata, aut ſeſe aptè defendant, aut è munitis arcibus commodè defendantur. Hac ratione ædificia iuxta Mathematicæ præcepta erecta, confirmabunt nomen Regum. Ad conſtituendam etiam, & eligendam commodiorem formam copiarum, iuuat Mathematica, quam potiùs formam eligat, an circularem, quadratam, trigonamué pro qualitate exercitus?

83. Aſtronomiam vituperat Salomon propter incertitudinem euentus, & ab omnibus penè Doctoribus impugnatur: ſi enim dæmones ignorant futura, qui peritiam habent coniunctionis aſtrorum, nam ſi ſcirent futura, certè non tentarent illos, quos ſcirent non conſenſuros tentationibus, quod ſi ignorent ea, quæ in ſuum fauorem eſſe videntur, multò magis ignorabunt ea, quæ in fauorem hominum vergunt. Si autem dæmones ignorant futura, certè & Aſtrologi. Vnde rectè dixit Tullius: Aruſpex aruſpicem videns non videbit. Et quod maius eſt, faciunt Principes Chriſtiani negligentes, vt accidit Chriſtiano Imperatori Conſtantinopolitano filio Irenes, qui cùm eſſet prælium aggreſſurus contra Bulgaros, Aſtrologi prædixerunt ei futuram victoriam, ſed huius oppoſitum euenit. Laudant alij Aſtrologos, eò quòd quandoque vera pronunciant, vt fertur de Mathematico Polono, qui prædixit Venetis ex bello nauali victoriam, ideo ex Senatus conſulto ſtatua ei erecta, & prouiſio liberalis ad vitalitiũ aſſignata eſt. Aſtrologus item quidam, Vladislao II. Regi Poloniæ, multa prænuntiauit ex aſtris, tempore eius natiuitatis concurrentibus, futurum illum clariſſimum, atque victorioſiſſimum, niſi longiorem vitam inuiderent fata, eum multis gentibus imperaturum, quæ omnia poſtea euentus comprobauit. Aſtrologi itaque ſunt conſulendi in ijs, quæ à cauſis naturalibus dependent: in ijs verò, quæ à voluntarijs, minimè; quia Deus eſt in Iſràél, quem poſſumus conſulere, non quærantur diuini, ſed in ſola miſericordia Dei confidat Princeps, adhibito mediocri, & probabili Aſtrologorum iudicio. Poteſt tamen deſeruire Principi Aſtrologia, ſicut & Mathematica ad dilatandum cor Principis, ne contentetur rerum terrenarum contemplatione, ſed peruolet cælos, aſtrorum curſus, & cælorum motus:

Aſtronomiam vituperat Salomon; poteſt tamen deſeruire Principibus ad multa.

motus: dilatatur enim cor secundùm altitudinem, vt nulli seruiat præter ipsum Deum, qui est astrorum admirabilis sator, & motus atque influxus creator; per latitudinem, vt nihil amet, præter ipsum Deum; per longitudinem, vt æternis occupetur, abstrahendo se à temporalibus, & ad æterna populum sibi commissum dirigat, nec permittat generosum cor captiuari illecebris, & cupiditatibus mundi, sed cor sublime soli Deo subiectum seruet, & nulli præterea, dicens cum generoso Principe Dauid. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Persimilem splendorem affert Principibus alius suprà nominatus Cubicularius sapientiæ, scilicet, Cogitatiua, seu Rationalis: Prouidet enim, vt Princeps probus omnia ex ratione agat, ideo nomen Prouisoris obtinet. Quid autem sit ex recta ratione agere, inquirit Philosophus, & respondet. Est nimirum ex recta ratione agere; cùm animæ pars irrationabilis, non prohibuerit rationalem suam exercere rationem, tum enim ex recta ratione erit actio, cùm explicat id, quod dixit, agit: Quoniam in anima partem vnam quidem deteriorem habemus, aliam meliorem, supple sensualitatem, & rationem: & hinc oritur difficultas, num corpus sit propter animam, vel anima propter corpus? verùm id, quod deterius est, quale est corpus, est propter animam, quæ nobilior est. Sicut ergo inconueniens est, quòd corpus impediat operationes animæ, sic inconueniens est, quòd sensualitas impediat operationes rationis. Hoc vel maximè Principibus deseruit, vt semper cogitent, ne quodlibet faciant, sed quod ratio suadet, ne computentur inter Lymphatricos, qui citra rationem ad aliquid agendum impelluntur. Indignum sanè est, vt affectus, & libido mentem impediat, eique opus suum exercere inhibeat. Siquidem, vt inquit Aristoteles: *Qui mente operatur, felicissimam agit vitam, id enim optimum vnicuique, & iucundissimum est, quod ei naturâ proprium est, ea autem vita, quæ proficiscitur à mente, propria est homini, siquidem maximè hâc est homo.* Inde verò sequitur aliud iucundissimum, quod vt ait idem, qui mente operatur, & eam colit, disponitur optimè, atque Dijs immortalibus amicissimus est, & subdit rationem: Si enim Dij (inquit) humanarum rerum, vt existimatur, aliquam habent rationem, sanè consentaneum fuerit, ipsos eo gaudere, quod est optimum, maximèque sibi cognatum: hoc autem fuerit ipsa mens, & in eos, qui maximè hoc amant, atque honorant, beneficia vicissim conferre, tanquam curam ijs, quæ sibi sunt chara, ac diligentiam adhibentes, & rectè, beneque agentes. Duo autem præcipuè sunt, quæ mens suadere debet Principibus: vnum est, vt Princeps sit vir bonus, aliud, vt sit bonus Princeps, hæc enim differunt, vt habet Aristoteles, vbi docet: quòd non eadem sit virtus boni viri, & boni ciuis. Quid autem sit melius? sanè bonum

[Right margin: 84. Prouisor Sapientiæ potentia Cogitatiua. — *Arist. lib.* 10. *Ethic. c.* 9. — *Arist.* 3. *Polit.*]

num eſt, eſſe virum bonum, Principem; & ingens malum eſt, eſſe virum malum, ſed multò deterius eſt, eſſe malum Principem, vir enim malus ſibi tantùm malus eſt. Nam & venenum quò latiùs per corpus diffunditur, eò præſentiùs affert vitæ diſcrimen. Iuuabit autem Principem ad vtrumque obtinendum, theſaurus ſapientiæ, qui eſt tertius cubicularius illius, videlicet memoria, in qua tanquam in theſauro, repoſita eſt forma gubernationis feliciſſima antiquorum, & quibus Princeps eruditur, vt ſit bonus Reipublicæ gubernator.

85. Tandem theſaurarius ſapientiæ, fulgido ſplendore ornat Principes, ſcilicet, memoria, quæ & inter pugnandum, & inter gubernationem Politicam, ſummè neceſſaria eſt. Et in bello quidem, neceſſe eſt, vt recordetur, quem quibus inſidijs diſpoſuerit, quem cui cuneo præfecerit. Vt militum nomina, ſi omnium fieri non poterit, (cuiuſmodi felicitate de exteris Mithridatem, & Cyrum excelluiſſe diximus, ex noſtris autem, Adrianum, Alexandrum, Seuerum, Othonem) ſuperiorum tamen omninò teneat, Tribunorum ſcilicet, Centurionum, Quinquagenariorum, Decanorum, quos neſcire, turpidini Ducis adſcriptum eſt apud veteres. Id ideo, vt nominatim vocans ad acrius pugnandum excitet. Quorſum Cyrus ipſo mirandum dixiſſe ſolitus fertur. Si ſedentarij quique artis ſuæ inſtrumenta nôrint, ſi & Medici non inſtrumentorum ſolùm, ſed & pharmacorum, quibus vtuntur, nomina tenent: Imperator autem ſit ita fatuus vt ſubditorum ducum, quibus, quaſi inſtrumentis vtitur, ignoret. Qui & dum anticipare quidquam vellet, & dum cauere, dum audentes facere, dum terrere, dum honorare quemque cuperet, decorum iudicabat, ſuo nomine quemque appellare, cùm maximè non generatim omnibus, ſed ſingularibus quibuſdam res bellicas demandandas diceret, quò celeriùs executioni dentur. Enimuerò plerumque milites, ignoſci ſe inter agmina putantes, prædæ potiùs cogitant, aut fugæ, quàm pugnæ intendant, & hi difficilè vincunt: at nomine proprio appellati, detectos ſe videntes, acriùs agunt, & quaſi ad mortem euntes, facilè potiuntur.

Theſaurarius Sapientiæ Memoria.

In gubernatione quoq; Politica neceſſariam eſſe memoriam Principi, vel ex eo colligitur, quòd Politici requirunt à Principibus noſſe debere nomina ſubditorum, & cognomina accepta à Patribus, quorum compellatione eorum animos ſibi deuincant, & eoſdem in medijs laboribus recrèênt. Exemplo Chriſti, qui dum ouium ſuarum paſcua Petro commendaret, ait: Simon Ioannis diligis me plùs his? porro alios ſæpè diſcipulos appellat Dominus, ſed ſimplicis cuiuſuis nominis vocabulo, vt cùm dicit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum,* ſed Eccleſiæ Principem non de ſimplici nomine ſolùm, verùm etiam de nomine Parentis compellat, dicens:

Ioan. 14. n. 9.

Simon

Simon Ioannis, vel alibi: *Beatus es Simon Bariona.* Quasi ex hoc docere vellet Dominus, maximè decere Principes, quòd nomina subditorum propria, & Parentum noscant, quorum compellatione plurimùm illos afficient, & honorabunt. Hanc admonitionem dedit D. Synesius Cyrenensis, vt *præter huiusmodi appellationem, nimirum nominis proprij, addito insuper Parentis nomine, & à maioribus accepto, vnumquemque compellat, omnibusque honorem deferat.* Hinc optimi Principes bene apud subditos audient, si singulos, & proprio, & Parentum nomine compellatos honorabunt. Tandem memoria efficit, ne moriturus Rex videat vanitatem, quam viuens, maiestatem esse putabat; ideo memor fit se esse hominem mortalem, ad immortalitatem natum, vt sic mortuus viuat, qui vt moriturus vixit.

Matth. 16.

Lib. de Regib.

His aulicis, & officialibus sapientiæ Rex stipatus laudabiliter gubernabit populum sibi subiectum, & verificabitur de illo illud Zachariæ: *In illa die proteget Dominus habitatores Hierusalem, & erit, qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid, & domus Dauid, quasi Dei*: quod declarat D. Thomas dicens: In illa die, id est, in illa beatitudinis die, quâ erit Dominus protector habitantibus in Hierusalem, id est, in visione pacis æternæ. Aliorum erit domus, sicut domus Dauid. Quia scilicet omnes Reges erunt, & regnabunt cum Christo, sicut membra cum capite. Sed domus Dauid erit, sicut domus Dei; quia & ipse lapsus pœnitentiam egit, & sicut regendo fideliter Dei officium gessit in populo, ita in præmio Deo propinquus erit, & inhærebit. Etsi enim peccauerit, hoc tamen speciale apud Deum habent Reges, ob difficultatem ad bene agendum, quod vt inquit D. Thomas, etsi aliquando per infirmitatem peccauerunt, apud homines excusabiliores redduntur, & faciliùs à Deo veniam promerentur.

Zachar. c. 12.

D. Thom. Opusc. 20. de Regim. Princip. cap. 9.

CAPVT XIII.

Splendor Regum ex Ministris Sapientiæ.

Ministri Sapientiæ sunt, quinque sensus; sicut enim anima operatur per corpus, sic intellectus, & sapientia per sensus. Est enim corpus vehiculum quidem animæ, at eâ conditione illi aptatum, vt vel bonis, vel malis sibi mutuò communicarent; sicut enim corpus animæ seruit, sic sensus rationi, adeo, vt talis sit rationis operatio, quale sensus ipsius, ita, quòd sicuti salus corporis consistit in proportione humorum; ita salus animæ in proportione morum. Quo non obstante, docet Aristoteles, nullum sensum sapientiam esse, sed ministrum sapientiæ. Nullum (inquit) sensum putamus sapientiam esse, quoniam 86.

Ministri Sapientiæ sunt 5. sensus.

niam cogitationes eorum singularium sunt, de nullo tamen dicunt propter quid, vt propter quid calidus ignis, sed solùm quòd calidus, & non reddunt causam, cur sit calidus, licèt hoc verum sit, quòd nullus sensus potest dici sapientia. Et in libro de anima dicit, non idem est sentire, ac sapere; rationem assignat: Illud enim omnibus animalibus, hoc valde paucis inest, & subdit: Neque item intelligere est idem, quod sentire.

Lib. de Anim. Cùm ergo & corpus deseruiat animæ, & sensus sapientiæ, neque tamen sensus sunt sapientia, estò sapientia non sit sine sensuum operatione, relinquitur, quòd sensus sint ministri sapientiæ; quia nihil est in intellectu, quod non sit priùs in sensu, saltim pro statu isto, quia non ex natura sapientiæ, sed ex peccato originali id prouenit, aliàs animæ separatæ, sicut à corpore, ita à sensibus essent imperfectæ, atque priuatæ scientiâ, & sapientiâ, cùm tamen de mente Theologorum, nec sint imperfectæ in essendo, nec in cognoscendo, nisi quod participat vni esse amittunt, habent enim esse proprium æquè perfectum, ita separatæ, sicut coniunctæ, & solùm amittunt esse totius participatiuum, quod habebant vnitæ corpori. Prædictæ igitur animæ separatæ, cùm sint sapientes, non egent ministerio sensuum, nisi in corporibus gloriosis, vbi illorum vsus erit, siue sint extrinsecæ, siue intrinsecæ, sicut coniunctæ, vbi opus habebant illorum ministerijs ad acquirendam sapientiam, etiam beati. Quare qui delectantur sapientiâ, ministris sapientiæ faueant, & Principes imperij sui Collegas eosdem habeant.

87. Non est contra dignitatem Regiam, quòd ministros sapientiæ ad amicitiam suam recipiant, sunt enim origine nobilissimi, quippe à capite, & cerebro, Parente, & domicilio sapientiæ, quod vel inductione clarum esse potest; nam à capite descendit sensus visus, cuius testes sunt duo nerui à cerebro ad oculos, tanquam ad organa Principis sensuum descendentes. Hic sensus in multis deseruit sapientiæ, & Regibus sapientiam desiderantibus, ministrat notitiam omnium, quæ ad Reges spectant: ministrat intelligentiam, atque oculos misericordiæ, & compassionis super egenos: ministrat & vigilantiam, quæ maximè necessaria est Regibus.

Non est contra dignitatem Regiam, si ministris Sapientiæ faueant.

Necesse quippe est, vt Principes cognoscant bonos, & malos: bonos, vt eos honore afficiant; magno enim Reipubl. dedecori est, malos haud cognoscere, & bonos non honorare. Malos autem à Principe cognosci necesse est: vt corrigantur; magno enim detrimento Reipublicæ est, absque vllo pudore malitiam improborum impunè tolerare. Necessaria item est Principi, sapientum, & eruditorum notitia, quorum vtatur consilio. Necesse est Principi cognoscere, qui sunt industrij, & docendi alios periti, sicut in aulis Principum Romanorum, semper fuerunt Tribuni armorum

rum Magistri, & viri eruditi, disciplinarum, armorumque Professores periti: signum enim sapientis est posse docere, vt dicit Aristoteles: *Sapiens est, qui scit omnia, quantùm possibile est, & qui difficilia, non communia, & qui magis docere valet, causas reddens omnium.* 1. Metaph. c. 1. Oportet etiam Principem arrogantes, ac malitiosos cognoscere, vt humilientur. Inuidiâ quippe inopes, & fastu diuites, breui temporis spatio nobilem solent euertere Rempublicam. Necesse est Principem cognoscere pacificos, vt pacati, & quieti conseruentur; est enim boni Principis, plumas euellere (vt ita loquar) seditiosis arrogantiæ, fauorisque pacificis alas addere.

Necesse est Principem bene de se meritos agnoscere, vt dignis eos præmijs afficiat. Ingens enim animo generoso ad fortia facinora calcar est, vel minima remuneratio. Necesse est Principes viros nobiles Regni sui cognoscere, vt oblatâ occasione, illorum vtatur ministerijs. Virum enim nobilem virtute, ac nobilitate præstantem, reliquis in Republica præferri omnibus æquum est. Tandem necessarium est, vt veritatis amatores noscat, & hos semper diligat. Nemo enim bono Principi æque intimus, ac familiaris esse debet, atque vir sapiens, & verax, nemo æque inuisus, atq; execrabilis, quàm homo mendax. Tam amplam sapientiam subministrat Regibus, minister sapientiæ visus.

Vigilantiam quoque perfectam ijsdem subministrat vigil oculus Regis, atque Reipublicæ. Non enim infelix vocandus est Princeps, cui sua fauet & cupit Respublica: nec Respublica vnquam infelix dici poterit, si peruigilet in obseruantia erga suum Principem, sed tam Rex, quàm Regnum felicium sibi nomen iure optimo vendicabunt. Vigilans nunquam vllus læsus est. Vigilantes oculos habeant Reges, & Respublica, & minimè læsionem sentient, imò læsurus hostis eos maximè verebitur. Nunquam enim malus vigilantes non veretur. Rapidissimi maris fluctus nauem inuaserunt, in qua Christus Dominus dormiebat; discipuli autem timore concussi, dormientem excitabant, dicendo: Domine salua nos, perimus. Cur non magis quiescere sinebant dormientem? Cur non potiùs ad applicanda vela, quàm ad vnum dormientem excitandum currunt? Eò quòd sciebant vigilantem Christum, & pelagum reuereri. Nulla res citiùs malis incursantibus occurrit, quàm vigilans oculus, nec gladium exeras, nec tela iacias, nec ignes præpares, aduersùs hostiles incursus, sed te vigilantem ostende, & omnes maligni incursus reuerebuntur.

Subministat etiam visus Principibus intelligentiam, & oculum misericordiæ; opus est Principem inopes Regni sui cognoscere, & intelligere, quia, Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, opitulando, & succurrendo ipsi. Ita enim fiet, vt neque supersint diuitibus diuitiæ, neque 88. Visus subministrat Principibus intelli-

gentiam, & compassioné. ad quotidianas necessitates desit pauperibus. Diuinæ misericordiæ oculi lyncei sunt ad videnda subueniendi motiua. Christus Dominus vidit Nathanáëlem sedentem sub ficu, qui priùs viderat Adamum fugientem, vidit non solùm ipsum, sed & omnes electos suos misericordiæ oculis, & iam disponebat misericorditer, quo illos ordine à præuaricationis reatu liberaret: & licèt ad perspicaciam oculorum Dei, nullus hominum peruenire valeat, quia inquit Tertullianus. Sed oculi (inquit Isaias) Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur, & ideo cognoscit Dominus perfectè, qui sunt eius. Cæterùm, neque oculi Principum ita corporei esse debent, vt non valeant subministrare oculos misericordiæ, & compassionis erga pauperes, neque item debent esse oculi Principis adeò mali, & tenebrosi, vt non videant, quibus, & qualiter subueniendum sit.

Alius quoque minister sapientiæ auditus non minoris nobilitatis est, atque visus, quippe à capite, & Parente sapientiæ originem trahit. Nec segnior in ministranda sapientia Principibus, maximè in concedenda, & deneganda audientia, vt suprà fusiùs dictum est. Sed illud præcipuum auditus ministerium, quod subministrat scientiã saluandi animam, & ampliat dignitatem Regiam. Notum est in sacra Scriptura, diuitem postulâsse à Deo admonitionem, & præcautionem illis, qui de familia eius fuerunt relicti in terra, sed responsum est ei: Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos, quasi, ex quo Prophetas, & Moysen audiêrint, nihil ampliùs requiratur ad salutem. Et quidem adeò valida sunt Sanctorum verba, quæ si audiantur, ferالissimos quosque possunt trahere ad salutem, vt ait Diuus Epist. 4. Paulinus. De omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat, & necesse est à minimo Dei seruo, vel guttam cœlestis sapientiæ distillare, quæ ariditatem mei cordis irroret, & mihi supra huius sæculi sapientum flumina, ad portam vtilitatis exuberet: quia malo quinque verba loqui in lege, quàm multa millia; sicut vnam diem in atrijs Domini viuere, melius est, quàm millia in tabernaculis peccantium. Quicunque enim audiet etiam minimum seruum Dei, stillabit fluuium voluntarium in corde audientis, hinc in corde audientes, diuites salutis segetes colligent. Non sic Rhetoricorum flumina valent animos fœcundare, vt vel verbulum vnum ex lege Dei profatum; pauca verba Christi prolata coram Pilato: Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Et statim ita rapuerunt Pilatum, vt de veritate interrogaret. Quid est veritas? Vnum verbum audiuit prolatum de veritate, & desiderat venire ad cognitionem veritatis, & salutis.

89. Neq; solùm Auditus est minister salutis, sed & splendoris Regij instaurandi

randi per fidem, quæ eſt ex auditu. Adam in paradiſo conſtitutus fuit ſplendidiſſimus Rex, vt inquit Anſelmus. Hominem (inquit) ad excellentiſſimi Regis imaginem, dum bene ſe rexit, Regem fuiſſe quis dubitet? Regnum iſtius Regis paradiſus Dei fuit, in quo Rex, & Dominus, vt dominaretur, ac præeſſet beſtijs, & piſcibus, tanquam Rex in ſolio collocatus: in eo autem, quod præ cæteris animalibus ſibi relictum eſt, tanquam Regulus victitauit. Non credidit Deo minanti mortem, ſi ex ligno prohibito veſceretur, ideo diminutum eſt Regnum eius, vt iam potiùs Regulus, quàm Rex appellari mereretur. E contrario, cùm acceſſiſſet ad Chriſtum Dominum quidam Regulus, & ab eodem poſtulâſſet, vt ſanaret filium eius, inquit Euangeliſta: Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & proptereà fide, quam adhibuit verbis Chriſti, creuit in dignitate, per fidem auditu perceptam, vt iam non appellaretur Regulus, ſed homo, priſtinam, per fidem, Regiam dignitatem, quam amiſerat Adam, recuperando. Vnde Euſebius: Iam non regulus, ſed Rex iſte dicendus eſt. Regulus erat quando venit, ſed Rex plenus fide receſſit. Sic fides ex auditu replet dignitatem Regni, Regiumque hominis ſplendorem reſtituit. Vbicunque fides ſedem fixerit, ibi totam Regalis decoris puta ineſſe amplitudinem: naſcitur, & renaſcitur rectâ fide Regius ſplendor, quem Regiũ ſplendorem non natura ſeminat in Regnis, ſed ſuperſeminat fides. De fidei beneficio habent fideles, quòd ſint ſplendidi intra ſe: Regnum cælorum intra vos eſt. Intra vos eſt fide auditu perceptâ. At Reges fidem habent, quòd etiam ſint Reges extrinſecùs, quibus Principatus naſcitur ab extrinſeco munere fidei, pro fidei merito, Regna ampliando, & purpura Regum ſplendet, quippe vbi fides recta eſt, non poſſunt Regij ſplendores non effulgere, & hoc totum accidit beneficio, & miniſterio ſenſus auditus, quia fides ex auditu.

Auditus eſt miniſter ſalutis & ſplendoris Regij.

90. Tertius quoque Sapientiæ miniſter Odoratus, qui ſimiliter originem trahit, à nobiliſſimo Parente Sapientiæ Cerebro, non eſt otioſus, ſed latentia, & imminentia pericula Principibus manifeſtat, & indicat, etiam cùm ſint longè, ſubodorans omnia, cuius etiam beneficio in magnis, denſiſque ſyluis, ſcilicet, odoratu canes ſagaces potiùs, quàm viſu feras produnt. Miſera nimis conditio hominum, Rex futurorum ignoratione, vbi futurorum prænotiones occumbunt, & non præſentiuntur futura, vt D. Hieronymus dicebat: Moleſtias nuptiarum, & incerta coniugij domeſtico exemplo didiciſti, cùm ſoror tua Bleſilla ætate maior, ſed propoſito minor, poſt acceptum maritum, ſeptimo menſe viduata eſt. *O infelix humana conditio, & futuri neſcia! Et virginitatis coronas, & nuptiarum perdidit voluptatẽ, & æternam viduitatem incurrit.* Vtinam hac in valle lachrymarum etiam ha-

Odoratus miniſter Sapientiæ, imminentia pericula Principibus manifeſtat.

D. Hieronym. ad Euſtach.

beamus præſagia; fallar, niſi hæc ſapientes non afficerent ad bene operandum. Moyſes proponit ſeptuaginta viros coram Domino, qui in iudices populi creårentur. *Cùmq́ requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetauerunt.* En per quod initiantur boni Iudices, & Reges, per acceptum Spiritum prophetiæ, vbi Theodoretus: *Septuaginta ſeniores, quos elegit Moyſes, ſtatim quidem electi, digni ſunt habiti Prophetica operatione: poſtea autem minimè prophetabant, ſed à dono diuino redditi ſapientes, componentes populi controuerſias.* Cæterùm, prophetandi, futuraq́; prædicendi, ſupplet miniſterium ſenſus Odoratus, cuius miniſterium è propinquo, quàm è longinquo eſt debilius, quod etiam de floribus affirmat Ariſtoteles, quorum virtus è longinquo eſt fortior ad ferendum odorem, ſic plùs iuuat Rempublicam, hoſtes à longè præuidere, vicariâ prophetiæ induſtriâ, quàm cum periculo præſentes cernere: quod ergo odoratus à longinquo ad ſenſorium Odoratus defert, hoc induſtria ad Principes. Prudentia Principis eſt, non ad ſola præſentia attendere, ſed ea, quæ à longinquo ſunt, pericula proſpicere, & ſubolfacere, vt faciliùs Rempublicam tueri valeat.

Num. 11. 25.
Theodoretus quæſt. 24.

Quartus Sapientiæ miniſter Guſtus ex capite deſcendit, cuius miniſterium eſt duplex, vt ſuperiùs dictum eſt, ſcilicet, loquendi, & guſtandi, duabus venis à cerebro ad linguam deſcendentibus: vtrumq́; ſenſorium Guſtus expandit in miniſterium Sapientiæ, atque conſeruationis Regni, nam & lingua ſuauiter ſonans, & opera dulcia, ſunt Reipublicæ fulcra: ſermo ſuauiter ſonans in laudem Chriſti, & Reipublicæ vtilitatem, eſt columna argentea, os argenteum. Salomon fecit ſibi ferculum, columnas eius fecit argenteas. Cur non marmoreas? quia marmoreæ commendantur ex robore, argenteæ ex ſonitu ſuaui, ſicut plumbeæ reprehenduntur ex ſonitu graui, vt inquit Gilbertus: *Columna es, ſi fueris in fide firma, argentea, ſi diuini fueris vſu inſtructa ſermonis.* Argenteæ ſint linguæ veſtræ: argenteæ ſunt, ſi de ſacra Chriſtum pagina ſoluant. Non mittatur maſſa plumbea in os veſtrum. Plumbeum os eſt, quod nihil ſubtile loquitur, nihil de ſupernis, ſed totum remiſſum eſt, totum hebes, totum de imis, fortaſſe & de iniquis. Nam iniquitas ſedet in iniquo plumbo. Ex quo manifeſtum eſt, linguam argenteam eſſe columnam Reipublicæ, ſuſtentantem Regnum; linguam promentem peruerſa, quæ de peccatis gloriatur, eſſe os plumbeum in ruinam Regni, vt habet Iſaias: *Ruit Hieruſalem, &c. & Iudas concidit: quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maieſtatis eius.* Agnitio vultus eorum reſpondit eis: peccatum ſuum, quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala.

Gilb. ſer. 18. in Cant.
91.
Os argenteũ, vel plumbeũ quodnam ſit?
Iſaia 3. n. 8.

Opera ſimiliter dulcia oſtendunt manifeſtè, eiſdem conſeruari Rempubli-

publicam, atque in eis fundari, opera enim testantur sanctitatem, & felicitatem Regni. Cùm Christus interrogans S. Petrum, quid de se sentiret, respondit: *Tu es Christus filius Dei viui*; & Christus Dominus reciprocè: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* subiecitque: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus cælestis.* Non legimus quando hæc reuelatio facta fuerit, nec quando Pater cum D. Petro locutus fuerit. Quia nec opus erat; quia sufficiebat reuelatio, per opera Christi suauia, quoniam tantæ sanctitatis erat plena, vt in illis manifestè sese Deus Pater ostenderet his, qui velint attendere, & credere. Sic Petro reuelauit consubstantialitatem Filij per opera Christi sanctitatem stillantia, & testantia. Simili ratione bona opera sanctitatem spirantia manifestant felicitatem Regni, & durationem perennem. Per oppositum autem opera mala, & acerba destructionem promittunt: quin etiam neglectus bonorum operum, & omnia bona emortua, Rempublicam in nihilum reducendam prognosticant, vt insinuauit Dauid, cùm dixit: *Et occidit in grandine vineas eorum.* Grando nunquam *Psal. 77. 47.* potest occidere vineas; potest quidem grando fructus vineæ perdere, pampinos frangere, at vitibus non nocet grando. Quomodo ergo non solùm fructus, non solùm pampini, sed ipsæ vites, ipsæ vineæ dicuntur occidi à grandine? Eo ipso, quòd dum vineæ sunt sine fructibus, tanquam occisæ habentur, & in nihilum redactæ. Et D. Bernardus ait: Quomodo *D. Bernar. ser.* vinea cum sterilitate? Occidit, inquit, in grandine vineas eorum, mon- *63. in Cant.* strans vitâ priuatas, quæ sterilitate damnatæ sunt. Vanè putat se vitam habere, & aliquid esse ille, qui fructus operum non ostendit. Nequit aliquid bonum esse, nisi quamdiu operibus virtutis exprimitur.

92. Denique vltimus Sapientiæ minister sensus Tactus, à cerebro quoque ortus, adeò ministerio iuuat Sapientiam, vt nullâ ratione Sapientia haberi possit, absque ministerio eius; cùm enim pro statu isto non possit *Vltimus minister Sapientiæ Tactus, sine quo nullus haberi potest.* haberi Sapientia sine sensibus, & sensus absque tactu haberi non possit, vt inquit Aristoteles. Nullus (inquit) alius sensus absque tactu haberi potest, corpus enim animalis omnis, vim habet sentiendi tangendo. Et de sensibus quidem patet, nam nec oculus videre potest absque tactu intentionali, seu spirituali, pupillæ ab obiecto per speciem intentionalem. Nec auris audire, absque tactu Physico aëris, nec gustus gustare, absq; tactu humoris, nec odoratus odorari, absque tactu acris fumi, vel suauis. Cùm igitur sensus non possint esse absque ministerio Tactus, & Sapientia non potest acquiri absque sensibus, relinquitur, ministerium Tactus esse necessarium Sapientiæ. Tactus præterea est interpres, & simulachrum munificentiæ Regum, ex qua fortitudo bellica, & felicitas Reipublicæ pendet, diffunditur enim per totum corpus, corporisque membra, to-

tum corpus ambit adinſtar retis ; ita munificentiæ virtus, totum Reipublicæ corpus ambit. Sed de munificentia, & liberalitate Principum inferiùs.

CAPVT XIV.

Secundus principalis Regum ſplendor, ex fulgida virtutibus corona acquiſitus, imitatione Chriſti Domini, proponitur.



Plendoribus ex ratione Capitis Regij illuſtratis, ſequuntur ſplendores ex fulgoribus Coronæ illuſtrandi. Præmittendum autem, quòd multipliciter nomen Coronæ vſurpatur.

Dauid Propheta accipit Coronam pro circulo anni durantis, qui eſt tanquam Rex aliorum annorum, cùm dicit: *Benedices Coronæ anni benignitatis tuæ.* Sumit enim Coronam pro anno fertili, eumq; poſtulat à Deo, dicens: *Benedices Coronæ, &c.* vbi ex benedictione Dei fœcunditatẽ terræ, ex fœcunditate abundantiam victus, amictus, & munimenti Regni ominatur, & expectat. Victum quidem, quia ex vbertate camporum victus abundantia, & ſalus populorum: veſtitum autem, quia pingueſcent ſpecioſa deſerti, paſcua ſcilicet, pinguia in deſertis, & agri fœcundabuntur, vnde paſcua pinguia, atque ita abundantia lanæ, vnde & veſtitus. Munimentum etiam Regni inde, quia allegoricè, colles elatiores, & nobiliores populi accingentur, & præparabuntur ad bellum, & ſic munitum erit Regnum.

Pſal. 64. n. 12. *Pſal. 64. n. 12.*

93. Multipliciter ſumitur Corona.

Thren. 5. n. 1.

Poteſt item accipi Corona eâ ratione, quâ Iſaias locutus eſt, deflendo mortem Ioſiæ Regis, pro perſona Regia. *Cecidit Corona capitis noſtri*; vbi Coronam accipit pro perſona Regis, eamq; deflet, eò, quòd Rex Ioſias, ſicut ab infantia cæpit timere Deum, ita & finiuit: ab ætate puerili ſuxit pietatem, & Deum quærere cæpit, ſicque aſpirante Deo in dies meliùs proficiebat, vnde & dignus erat tantis lachrymis, quibus dignus erat Valentinianus Imperator, in cuius exequijs prædicans S. Ambroſius, ſermonem auſpicatus ab his verbis: *Soluamus bono Principi ſtipendiarias lachrymas, quia ille ſoluit etiam mortis ſuæ ſtipendium.* Cùm igitur S. Regem plorat Iſaias, & dicit: *Cecidit Corona capitis noſtri*, idem eſt, ac ſi diceret, mortuus eſt, vt clariùs inſinuant ſeptuaginta Interpretes, cùm legunt: Deſcendit Corona capitis noſtri, ſcilicet in ſepulturam, ſicut lapis ex alto ædificio, qui erat in ornamentum, & firmamentum ædificij. Non accepimus hîc Coronam pro Regno, quâ his temporibus dici ſolet, Corona Poloniæ, Hiſpaniarum, &c. id eſt, Regnum Poloniæ. Ariſto-

Ariſtoteles quoque cum cæteris Aſtrologis meminit Coronæ inter Aſtra. Corona, inquit, eſt ſpecies ſplendoris, qui collucens ex ſydere emicat, ſed hæc Corona eſt ſtellata, quâ Beatiſſimam Virginem coronatam legimus, quâ etſi boni Reges digni ſint, in futuro tamen ſæculo coronandi. 94. Petrarcha quoque dicit: Diadema Regum eſſe virtutes, & communiter dicitur: Natura coronat ſenes capillamento cano. Sed neque de his coronis nobis ſermo eſt. Accipitur itaque in præſenti Corona, partim pro perſona Regis, partim pro illa, quæ eſt Regalis capitis decus fulgentiſſimum. Hanc virtutibus fulgidam exoptandum eſt eſſe glorioſam, erit autem, ſi labore acquiratur, & meritis, ac de generatione in generationem extendatur. Nec Chriſtus glorioſâ Coronâ ornari voluit, ſine operum meritis, & cùm contrarium ſuaderet Petrus, dicens: Abſit hoc à te Domine, quòd tantum laborem Crucis ſuſtinere debeas: rigorosè correctus. Hanc maculam, & ruinam Chriſtum incurrere curabat ſathanas, cùm iuxta S. Lucam, ſecundò accedit tentare, ſic enim ibi dicitur: *Duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ* in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita eſt, & cui volo, do illam. Tu ergo ſi adoraueris me, erunt tua omnia. En tibi totum humanæ creaturæ Regnum, quod diabolus tyrannicè vſurpârat, factus mundi rector iuxta Apoſtolum, & Princeps tenebrarum harum, quàm gratis offerat illud Chriſto, quàm ſine certamine, & pugna propter ſemel exhibitam adorationẽ. Et quidem totum inter Chriſtum, & diabolum, duellum de Regno humanæ creaturæ erat; hoc ſolum intendebant vniuerſæ Chriſti pugnæ, & ſudores, vt ſpoliaret diabolum principatu, ab eiuſq; tyrannide eductum hominem ſibi aſſereret. Ergo quod Chriſtus totis Paſſionis ſuæ pugnis intendit, Regnum diabolo eripere, hoc Chriſto gratis, ſine vlla pugna, diabolus offerebat. Quæ tentatio? Equidem multùm indecora, & nociua Chriſto, cui indecorum eſſet Regnum illud gratis, & ſine ſudore acceptare. Rem expendit Origenes. Dicit ergo ad Dominum diabolus: Ideo veniſti, vt aduerſùm me dimices, & tollas de imperio meo, quos nunc ſubiectos habeo. Nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas vllam in certando moleſtiam. Vnum eſt, quod precor, procidens adora me, & accipe Regnum à me, quod teneo. 95. Hoc diabolus petit, hoc offert, huius gratioſi Regni cupiditate tentat. Verùm Dominus noſter, atque Saluator, vult quidem regnare, & omnes gentes ſubiectas eſſe iuſtitiæ, veritati, cæteriſq; virtutibus: ſed vult regnare iuſtitiâ, vt nihil faciat indecorum, & non vult abſque labore, ſubiectus, à diabolo coronari.

Corona glorioſa labore & meritis acquirenda eſt.

Luca 4. n. 6.

Orig. in Luc. hom. 30.

Diabolus ſuadet dignitates obtinendas ſine meritis.

Per oppoſitum turba illa, quæ ſequebatur Chriſtum Dominum in de-

ſertum, cernens opera Chriſti diuina in patrando miracula, atque paſcendo tot millia hominum, & ad ſufficientiam ſaturando, nihil honorabilius ei offerre exiſtimabant, quàm Coronam. Voluerunt (inquit) eum facere Regem, quoniam optimi Regis virtutes in eo intuebantur, pietatem, & deuotionem, ob quam ſeceſſit in deſertum; ſcientiam, & artem gubernandi, quæ in eo conſiſtit, vt Rex ſit ſapiens, potens, & beneuolus. Sapiens: politicâ ſapientiâ ſeu prudentiâ, per quam, quæ ad bonum commune Reipublicæ pertinent, conuenienter diſponit; diſponet autem conuenienter, ſi hæc quatuor obſeruauerit in regendo. Bona ſcilicet, ad quæ diriguntur ciues, modum dirigendi, perſonam dirigentem, & gentem directam. Quodlibet horum duplici viâ comparatur. Bonorum enim ratione memor, & prouidus ſit Rex oportet, memor ſanè præteritorum, vt ex ijs diſcernat de futuris, prouidus futurorum, vt quod tentat, faciliùs expediat. Modi item dirigendi duo: nam opus eſt, vt ſit intelligens, & rationabilis; intelligens, vt quid opus ſit noſcat, rationabilis, vt congruenter, non exoticè diſponat. Perſona quoque dirigentis, ſcilicet ipſius Regis, debet eſſe ſolers, & docilis. Solers, vt quod vtile ſit ſubditis, excogitet: docilis; vt cùm ipſe ex ſe non poterit, aliorum conſilijs acquieſcat. Gentis tandem directæ expertus, & cautus. Expertus, vt proprias illi⁹ conditiones, & qualitates noſcens, meliùs eam dirigere valeat. Cautus, ne mala pro bonis, aut contrà, vel retribuat, vel recipiat, nam non multùm diſtat à vitio, vel decipere poſſe, vel decipi.

Cernebat turba Chriſtum Dominum eſſe dignum Coronâ, quoniam

96. erat potens, non potentiâ politicâ, quæ conſiſtit in opibus, armis, conſilijs, fœderibus, fortunâ, militibus, tutelarijs, & præſidiarijs, munimenta item ea, quæ duplicia ſunt, arces, & coloniæ; arces, vt ſint præſidio, maximè in finibus Regni, ad arcendos hoſtes, & repellendos à finibus Regni: coloniæ verò, vt ſint ſubſidium aduersùm rebelles, & publicæ tranquillitatis hoſtes. Non prædicta potentia politica, ſed potentia diuina, quâ multiplicabatur panis in manibus eius, ad ſaturanda tot millia hominum, & patranda miracula.

Arces ſunt munimenta Regnorum.

Conſiderabant tandem & beneuolentiam, quæ etiam eſt ſtabiliendi ſtatus fulcrum, conſiſtitq; in ſubditorum amore in Regem, & Regis in proprium ſtatum, in prompta inclinatione, atque adeò bona voluntate, quam clarè cernebant in Chriſto, tum quòd manifeſtè innocentem cernebant, quæ innocentia in eo conſiſtit, vt prodeſſe omnibus, nulli obeſſe ſtudeat: beneficentiam, & indulgentiam, ideo dignum glorioſâ Coronâ iudicabant.

Denique perpendebant pietatem eius erga Deum Patrem, erga tur-

bam docilitatem, prudentem dissimulationem, liberalitatem, ac munificentiam Regiam; ideoque coronam splendidam ei conferre parabant; & hæc nobis illustranda sunt in sequentibus. Gloriosâ coronâ digni sunt Reges, qui in prædictis virtutibus imitantur Christum Dominum, eidemque se conformant. Omnes quidem homines conformes esse debent filio Dei, quia scriptum est: Quos prædestinauit conformes esse fieri imaginis filij Dei; maximè tamen Reges, quibus in actionibus sacris datum est perpendiculum, iuxta illud Zachariæ: *Perpendiculum extendetur super Hierusalem*, scilicet actio, vel actiones Christi. Tum etiam, quia teste Cicerone: *Natura conformauit nos omnes ad maiora*; sic quò maiores, eò exactiùs conformauit, sicuti statuarius, quò precisior lapis, eò elegantiorem statuam facit. Cùm autem Rex proprijs subditis longè sit maior, longè conformiorem Deo se debere esse cogitet, & sic longè maiori studio ei nitendum, ne ab eius conformitate recedat: Deum enim Rex in terris suo gradu refert, imperare ei virtus est, quam Regi communicat, atque ita eum diligere debet, vt imitetur, ita imitari, vt ad viuum referat, quâ scilicet mensurâ humana capacitas potest. Nam si omnibus commune est iussū, vt operantem Deum, nobis tanquam finem imitandum proponamus; multò magis id pertinet ad Regem, qui ob ministerium sibi iniunctum, multò est propinquior Deo, quàm cæteri regimini eius subiecti: imitatur bonus Rex Deum in titulis, & appellatione. Inter omnes appellationes nulla maiori claritate exprimit Deum, quàm cùm dicitur Optimus, Maximus; his enim summè bonus, & summè potens significatur, ad quam omnes eius celebritates aliæ reducuntur. Vt summè bonus, omnibus sese communicat: vt summè potens, omnes iustissimè, æquè, & clementissimè regit, ideoque dicitur optimus. Si igitur Rex participat appellationem Optimi, & in eo imitatur Deum, imitetur & in virtutibus, vt dicatur optimus, ac selectissimus, relinquendo aliam appellationem Maximi, tanquam religionis Præsidi, Regi sacrorum.

Zachar. 1. v. 16

Cicero L. de finibus.

97.

Reges Deum in omnibus imitari debēt, estò sit hæc imitatio difficilis.

Verùm & imitatio Dei, sicut non est sine magno merito; ita nec sine magno labore, & ideo nec mirum, quòd imitatione Christi Domini, splendidam, & gloriosam sibi comparent Reges coronam. De imitatione Passionis Christi loquens D. Bernardus, ait *Mons patientiæ arduus, propter difficultatem imitandi Passionem Domini, spinosus, propter aculeos tentationum, difficilis propter retributionem, quæ speratur in futuro sæculo.* Hoc idem de monte virtutum, & imitatione earum rectè dici potest, vnde & labor, & difficultas meritoria. In aspera rupe Deus constituit palmam, super quam imposuit coronam, vt Reges aspicientes palmam, asperis corticibus contectā, & gloriosâ coronâ ornatam, atque inter spinas, & vepres collocatam, in-

telligant, non abſque labore rupem imitationis Chriſti eos deſcendere debere, vt glorioſam coronam obtineant. In eadem palma, oſtenditur Regum meritum & gloria, exaltatio, & humiliatio: exaltatio in corona, humiliatio in cortice palmæ. Perſimiles ſunt Reges perſonæ Chriſti Domini, in qua, duarum naturarum, in vna perſona, conſtitutionem credimus, vnde Chriſtus eſt Deus, & Homo; ita Rex cùm ſit vna perſona, eſt ſimul Rex, & homo, ſecundùm naturam diuinam Chriſtus fuit ſuper omnem creaturam naturâ ſuâ exaltatus, at ſecundùm naturam humanam fuit humiliatus; ſic & Reges, ſecundùm leges, coronâ exaltantur, ſed debilitate naturæ humanæ, attenuantur, & humiliantur, corona exaltat capita eorum, & ad titulos diuinos obtinendos euehit, & participes facit. Inter alia nomina Dei eſt, quòd ſit Rex; vnde hic cæleſtis Rex, Abraham Patriarcharum primùm vocatum Abram, id eſt, Pater excelſus, Regij tituli participem eſſe voluit, dum illi nomen impoſuit Abraham, id eſt, Pater multitudinis, quod idem eſt atque Rex, & ſic antiquo nomini Abram, addendo literam H Abraham, quæ litera eſt nominis Dei ineffabilis, antiquo nomini eius adiecit titulum Regis. Similiter Chriſtum Dominum exaltari voluit Deus Pater, nam & ſalutando Beatiſſimam Virginem Angelus, dixit: *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* Et Magi quærentes ipſum duce ſtellâ, dicebant: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?*

98\. In morte Chriſtus omnibus ſpoliatus fuit, præter Coronam.

In morte permiſit, vt omnibus ſpoliaretur, præter Coronam, quam non ſolùm capiti ſuo imponi voluit, ſed etiam ſpinis infigi in capite, ad inſinuandum, quòd nec titulo regio, nec Coronâ priuari voluit, ſed coronari, ita, vt de capite eius nullâ ratione cadere poſſet, ſiue viuus, ſiue mortuus fuerit, ſed etiam poſt mortem Rex coronatus permanſit: cuius muneris etiam Reges Chriſtianos participes eſſe voluit. Ea differentia eſt inter Reges gentiles & Chriſtianos, quòd gentiles vnà cum vita coronas amittunt, Chriſtiani autem etiam poſt mortem coronis non priuantur. D. Auguſtinus refert, quòd cùm inuitatus eſſet, ad videndum gentilium ſepulchra Romæ, pyramides, & columnas, adductus quoque fuit ad ſepulchrum Cæſaris Imperatoris Romani, quod cùm vidiſſet, exclamauit: Vbinam eſt Cæſaris corpus præclarum? vbi magnitudo diuitiarum? vbi apparatus delitiarum? vbi multitudo dominorum? vbi caterua Baronum? vbi acies militum? vbi canes venatici? vbi equi veloces? vbi aues cantantes? vbi thalamus pictus? vbi lectus eburneus? vbi thronus regalis? vbi thronus Imperialis? vbi mutatoria veſtimentorum? vbi capilli ſolares? vbi facies decora? vbi omnia quæ ſub cœlo ſunt? Te namque verebantur homines, te timebant Principes, te colebant vrbes, te timebant omnes, vbi, quæſo, nunc ſunt omnia? quò receſſit tanta iactantia? dum

dum te timebant omnes, quò iuit tua magnificentia? Et quoniam in comitatu D. Augustini adfuit S. Monica, sic illa pietate plena respondit: Fili, omnia sibi pariter defecerunt, quando defecit vita eius, & reliquerunt eum captiuatum in sepulchro plenum fœtore, & putredine.

De Regibus verò Christianis inquit S. Scriptua: *Ne eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, nec declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tempore regnet.* At præclarissimus, & sanctissimus fuit Rex Iosias, qui nihilominùs paruo tempore regnauit, & penè adolescens ereptus fuit è viuis. Quomodo ergo vera illa promissio erit, de longæuitate Regni, quando & præclarissimi Reges adhuc adolescentes morte abripiuntur? Non promittit longæuitatem vitæ, sed longæuitatem Regni, quando præclari Reges & in morte Regnum non amittunt. Aiebat enim Philo: *Tali autem Principi legitimo, ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti iustitiam, longæuum Principatum Propheta proponit vice præmij*: non quòd annosam ætatem polliceatur rectè administrantibus Rempublicam, sed vt nos doceat legitimum Principem victurum etiam post mortem, relictâ post se immortali virtutis, rerumq; à se gestarum memoriâ. Nescit finiri Principatus in bono Principe, etiam dum ita finitur, adhuc ipse existimatur sceptrum tenere, quò piè & sanctè deposuit vitam. Quò forsan aspiciebat Iob, vbi loquens de sanctè acta vita (vt vult D. Gregorius) ait: *Nunc etiam dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus, & Consulibus terræ.* Et mortem somnum vocat, & in illa se putat Regibus, & Consulibus non absimilem: nihil enim de Regno & Principatu eripit mors illis, qui præclarè administrauerunt sibi creditam Rempublicam.

Deuteron. 17. n. 20.

Philo de creat. Princip.

D. Greg. c. 3. Iob. 3. 13.

CAPVT XV.

Prima virtus, quâ fulget Corona Regalis, est Pietas erga Deum ex imitatione Christi Domini.



TRIA præcipua beneficia Reges accipiunt à Deo: quòd sint Christiani, quòd sint Reges, & quòd in difficultate regiminis sui, tanquam ad tutissimum asylum recurrant ad Deum. Ingens beneficium est, quòd eos creauerit Deus, non rogatus ab vllo, quòd eosdem redemerit, non adiutus ab vllo, quòd Spiritus S. Christianos fecerit, nemine illorum promerente. Deinde quòd illos fecerit Reges, licet enim infinities plurimùm æstimandum sit, quòd illos non Mauros, aut Paganos fecerit, non est tamen floccipendendum, quòd non seruos, sed Dominos & Reges; parùm illis profuisset, estò sceptra & 99.

Tria præcipua beneficia accipiunt Reges à Deo, & primum quòd sint Christiani.

Coronas haberent, si non potuissent saluari, nec cognouissent Sanctam Ecclesiam, extra quam nulla salus. Sed & hoc, quòd sint Reges, magni faciendum est. Coronæ solos Reges decent, nec vllus coronatus legitur à Roma condita, nisi Reges, vt habet D. Thomas. Quod etiam & in Polonia obseruatum est; nam morte sublato Boleslao Chabro, & eiecto Boleslao, qui vocabatur Audax, electus fuit in Regem Vladislaus Primus, dictus Hermanus, vir strenuus, & pius, victorijs ex Pomeranis, & Prutenis, atque Ruthenis celebris, nunquam tamen Rex inauguratus est, nec Coronam capiti eius Poloni imponere ausi sunt, absque speciali consensu Sedis Apostolicæ: tanta Polonorum fuit pietas, & obseruantia erga Sedem Apostolicam, quæ Regni Poloniæ Coronam ob sancticidium Boleslai Audacis abstulerat: quòd nec Coronam electi Regis capiti, nisi authoritate Sedis Apostolicæ, præsumpserint imponere; itaque ex vtroque beneficio gloriari decet Reges, & quòd sint coronati, & quòd sint Reges.

D. Thomas de Regim: Principum.

Quanta miseria est gentilium Regum, quòd plures Deos statuerint, & crediderint, & omnes homines bonos post mortem in Deos mutari putauerint! Quanta verò felicitas Christianorum Regum, quòd illum solum Deum credunt, qui est summum bonum, immortale, incorruptibile, incommutabile, immensum, & omnipotens, cuius potentiæ respectu, vniuersa potentia, ludus, iocusq; est. Est Deus summum bonum: quia, quod creatura bonum habet, non est id summum bonum. Nam si quod homo bonum possidet, cum calamitatibus, ac miserijs quibus confligatur, conferatur; infinities maius malum est, quo premitur, quàm bonum, quo potitur. Deinde, quòd illum Deum credunt, qui ab æterno immortalis est, qui sicut principium non habuit; ita nec finem habebit. At in misero homine contrarium est, quem sicut nascentem aliqui viderunt; ita morientem aliqui videbunt. Nihil enim aliud est infantum natiuitas, quàm senum ad sepulturam citatio. Ad hæc, illum Deum venerantur, qui est incorruptibilis, qui nullam essentiæ suæ patitur vel corruptionem, vel diminutionem: at homines mortales vniuersi, in animis corruptionem patiuntur à vitijs, in corporibus à vermibus. Nullus enim adeò immunis est à corruptione, quòd illius, & caro corruptionis, & anima vel salutis, vel interitus nō sit particeps. Præterea, quòd illū solum Deum credunt, qui est immutabilis, licet opus aliquando suum Deus mutet, non tamen idcircò æternum mutat consilium. Contrarium verò in hominibus accidit, qui sæpè singulari cum grauitate opus aliquod constituunt, mox verò mutato consilio, in ipso temporis articulo, illud leuissimè amittunt. Tandē illum credunt, qui est incōprehensibilis, cuius nec maiestas cognosci, nec sapientia apprehēdi potest. Contra in humana euenit sapientia;

entia; nullius enim hominis tam perfecta, & abstrusa est sapientia, vt quod is intelligit, non alio tempore intellexerit alius. Denique illum, qui est solus omnipotens, quippè, qui non in viuos tantùm, sed & in mortuos etiam, non in bonos solùm, sed in malos quoque potestatem habet. Etenim homo qui non propitium ipsum, ad consequendam gloriam expertus fuerit, iratum ad luendas pœnas sentiet. Hinc felicitas Christianorum Regum, infelicitas verò Ethnicorum, qui colebant Martem, Mercurium, Iouem, & aliorum Deorum turmam, qui homines fuerunt, perinde ac nos mortales. Quanta item miseria gentilium, quòd coronæ eorum vnà cum vita ipsorum in puluerem deductæ sint: Christianorum verò coronæ etiam post mortem tantò magis splendent, quantò gloria æterna superat vitam præsentem, quare pro vtroque beneficio, & quòd sint Christiani, & quòd sint Reges, multum debent Deo Principes.

Verùm neque illud minus beneficium est, quòd in grauissima rerum gerendarum mole, & virium humanarum exiguitate, virtutem bene gerendi eis conferat. Qui ad coronam Regiam auro, & gemmis rutilantẽ, lumina conuertit, ad pauca respiciens, facilè beatos Principes pronunciabit: porrò qui intuetur curas assiduas, quibus tanguntur, qui pericula, quibus vrgentur, qui onera, quibus premuntur, proculdubiò inueniet *miseros gigantes gemere sub aquis* spineâ coronatos. Quid est autem gigantes gemere sub aquis? nisi quia potentes huius sæculi gemunt, & tremunt sub regimine dignitatum, & sæpè sub onere succumbunt, vnde Martialis: *Quæris onus magnũm, magnum dum quæris honorem.* Hinc est, quod Isaias loquens de Principe, dicebat: *Factus est principatus super humerum eius*, vt nimirùm intelligatur, quantùm ponderis sustineant, qui præsunt. Proinde Sauli futuro Regi Israël fuit appositus armus ad manducandum. *Comede, quia de industria seruatum est tibi*: siquidem qui regnum administrat, quasi Atlas suis mundum sustinet humeris, sub quo pondere gemit, nec rarò deprimitur. Ecquid mirum, si pauci Principes bene imperant, cùm bene agere, hoc est, rectè agere, sit multi ponderis, & exacti laboris? Est enim magnum quiddam, in summa fortuna non abripi licentiæ ventis, & in mari illo vndoso, cursum rectum semper tenere. Ideo ad Deum, & auxilium eius, tanquam ad tutissimum asylum Regum, confugere debent Principes, vt eos confortet, & virtutem bene gerendi tribuat, magis quàm cæteri hominum. Sicut enim Reges antecellunt populum Coronâ, & rerum abundantiâ, à Deo sibi collatâ; ita quoque debent præire subditos in duobus præcipuè. Primò in pietate erga Deum: nam & Christus antequam pauit turbam, id edocuit, vt Principes in Deo, tanquam in supremo auxilio spem suam collocent, minùs fidendo auxilio humano, quod decipit,

vt e-

Marginal notes:

100. Aliud beneficium, quod Reges accipiunt à Deo, virtus bene regendi populum.

Iob. 26. n. 5.

Isaia 9. n. 6.

1. *Reg. 9. n. 24.*

101. Fiducia Regũ in Deo, non in hominum auxilio debet esse.

vt exemplificat Piaſecius de Sigiſmundo III. Rege Poloniæ, qui prælia-turus cum Imperatore Turcarum, ab omnibus Chriſtianis Principibus ſubſidia poſtulans, ab omnibus derelictus eſt, & ſolius Dei auxilio confidens, de hoſte triumphauit. Itaque ex Deo pendent Principes, atque ita Deum fautorem, opitulatorem habebunt, exemplo Chriſti, qui antequam turbam pauit, orauit, non quidem propter ſuffragium, ſed propter exemplum, vt edoceret Principes, quòd pietas erga Deum eſt baſis, in qua ſimulacrum Regni firmiter conſiſtit.

Reges reſpectu Dei ſunt, quod Vaſalli reſpectu Principis, ſi quid clienti perit, aut per eum eripitur, reſtitutionem, aut compenſationem à Principe, cui ſeruit, petit; ita, ſi Princeps ipſe moleſtiâ afficiatur, aut ab alio Principe, vel Tyranno potentiore opprimatur, non habet quem imploret, & qui opituletur ei, niſi Deum ſuum pijſſimum. Siquidem iniuriam præpotenti etiam illatam propulſare, niſi præpotens alius, nemo poteſt. Sic igitur Principi, qui Deum in neceſſitatibus propitium habere exoptat, danda eſt opera, vt animo humili, gratiſque obſequijs Dei ſibi fauorem conciliet. Imprudenter enim illius imploratur auxilium, cui nunquam præſtitimus cultum, aut obſequium.

Princeps debet prçire populum in pietate erga Deũ.

Aliud eſt, quo optimi Principes Chriſtiani populum præire debent, & imitari Chriſtum; in pietate erga egenos, vt pauperibus ſuccurrant, afflictis patrocinentur, eſurientes paſcant, & egenis liberalem manum porrigant. Quoniam non ſolùm actionum iſtarum maxima præmia recipient, quòd eas exercent, ſed & gloriam inde conſequentur, quòd præclaro ipſorum exemplo inuitati, eadem alij quoque facient. Si enim Princeps Deum adorat, cuncti eum adorant, ſi Deo deuotè ſeruit, omnes ei ſeruiunt. Verùm etiam tales Principes erunt veri imitatores Chriſti, in vtraque pietate, & pietate erga Deum, quoniam & Chriſtus ipſe priùs Deo gratias egit, ſubleuatis oculis, acſi de manu eius vbertas panis, quo turbæ ſatiarentur, proceſſerit: & deinde turbis diſtribuit, quod erat pietatis erga homines. Plùs Deus conferre Principibus paratus eſt, quàm quæ ipſis iam contulit; ideo ſiue in beneficijs collatis, ſiue in anguſtijs ad Deum recurrant, ſi omnia proſperè ſucceſſura cupiunt, & tanquam ad illum, cui ſoli miniſtrant, confugiant. De hac itaque pietate erga Deum fuſiùs agendum eſt.

102. Porro prædicta pietas, & deuotio erga Deum, in tribus præcipuè conſiſtit, vt intelligi poteſt ex doctrina Seraphica Seraphici Doctoris. Primum eſt, Dei præſentiam oculo mentis ſemper cernere, & præſentem habere Deum: deinde, conſiſtit prædicta deuotio in continuo ſtudio placendi Deo; & tandem in oratione, & ſupplicatione tempore pacis & belli, atque

Pietas erga Deum in tribus præcipuè conſiſtit; &

atque adeo pura, integra, incorrupta mente, voce, veneratione. Et reuerà vix dici possit, quàm sit necessaria cognitio continua præsentiæ, & assistentiæ Dei, maximè Regibus, quos cœlestis sapientia maiori complectitur amore, & in solicitudinibus innumeris dirigit, sic enim maiores fauores, & subsidia à Deo experientur, sicut aulici, qui assistunt Regi terreno, maiorem gratiam aucupantur, & plures fauores Regum experiuntur, ideoque Propheta dicebat: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*; scilicet, oculis mentis intuitus sum. & rectè; quia per hoc Dauid sublimitatis sceptrum, splendoris diuini abundantiam, & Coronā obtinuit. Prophetis quoque mos erat, in tractando ardua dicere: *Viuit Dominus, in cuius conspectu ego sto*; sic Elias, & Eliseus pluries locuti sunt. Angeli quoque semper assistunt Deo, etiam illi, qui inter homines conuersantur, cernunt faciem Dei, nec à contemplatione eius recedunt: Spiritu S. misso de cælo, *in quem desiderant Angeli prospicere.* Verùm quomodo id fieri potest, quòd desiderent in Deum prospicere? siquidem dixit Christus Dominus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris*; visus autem est præsentium, desiderium autem absentium, vtrumque tamen fateri opus est: vident enim semper faciem Patris, vt inquit Christus, desiderant autem videre, vt illum aspiciendo, dona desiderata indesinenter hauriant, fauores, & misericordiam pro peccatoribus obtineant. Sic S. Michàël desiderabat videre Deum, quando tubâ cecinit, dicens: *Ignosce Domine*, scilicet, miseris, & afflictis peccatoribus. Non est autem aliud, Deum habere præsentem, quàm vultum eius mente in conspectu suo semper habere. Nescit equidem Deus vlla bona sua negare ijs, quibus præsens efficitur, ait enim: *Misereor turbæ, quia iam triduò perseuerant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo*: hæc dicens, *accepit septem panes, & paucos pisciculos, quos quidem panes fregit, & distribuit per quatuor millia hominum, exceptis paruulis, & mulieribus, & comederunt omnes, & saturati sunt.* Vnde quæso tanta vbertas, & alimenti copia prouenit, cùm panes adeò pauci essent? Vbertatis causam insinuat Dominus, cùm ait: *Iam triduò perseuerant mecum. Vbi enim Dei præsentia asseritur, necesse est, vt exuberent omnia dona Dei.* Ait D. Basilius Seleucensis. Aderat enim, qui terræ latera ad fructificandum excitat: aderat, qui cælum nubibus circumuestit: aderat, qui artis industriam mortalibus est largitus: aderat, qui portat omnia verbo virtutis suæ: aderat in ea, quam gestauerat, carne, fidem præsentiæ faciens. Hoc sufficiat scire, nimirum, quòd diuina præsentia sit, & quòd velit Deus credi præsens, vt omnia eius superefluant bona, & ab eo in homines proficiscantur. Quis Deum sibi præsentem, & proximum habens potest egere aliquo? nullus sanè. Hoc curet homo, vt cum Deo sit, & Deum secum habeat, & omnia bona habebit, atq; omnia mala

Primò, in consideratione præsentiæ Dei

Psal. 15. 8.

Matth. 15. *n.* 32.

D. Basil. Seleu. orat. 33.

Psalm. 130. n. 21. ab eo fugient, vt inquit Psalmista: *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Expende, quid

103. in absentia solis, & quid in solis accidat præsentia: absente sole omnes bestiæ syluarum insurgunt, quæ ad ortum solis diffugiunt; sic absente Deo, multa nos mala turbant, quæ nequeunt permanere, vbi nobis illucescit Christus. Et Cassiodorus fatetur. Cùm in Passione Domini nostri factæ fuissent tenebræ, dæmones ad escam sibi quærendam, permittente Domino, proruperunt, quia inuenire poterant corda titubantium: tunc autem, quando ortus est sol, id est, resurrectio sancta declarata, maiestatem eius minimè sustinentes, in suis se trepidis cubilibus abdiderunt. Quantùm valuit diabolus in discipulos Christi, in eius passione, in eius morte? Rediit ad vitam Saluator, cœpit cum discipulis conuersari, & statim fugit malus, & cœlestia dona cæperunt abundare.

Quãta incommoda absente sole, & quanta præsente accidant hominibus cõmoda.

Aliud, in quo deuotio consistit, est continuum studium placendi Deo, in omni actione, & locutione, cauendo, ne displiceat ipsi. De Rege Vladislao scribit Cromerus, quòd post mortem Parentis sui, imaginem vultus eius, in lamina aurea opere fusorio exaratam in pectore gerebat, & quoties aliquod opus aggressurus erat, vultum eius aspiciebat, atque osculabatnr, dicens: Auertat Deus, quòd aliquid indignum nomine, & virtute tuâ gerere debeam. Vtinam tales sint & illi Principes, qui vellus aureum gestant, & mitissimum agnellum semper in pectore habent, vtinam consideratio præsentiæ, nominis, & virtutis illius hortetur, & cohibeat Principes, ne aliquid agant, quod ipsi displiceat, quin potiùs ad id attendant, quo ipsi placere possint. Turba, quæ sequebatur Christum in desertum, solâ consideratione præsentiæ Christi Domini, cibi, & potus immemor, nec spe frustratâ est; quantò magis illi, quibus Regnorum gubernatio commissa est, si in sacris actionibus suis præsentiam Dei cogitent, eamq; non in lamina aurea, vt Vladislaus, sed in cordibus expressam gestent, sic enim nil agent, quod Dei oculos offendat. Quòd si fortè aliquando contingat in aliquo displicere Deo, de eo doleant, vt monet Apostolus exemplo suo. Contendimus inquit, siue absentes, siue præsentes placere illi. Omnia quippe nostra videt, quæ facimus, & sicut non obliuiscitur bonorum operum, ad præmiandum ex diuturnitate temporis, ita nec malorum ad puniendum, nisi per pœnitentiam diluantur. Hoc desiderium placendi Deo, optimè potest dici, continua ad Deum oratio, de qua inquit Di-

Luc. 18. R. uus Paulus: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Masiliani Hæretici (de quibus mentionem facit S. Augustinus) affirmabant, nihil aliud esse faciendum, nisi orandum; fundamentum erroris fuit prædicta doctrina Diui

Pauli.

Pauli. *Oportet orare, &c.* At verò Pelagiani, (vt idem S. Augustinus refert) oppositum docuerunt, nunquam scilicet orandum esse, & hic est error abominabilis: doctrina autem D. Pauli, est de prædicto desiderio placendi Deo, siue actuali, siue habituali, qui enim in omnibus vult Deo placere, & nunquam displicere, ille semper orat, & magnam à Deo accipit benedictionem, ille Rex bonus, qui nunquam vult Deo displicere, sibi, & Coronæ.

Tertium, in quo consistit deuotio, est Oratio vocalis, veluti Psalmorum, Litaniarum, &c. recitatio. Licèt enim multos habeant Reges, qui pro ipsis Deum orant, monente D. Paulo. *Primum fieri orationes pro Regibus, &c.* nihilominus tamen & ipsos orare oportet; nam & Christus orauit, & orationis exempla multa, etiam in morte, præbuit. *Ascendit Iesus in montem solus orare*; inquit Sacra Scriptura, dicit, ascendit: quia orare est ascendere, & maiorem perfectionem adipisci, quippe Oratio, est ascensus mentis in Deum; in cruce moriens orauit, estò tunc sibi Patrem, vel maximè iratum nouerat, vnde & tractabat illum, non tantùm vt peccatorem, cuius personam gerebat, verùm vt ipsum peccatum, quo nihil abominabilius Deo: astabat Instigator ad augendas pœnas, Dei iustitia, & honor per peccatum Adam ablatus, orauit tamen, auxiliante sibi supplicatrice, misericordiâ Dei. *Et exauditus est pro sua reuerentia*; in quo edocuit Reges, & tempore pacis, & tempore belli, ac tribulationis, vel maximè orationem non esse negligendam, vt Deo auspice, & bene propitio, omnes euentus infaustos, scuto bonæ voluntatis suæ auertat, fortunatos autem prosperet. Propterea enim Rex Dauid dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore. Quid retribuam Domino pro omnibus &c. calicem*; inquietem molestissimam in regimine hominum, *accipiam*, patienter feram, *& nomen Domini inuocabo*, vt ipse mihi subsidium ferat. Si enim homo priuatus solus, in multis actionibus deficit, sine Dei auxilio non potest fieri, vt publicæ actiones, quas Reges, & Principes habent circa subditos, & vniuersalis rerum humanarum cura in aliquo non deficiat, quia tales actiones, quæ sunt, populum gubernare, iudicare, secundùm merita prouidere, transcendunt vim, & perfectionem naturæ, ideo diuinâ assistentiâ, & affluentiâ opus habent. Tot Reges fuerunt in mundo, & in Israël; duo tamen tantùm fuerunt, de quibus dicitur: *Præter Dauid, & Ezechiam, & tertium Iosiam, omnes peccauerunt*, non solùm, quia illi tres tantùm fuerunt incontaminati peccato idololatriæ, vel peccata sua, condignâ pœnitentiâ deleuerunt, sed etiam, quia illi soli perfectam artem gubernandi à Deo obtinuerunt, attendendo, ne in aliquo leges diuinas quis transgrederetur. Moyses crebrò in tabernaculum fœderis Domini præcurrebat, & oratione cor, & animum reficiebat, maximè

[Marginal notes: 104. Etiam orationi vocali Reges debent esse addicti. — 1. Tim. 2. 1. — Matth. 14. 23. — Ad Hebr. 5. 7. — Psal. 33. n. 1. — Psal. 115. 3. — Eccli. 49. 5.]

cùm bellum instabat. Hunc imitabatur Iudas Machabæus, cum Nicanore
2. Mach. 15. congressurus. *Iudas verò*, (inquit Sacra Scriptura) *& qui cum eo erant, inuocato*
26. c. 7. & 26. *Deo per orationes, congressi sunt manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minùs triginta quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati*; vnde quamdiu Iudas Machabæus Deo supplicabat, auxilia eius sentiebat, quapropter dignus fuit per somnium videre Oniam Pontificem orantem pro populo Dei, & à Propheta Hieremia accipere gladium à Deo missum:
v. 16. *Accipe*(inquit)*sanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israël.* At postquam derelictâ oratione, animosè agere voluit, cum exercitu An-
1. Mach. 9. 10. tiochi, & aliàs pugnando contra Bacchidem, & Alcimum, dicens: *Moriamur, & non inferamus crimen gloriæ nostræ*; interfectus est, quod non contigisset, si ad orationem confugisset, vt antè. Oratio quippe habet vim armorum, & offendentium. Prudenter, ac feliciter egit Vladislaus Iagello, qui cùm esset præliaturus cum Magistro Prussiæ, numerosissimo exercitu fauore Principum Germaniæ aucto, non priùs ad committendum prælium accedere voluit, nisi finito Sacro, sicque oratione munitus, de potentissimo exercitu triumphauit, & Magistrum Prussiæ interfecit.

Addi tamen potest & quartum, in quo pietas erga Deum consistit; nimirum, vt Principes, ac Magistratus, qui synceri Christiani haberi cupiunt, vigilantes sint, quatenùs ad Dei gloriam, quæ fiunt, vniuersa referantur, præcipuè in rebus ad fidem sanctam prouehendam pertinentibus, ita vt ad vitam pro fidei defensione profundendam, promptos, paratosq; cognoscant vniuersi, tales Principes à Deo proteguntur, Deo prosperante progrediuntur, sub ope Dei finiunt, inculpatè viuunt, & bene Rempublicam gubernant, ac tandem gloriâ æternâ à Deo coronantur.

CAPVT XVI.

Alter Regiæ coronæ Splendor, est pietas erga subditos, & egenos.

Marc. 8. PAterno affectu complexus est Christus Dominus multitudinem turbæ sequentis ipsum in desertum. *Misereor* (inquit) *super turbam*:
105. multùm placuit Christo Domino, quòd eum in desertum turba sequebatur. Nec solùm turba, & vulgus, sed & Reges, atque Principes, dum sequuntur Christum in desertum, dum ædificant sibi solitudines ad tractanda negotia conscientiæ, magnum sibi fauorem Dei aucupant. Et sanè id dignum, & iustum est; si enim negotijs Regni tribuunt annos, æquum est, vt animæ suæ, & conscientiæ tribuant saltem dies. In multitudine seruorum, atque negotiorum Regni, continuus strepitus, vt inquit Bernar-

Bonum est, quòd Reges sequãtur Christum in desertum ad tractãda negotia cõscientiæ.

Bernardus, scribens ad Eugenium Papam: *Vbique strepitus, vbique iugum ser- uitutis tuæ te premit.* Multos seruos habent Reges, sed maiori seruitute ipsi opprimuntur, vt ait idem: Non ideo (inquit) seruus, quòd non vni seruiat, sed omnibus. Cùm igitur in aulis Regum, tantus sit strepitus, & seruitus, optimum remedium est, quandoque solitudine occupari: nam cui plùs dignitatis addicitur, plùs de illo exigitur seruitutis, inquit S. Cyprianus. Nihil magis decet Reges, quàm libertas, dum in aula versantur; serui sunt subditorum, dum in solitarijs palatijs, in gratiam conscientiæ degunt, tunc verè sunt liberi à frequentatione hominum, & occupatione negotiorum, & in domo. *Lib. 1. de Cons.*

De Osia Rege dicit Sacra Scriptura, quòd cùm fuisset percussus à Deo leprâ, eò quòd in sacerdotalem messem manum miserat, dicit Sacra Scriptura; quòd *habitauit* Osias *in domo separata plenus leprâ*, Regiâ relictâ, imperio, & seruis, mansit in domo separata. Litera Hebræa habet: Habitauit in domo libera à negotijs, & hominibus, & eo remedio vsus est ad tollendam lepram. Impossibile est, quin Reges in tanto negotiorum tumultu maculas lepræ non contrahant: optimum remedium est, recepta Prophetæ Elisæi, vt se lauent in Iordane, vt abstrahant se à strepitu populari, vt in loco quieto, atque secreto deuotiùs vacent Deo, & discussioni propriæ conscientiæ, & gratiam desuper impetrent, quam, redeuntes, proximis suis communicent. Vnde in Genesi de Isaác Patriarcha legitur, quòd *egressus fuit ad meditandum in agro*, vt scilicet solus in agro existens, de Deo, & pertinentibus ad salutem liberiùs, ac profundiùs cogitaret, & hoc sibi consuetudinarium creditur extitisse: nec solùm propterea, verùm etiam, vt quietis locum sibi concederet, ordinante Deo, Sabbatum requiei. Quodsi ex multis annis, voluit Deus in antiqua lege, vnum diem eligi, in quo à laboribus quiescerent animalia; quantò magis requirit Deus, vt Reges, & illi, quibus grauia commissa sunt negotia, eligant sibi diem, vel horam quietis, cùm & Christus Dominus id requisiêrit ab Apostolis, dicens: *Venite, & requiescite pusillùm*; concedit licentiam, vt tantisper quiescant. Pusillùm, inquit: quia si publicis negotijs præpositus, duas horas expendit, satisfaciendo suo officio, & quatuor donat recreationi, atque conuersationi iucundæ, & alias quatuor in ludis consumit, & plures in dormiendo, iam non est pusillum, sed id, quod debebat ad satisfactionem officij expendere, ad voluptatem conuertit, quod an remuneret Deus, ignotum est? Illud certum est, quòd tempus consumptum moderatâ quiete acceptabit, & remunerabit Deus, acsi in seruitio eius consumptum esset, vt interpretatur D. Basilius super illud Psalmi: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Dauid, Rex erat, debuit concedere aliquid

2. Paral. 26. 21.

Gen. 24. n. 63.

Marci 6. n. 31.

Psal. 33. n. 1.

temporis ad comedendum, ad dormiendum, ad confabulandum cum amicis, dicit tamen; *in omni tempore*, quia in acceptatione diuina remunerabatur.

Illud verò maximè considerandum est, quòd Christus Dominus, non solùm paterno affectu, sed & effectu complexus est turbam, possibile est,
106. quòd inter tot millia hominum non omnes essent æquales, sed alij diuites, alij pauperes, alij altioris, alij inferioris ordinis, omnibus tamen compatiebatur, & miserebatur. Tales quoque vult esse Reges, erga subditos beneuolos, non solùm ergà diuites, & altioris ordinis, sed erga omnes. Gregorius Nazianzenus eleganter admodùm supremum Principem cum sole composuit: Sol facit, & discernit tempora, sol auget, & nutrit omnia animantia, plantas fructibus, & folijs inuestit, suppeditat suauissimum, ac pulcherrimum spectaculum, nempe lucem, & hæc omnia non grauatur gratis impertiri. Sic Princeps industrius, vt sol splendet, & lucet omnibus, duces suo fulgore illuminat, montes, colles, & infimam terram, dum paterno affectu accedit, ver, & æstatem floridam facit, dumque recedit, tristem autumnum, horridamque hyemem causat, & omnia glacie tabescunt, plantæ fructu, frondibusque orbatæ dehonestantur. Verùm semper est floridum Regnum, vbi Princeps compatitur omnibus subditis, eisque in necessitatibus fert subsidium. Hoc idem egregiè declarauit S. Thomas, per similitudinem animæ ad corpus; nam anima, dum regit corpus, assistit omnibus partibus corporis principalioribus, & vilioribus, omnibus modo inuisibili confert vitam, per oculos videt, per linguam loquitur, auribus audit, mouet pedes, & manus, & omnia viuificat. Est enim actus corporis Physici, potentiâ vitam habentis: eodem modo Rex gubernans Regnum, debet esse præsens omnibus Regnis, & Prouincijs, non quidem corporali præsentiâ, sed virtuali, quia omnes status suæ ditioni subiectos tuetur, & defendit, Ecclesiastico statui fauet, Religiosos protegit, & tunc Senatus, & Equites ex prouidentia sua lætantur, mercatores securitate mercium conducendarum, etiam per loca periculosa, à rapinis libera gaudent, ciuitates, pax, & requies, tam de nocte, quàm de die, atque securitas exornat, agricolæ à rapinis militum sunt liberi, milites solutione stipendiorum lætantur, gubernatores, & officiales maiores, fræno gratiæ eius detinentur, ab iniurijs inferendis inferioris conditionis hominibus, & in summa, totum in suo Regno operatur Rex, quod sol in mundo, & anima in corpore, dum omnes status paterno complectitur amore, vnde & gratiam à Deo, & benedictiones Coronæ à populo lucrantur, dum se gerunt erga subditos, tanquam erga filios; quippe bonus Princeps nihil differt à bono Patre, inquit Seneca: & Philo Iudæus, ait: Principes

Principes nõ solùm bono affectu, sed & effectu complecti debent exẽplo Christi turbam.

Homil. 17. in Euangel.

cipes sunt publici Parentes ciuitatum; debent ergò paterno àmore omnes complecti, exemplo illius optimi Regis Iosiæ, quem cùm defleret Hieremias Propheta, inter alia dicebat: *Respice Domine opprobrium nostrum, quia* *Thren. 5. n. 1.* *facti sumus pupilli absque Patre.* Opprobrium, inquit: quia sicut omnis repu- *& 3.* tatio ordinum erat ex Iosia Rege, tanquam ex capite; ita opprobrium amisso capite: nullus amor maior videtur, quàm filiorum erga Patrem. Hinc ille iuuenis, cui consulebat Christus, vt ipsum sequeretur, hanc solam excusationem attulit, quòd subsidium ferre Patri in senectute, & debilitate tenebatur: *Permitte me* (inquit) *sepelire Patrem.* Maior est affectus *Matth. 8. 21.* filiorum erga Patrem, quàm erga Matrem, vnde de Apostolis sequentibus Christum, inquit Euangelista: *Relictis retibus, & Patre,* non dicit Matre, cu- *Matth. 4. n. 22.* ius nullam facit mentionem, vnde si interroges pauperes, qui sustentabantur Regio ære, qualiter se habeant, abeunte Patre in cælum? responderent; iam non est Pater, si agrestes, oppressos? responderent, iam non est Pater, si oppressos ære alieno? responderent, iam non est Pater, &c. si denique totum Regnum? responderet, iam non est Pater. Paterno quippe animo erga omnes debet esse Rex, & omnibus subsidia ferre, omnibus compati, ordinatè tamen. Et primum omnium Ecclesiæ sanctæ filialem affectum declarare debet, quem olim requirebat à Sigismundo Imperatore Ioannes 23. in certa Ecclesiæ angustia, dicens: *Propter quod & te, & ad clementiam, quâ ex innata bonitate ad miserandum te, quantumcunque pro tuis offensoribus, non liberalitate, sed vsque ad prodigalitatis speciem, hactenus supererogasse digno fieris.*

Deinde paternum affectum suum erga Regnum declarare debet, imitando Christum Dominum, qui positus in cruce, moritur pauper, tantus Princeps, & Monarcha, vt instrueret Reges, & Principes terræ, quòd si ipsi moriantur diuites, Regnum remanet pauperrimum, & exhaustum. Quod si moriantur pauperes, eò quòd in publicum bonum opes erogârunt, moriuntur quidem temporalibus bonis destituti, sed mente, & animo, & bonis operibus, & benedictionibus populi diuites, quod sanè animum decet Regium, vt inquit Chrysologus. Est consuetudinis, est animi felicis, vt adscitus ad Regnum, quod fuit proprium, quod priuatum, mox propinquis, mox ciuibus indigentibus, mox bono publico erogat liberaliter, ne sit mendicus animo, qui censu fungitur, & honore: felix populus, felix Respublica, quæ tam bonum habet Principem imitatione, qualis fuit Christus Dominus re, & exemplo; hic *videns ciuitatem, fleuit super eam,* nihil *Luc. 19.* enim magis lachrymas prouocat boni Principis, quàm Respubl. afflicta. Christum Dominum in cruce multa affligebant, desolatio Beatissimæ Virginis, fuga Apostolorum, blasphemiæ Iudæorum, magis tamen generis humani perditio, ideo vltimum verbum morientis fuit, *Consummatum est:* comple-

Ioan.19.n.30. completa est redemptio. Compatiebatur Matri, cùm dixit: *Mulier ecce*
Idem 19.n.27. *filius tuus.* Compatiebatur Discipulo sub cruce ploranti, cùm dixit: *Ecce Mater tua*: quasi oblitus suiipsius, præ amoris magnitudine, in salutem generis humani, quid pateretur, nesciens: vt edoceret Principes, quòd tunc consummati, & perfecti completi sunt in gubernatione Reipublicæ, dum Reipublicæ compatiuntur, eiq; subsidium ferunt, tanquam Matri. Cau-
Matth.15.n.32. sam etiam compassionis attulit Christus. *Ne* (inquit) *deficiant in via*; ne de-
107. ficiant vel vitâ, id est, ne pereant, vel certè fide, id est, rebellent, quo nihil peius Regibus; idem enim est inobedientes habere subditos, & mortuos. Hinc est doctrina non solùm Regibus, sed & nobilitati, vt subiectos populos non habeant, vt mancipia.

Idem est habere inobedientes subditos & mortuos.

Monet deinde, quibus in particulari potiùs compatiendum sit, qui in
Eccli.26.n.26. Republica continentur, Spiritus S. per Eccles: *Vir bellator* (inquit) *deficiens per inopiam, vir sensatus contemptus, &c.* Compassione dignum esse docet Spiritus Sanctus strenuum militem, ac bellicâ gloriâ inclytum, cui dum ex publica annona præberi debuisset victus, deficit inopiâ, & mendicatò victitare cogitur, aut alienâ liberalitate se sustentare, qualis fuit apud Græcos Themistocles, Coriolanus apud Latinos. Belissarius in pauperiem redactus, luminibus priuatus, ad stipem, petendi victus gratiâ, expositus, sub Iustiniano. Indignum planè, hoc est, cùm enim miles pro Reipublicæ salute vitam suam periculis subiecerit, immeritò alimenta ad eandem sustentandam illi denegantur, cùm per totam vitam militauerit, & sanguine proprio Rempublicam defenderit, nunc postquam ad senectam peruenit, indignum, & abominabile est, illum derelinquere, vt lignum aridum in deserto: fusiùs de hoc Riuadiniera. Altera non minùs miseranda, & compassione digna sors est, si vir sapientiâ clarus contemnatur, quid enim tam honore dignum, quàm virtus, & quæ illi comes eruditio? & tamen subinde videre est aurea mancipia, (vt Socrates ait) aurea vellera, scilicet, diuites indoctos. Alphonsus Aragonum Rex vocare solebat: in Republica, primos dignitatis gradus tenere, viris sapientiæ laude præstantibus, ima subsellia obsidentibus, aut despectis.

Tandem miserrima sors est captiuorum, in compedibus ferreis gementium, compassione digna; hi enim pro Republica, & communi bono decertando, non solùm opes, sed propriam libertatem amiserunt, & militando pro honore Regis, ac Reipublicæ, omnia profuderunt, in perpetua seruitute permanentes, propter hanc miserrimam sortem generis hu-
Psal.101.n.20. & 21. mani, & infernalibus compedibus oneratos, *de cælo Deus prospexit, vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum*; propter hoc apparuit Moysi in flamma, & in spinis, compatiens populo Israëlitico, quem Ægyptus flammâ

flammâ vrebat, & ſpinis pungebat, opprimendo in elaborandis, & excoquendis lateribus.

His annumerari poſſunt, qui expectando iuſtitiam ob dilationes iudiciorum, & in adminiſtranda iuſtitia negligentiam, omnia, quæ pro ſuſtentatione domus ſuæ habebant, conſumunt in munera, & corruptiones miniſtrorum iudicij. Agreſtes quoque gemunt in compedibus, quia *ſicut venatio leonis onager in eremo, ſic paſcua diuitum ſunt pauperes.* His compatiendum eſt, & miſerendum, aliàs Deus miſerebitur illorum, & vindicabit illos, quoniam iniuriâ vexatis, Deus opitulari dicitur, inquit Ariſtoteles. *Eccli. 13. 23.* *Lib. 2. Rhet. c. 5*

Denique omnibus in vniuerſum afflictione vexatis, aut paupertate, tenentur ſuccurrere Reges, eiſque paternum affectum exhibere debent, exemplo illius, qui dicebat: Sedebam primus, ſenes aſſurgentes ſtabant, Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo. *Cùmque ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator,* Pater eram pauperum; vbi D. Gregorius: *Non patronum ſe eſſe, vel proximum, vel adiutorem pauperum, ſed Patrem ſe fuiſſe teſtatur,* quia nimirum magno charitatis officio, ſtudium miſericordiæ vertit in affectum naturæ, procurando tanquam publicus Parens, vt illi idem, qui eſt pater pauperum, ſit quoque *oculus cæco, & pes claudo,* vt de ſe teſtatur idem Iob ibid. In Republica illa viget felicitas, vbi Rex eſt orphanorum Pater, atque ipſe orphanorum tutor, nec reperitur aliquis ita à fortuna humiliatus, aut à mundo ita derelictus, cui non ferat ſubſidium, vt eleganter protulit Theodoretus Rex, prorumpens in hæc verba, referente Caſſiodoro: Bene Principis clementia ſuſcipit, quos pietas paterna deſtituit, quia ſub Parente publico, genitoris minimè ſentiri debet amiſſio, ad nos ſiquidem iure deuenit infantia deſtitutorum, quæ ſub vmbra Parentis publici latitare debet. Non ſine ſpeciali myſterio, *Deus innixus fuit ſcalæ, per quam Angeli aſcendebant, & deſcendebant,* quaſi omnibus auxiliatrices manus porrigens, vt ſimiliter Reges, & Principes, innixi potentiæ Regiæ, & aſcendentibus laſſis, & deſcendentibus à fortuna humiliatis, benignam porrigant manum. Cuncti ſubditorum manus Regis oſculantur, & authoritatem, & ſubiectionem recognoſcentes, quòd ſint ſub potenti manu eius, & auxilia in neceſſitatibus poſtulent. Et in ſumma exoptandum eſt, vt Reges ſint miſerorum portus, ſic enim & ipſis erit Deus, & ipſi à populo benedicentur, & Regnum, cui imperant, floridum cernent, conformiter ad id, quod ſcripſit D. Paulus ad Philippenſes: *Gauiſus ſum* (inquit) *in Domino vehementer, quoniam tandem refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis.* Vbi ſimilitudine arboris refloreſcentis, declarat Apoſtolus præmium commiſerationis: videmus quippe arbores fructiferas, ſine viriditate, ſine folijs, & fructibus, ſiccas, & ferè mortuas, nec ad alium vſum profi-

Iob. c. 29. n. 8. 9. 25.

108.

Rex debet eſſe orphanorũ pater, & defenſor.

Gen. 28. n. 12.

Ad Phil. 4. n. 10.

proficuas, nisi ad alendam flammam tempore hyemali, verno autem adueniente, reflorescunt ad viriditatem, & pulchritudinem iterum reuertuntur, & iterum floribus, ac folijs nitent, atque fructibus abundant; pari ratione Respublica reflorescit, si in ea viget commiseratio, estò desolata omni decore fuerit.

Quemadmodùm autem anima est nobilior corpore, ita commiseratio perfectior est super animas miseras. Hinc de commiseratione Christi Domini loquens S. Anselmus dicit: *Audite hæc omnes gentes, noluit peccatores ferire, sed corrigere.* Priùs *voluit per mansuetudinem corrigere, vt haberet, quos postmodùm in iudicio saluaret.* Et quoniam Respublica constat ex bonis, & malis, cùm mali corriguntur in Republica, ne pereant alij, peccatis malorum subuenitur. Actum est de Republica illa, de qua dici potest illud S. Hieronymi: Eò nequitiæ deuenerunt, vt non factor, sed prohibitor reprehenderetur. Perfectissima autem commiseratio est, vbi (vt inquit S. Augustinus) plùs eum cruciat compassio miseri, quàm ipsum miserum passio sua. In hac itaque compassione Deum imitari, salutare est Regibus, & Regnis, maximè, si in Republica grauia peccata fuerint, quia, (vt inquit Seneca) *Actum est de Republica, vbi turpia non solùm delectant, sed placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores fiunt.*

D. Ansel. in Luc.

Sen. Epist. 39.

Concludendum itaque est cum Cassiodoro dicente: *Quid tam Regium, quàm fecisse felicem? & eò vsque præstare, quo se erectus stupeat attigisse.* Regium sanè est, tam altè pietatem propriam collocare fauoribus, & beneficijs, vt stupeat se augem pietatis attigisse, seu supremum gradum benefaciendi, atq; iuuandi salutem subditorum, quoad animam, & corpus.

Cassiod. lib. 3. c. 11.

CAPVT XVII.

Splendida est Corona, vbi Rex docilis est.



DIfferunt homines ingenio, quoniam, vt facies illorum sunt diuersæ; sic sunt diuersa ingenia: docet tamen Aristoteles, quòd Heròes ex heroibus procreati communiter excellunt mente, sagacitate, industriâ, ingenio; nam præditum (vt inquit Aristoteles) esse sapientiâ, Regibus est proprium, tamen non ita proprio ingenio ipsos confidere debere, vt omninò spernant consilia sapientum, siquidem boni gubernatoris est, non omnia suo nutu gubernare, sed aliorum etiam consilium requirere. Christus Dominus cùm esset sapientia Patris, & sciret quid agendum esset, petit consilium ab illo Apostolo, de quo dixerat, quòd fuerit homo rectus, *in quo dolus non erat*: vbi admonuit Princi-

109. Docilitas est basis bonæ gubernationis.

Ioan. 1. 47.

Principes, quòd estò sint sapientes, proprio consilio non fidant, deinde, à quibus consilium sit petendum; hæc enim inter se diuersa sunt, consultatio, seu consultare, & consulere; nam omnis consultatio est perquisitio, inquit Aristoteles: Qui namque consultat, is quærere videtur, dictoque modo perinde, atque designatione lineam resoluere, hoc vltimum adiecit ad denotandum, quòd licet omnis consultatio sit perquisitio, non omnis tamen perquisitio est consultatio. Salomon acceptus ad Regnum, cùm daretur sibi à Deo optio, vt postularet à Deo, quicquid vellet, cor docile postulauit. *Dabis* (inquit) *cor docile seruo tuo.* Alij transferunt: Dabis cor cum auribus, id est, consilia aliorum libenter auscultans, insinuans, quàm periculosum sit Principi propriæ solertiæ nimiùm inniti, & præ nimia sui fiducia, alienum negligere consilium. Longè sit à Principibus cogitare esse contra authoritatem Regiam, homines inferioris ordinis in regibus peragendis consulere; nam hàc ratione non liceret Principi ægrotanti medicinam subministrare, vel nonnisi æqualem in dignitate Principem perquirere, vt exploret pulsum, medicinamque recipiendam præscribat, &c. non minuitur excellentia Principis per consultationem, sed clarescit, & exaltatur. Illustrior abijt Nááman Syriæ Princeps, quòd acceptauerit consilium vnius serui Prophetici, maximè, quia Aristoteles distinguit mentem in consultricem, indagatricem, & delectricem; licitum est post consultationem Principi deligere inter vota consiliariorum. Et deinde, estò Princeps ex se sapiat, & ex ortu suo dignissimo sit magnanimus, cogitet tamen esse aliam sapientiam cœlestem. *Sapientia*, (inquit Apostolus) *quæ desùrsum est, primùm pudica est, deinde pacifica, bonis consentiens*; vbi D. Bernardus: *Pudica contra propriæ voluntatis impuritatem; deinde pacifica, contra consilij proprij obstinatam rebellionem, pudica, & in passionibus proprijs libera, pacifica, facilè acquiescens, in quo docilitas consistit*, de qua gloriatur D. Augustinus. *Ego senex, & Episcopus, paratus sum à puero doceri*: *Quia rerum humanarum augustissimum est consilijs vti*, inquit Aristoteles.

3. Reg. 3. n. 9.

Iacob. 3. n. 17.

D. Bernard.

Arist. in Dedicat. Rhet. ad Alexand.

Porro attendenda est, vel maximè in consultatione, intentio, consilium postulantis, de quo fieri debeat consultatio, & qui sunt boni consiliarij; nam si consultatio fiat eo fine, vt veritatem, & modum rectè agendi inuestiget consultans, optima consultatio est; quod si eâ intentione, vt mentes consiliariorum expiscatur, num faueant voluntati, & intentioni eius, & consentiant in id, quod omninò facere disposuit apud se, hoc vituperabilius est, hoc est, propriam voluntatem pro consilio habere, hi cùm sint determinati in proposito suo, res arduas illusoriè tractant, nec veritatem inquirunt, sed suas intentiones, & proposita approbari cupiunt. Non seruit excusationi illorum id, quod dixit Christus, Philippum consultans;

Ioan. 6. n. 5. *tentans eum, ipse enim sciebat, quid esset facturus,* quia soli Deo id licitum est, qui errare non potest, tanquam omnisciens, & omnipotens, tum, quia Deus consulendo Angelos, vel homines, excitat illos ad temperandum decretum rigorosum, sicut dum Nabuchodonosor Regem castigare vellet, ad senatum Angelicum causam remittit. Et, dum aquis diluuij mundum vellet submergere, consulit Deus Nòé, vt oratione eius temperetur decretum, non aliter, acsi Iudex remitteret decretum temperandum ad aliud subsellium; & hoc licitum esse Regibus censetur, scilicet, remittere causas ad temperandum, nullâ tamen ratione suadetur, aut sine consilio agere, aut consilium simulatè postulare, & soli proprio consilio credere; nam malo consiliario credit, qui sibi credit.

Remittere quoque totaliter in Deum causas, minimè laude dignum est, sed suam industriam, & laborem cum consilio prudentum, Dei auxi-
Gen. 12. n. 13. lio coniungere. Cùm Abraham ingrederetur Ægyptum, aduertit, vitam propriam, & pudicitiam vxoris suæ esse in periculo. Nouerat bene quantùm erat de se, fauorabilem sibi esse Deum, qui potens erat, ab vtroque periculo liberare; nihilominus dixit ad Saram vxorem suam: *Dic obsecro, quòd soror mea sis, vt bene mihi sit propter te:* & sic ne in vtroque læderetur, se Deo tuendum commisit: prudenter sanè egit, quia bene nouerat, in arduis, & periculis faciendum esse, quod in se est, reliquum committendum Deo; si enim industriæ suæ, & viribus proprijs solùm confideret, pro animoso
Matth. 26. 33. præceps iudicaretur, sicut iudicatus fuit S. Petrus, cùm dixit: *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire,* & paruo subiecto spatio temporis, dictum est de illo: *Petrus autem sequebatur*
S. Aug. ser. 121. *eum à longè.* vbi S. Augustinus: *Petrus promissor egregius cœpit ambulare longinquiùs;* sicut igitur totaliter fidere propriæ industriæ periculosum est, ita quoq; totaliter in Deum remittere, nullo proprio labore adhibito, vituperabile est.

Iamuerò cùm non de omnibus consultatio sit, nec quoduis est consultabile, videat Princeps, de quibus consultare debeat: *neque enim de ijs, quæ consistunt quidem in motu, semper autem fiunt eodem modo, siue necessitate, siue naturâ, siue*
Lib. 3. Eth. c. 3. *propter aliquam aliam causam,* (inquit Aristoteles) *vt de solstitijs, atque exortu, neq; de ijs, quæ aliàs aliter sese habent, vt de siccitatibus, imbribusué. Nec item de ijs, quæ veni-*
110. *unt à fortuna, vt de thesauri inuentione, neque de humanis omnibus rebus, quæ per nos fieri non possunt, vt de reformanda gubernatione Scytharum, &c. Consultamus igitur,* (inquit
De quibus cõsultatio fieri debeat. idem) *quæ fiunt quidem à nobis, incerta tamen sunt, quonam modo eueniant, vt de agendis per medicinam, vel gubernandi artem, & in particulari, quæ sint consultanda, docet idem.* Et inprimis de facrificijs, quæ patrio (inquit) more facienda sunt, erectis templis diuini cultus, quòd maximè sint, diuque obseruandi: ex hoc enim

nim deducit ipse, prouenire bonum honestum, bonum vtile, & iucundum; splendor verò sacrificiorum augendus est, ac formandus, vt beneuolentiores beneuolentiorem Deum habeamus: vnde splendor Regni, tum ex sumptibus, tum ex pietate. De legibus autem condendis, & obseruandis, de constitutione Regni, de fœderibus, & publicis conuentionibus fiant, de pace, & bello, de causis bellandi, an sint iniuriæ nobis, vel Regno illatæ, vt de illis vltionem faciant iniuriâ prouocati, aut ad gloriam, aut ad opes, aut vires augendas, bellum suscipiatur; tandem de prouentibus, de nummismate, de his, & alijs plurimis, dum consultare volumus, alios ad consilium, diffidentes nobis ipsis, tanquam non sufficientibus, assumant, vt consilium ferant, non de finibus, sed de his, quæ ad ipsos fines perducunt. Nec enim Medicus, si sanabit, nec Orator, si persuadebit, nec Reipublicæ gubernator, si benè, rectèque legibus ciuitatem instituet, nec denique cæterorum quisquam de fine deliberat, sed omnes posito quodam fine, quemadmodùm, & per quem fiet, illi considerant; vt verò id assequatur Princeps, videat, an boni, an mali sint consiliarij. Et boni quidem erunt; si bonum commune præponant bono priuato, exemplo Christi Domini, qui dum consultabat, de pascenda multitudine, non dicit; vt manducemus nos; *sed vt manducent hi.* Ex quo etiam vehementer commendatur & D. Petrus in monte Thabor, alloquens enim Christum Dominum, dixit: *Faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum*; nullâ factâ mentione suiipsius, quasi oblitus sui, de publico commodo solicitus: ita de publico splendore, etiam cum priuati boni damno.

Ioan. 6.

Matth. 17.

Nec solùm præponat commune bonum priuato, sed solicitè, & diligenter procuret; quod fiet, si amore perfecto prosequatur bonum commune, magis, quàm priuatum, quippe omnem suam spem, omne emolumentum, omnem honorem in publicis ponat commodis, & ornamento; nam si quid ornamenti adferat bono communi, necesse erit, & priuatas tandem res decorari: in his autem attendat quoque non solùm ad virtutem, & prouidentiam humanam, vt firmum sit consilium, refugium habeat, aliàs imbecille esset, sicut fuit Apostoli Philippi: *Ducentorum* (inquit) *denariorum, &c.* sed magis diuinæ prouidentiæ rationem habeat; recursus ad pecuniam, humanum subsidium est, non postponendum quidem, neque tamen diuinæ prouidentiæ præponendum. Tales consiliarios Sigismundus Primus Rex Poloniæ, cùm esset prudentissimus, acri, & solido iudicio, adhibebat ad consilium, nec aliquid agebat sine consilio, & aliquando facilè patiebatur se abduci à propria sententia etiam recta, ne pertinax, sed docilis appareret; hinc docilitatem cordis illius omnes summè mirabantur.

Ioan. 6. n. 7.

III. Porro docilitas, vel significat aptitudinem ad acquiescendum consilijs prudentum, excludendo pertinaciam, vel docendi, & agendi rationem, de qua in Prouerbijs. *Doce iustum, & destinabit accipere*: secundum quod, docilitas potest accipi, vel actiuè, vel passiuè; de docilitate passiuè sumpta, hucusque egimus: de docilitate autem actiuè accepta, pro sapientia rectè docente agendum est. Hanc Salomon in persona sapientiæ tria requirere, tanquam comites, ait: *Meum est* (inquit) *consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.*

Multiplex docilitas.

Prou. 9. 9.

Prou. 8. n. 14.

Primus igitur Comes docilitatis, & sapientiæ est consilium, vt constat, partim ex his, quæ dicta sunt, partim ex similitudine, & comparatione ad solem; quid lucidius sole? & tamen deficit. Sol quandoque omnem lucem conditam fulgore suo exsuperat, cùm ipse sit dux, & motor luminum reliquorum, & luminis fons, qui militiam cæli illustrat, & tamen hæc lux publica mundi defectionem patitur, eclypsim subire solet, nubibus obuoluitur, & tegitur; quantò magis homo deficere potest? imò quandoque consilium proprium illum præcipitare potest, ad similitudinem equi, cùm equitem exiliendo, calcitrandoque deturbat, & deijcit. *Arctabunt* (inquit Iob) *gressus eius, & præcipitabit eum consilium suum.* Non nego præclarè agi cum populo, cùm Princeps obtigerit ita genitus, ita educatus, vt alieni ingenij non egens, sponte suâ sapiat, falsum tamen censent Politici, & pernitiosum, non debere Principem, nisi à seipso consilium capere. Etenim Principem non vsque adeò excæcare debet propriæ sapientiæ opinio, vt alienâ aspernetur; neq; enim aliena consilia sunt spernenda, verùm danda etiam opera, vt omni depositâ pertinaciâ, proprio iudicio diffisus, ad aliorum sententiam, vbi opus fuerit, libenter accedat; nam plures oculi clariùs vident, quàm vnus, præcipuè, si Princeps eo animo consilium accipiat, vt dicant consiliarij, quod dicendum putant, aut, vt ab eis audiat, quod sibi placet, si etiam diligenter perpendat, an id, quod consilium suadet, sit licitum, vel illicitum, si contra Deum, vel leges eius, an cum augmento diuini honoris, vel non, si consilium est conforme dictamini conscientiæ, vel non? tali consilio nihil salubrius, nihil Reipublicæ vtilius. Propter quod veteres procertò tenuerunt, longè præstare ad Reipublicæ salutem malo, vel exiguæ prudentiæ Principi, bonos consiliarios, quàm bono Principi, malos consiliarios assistere.

Iob. 18. n. 7.

Alius docilitatis Comes insinuatur, cùm dicitur. Et Æquitas; hæc enim non solùm in administranda iustitia, sed etiam in eligendis bonis consilijs consistit; vbi requiritur iudicium, & æquitas in recta electione mediorum ad finem, quodnam scilicet medium sit magis opportunum ad assequendum finem. Hoc prudentiæ munus esse, ipsamet diuina prouiden-

tia

tia teſtatur. *In vijs* (inquit) *iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij.* In vijs iuſtitiæ ambulat ſapientia, cùm in actionibus iuſtis, atque pijs verſatur; in vijs iuſtitiæ ambulat, cùm virtutum (quæ in medietate conſiſtunt) medium tenet, & ne modicùm quidem in extrema vitioſa deflectit. In vijs iuſtitiæ, ambulat, cùm iuſta, & opportuna media ad aſſequendum finem honeſtum excogitat. Non ſine cauſa autem ait: *Ambulo,* non dicit *ſto*, vel *ſedeo*, quia conſtituto fine, ad quem obtinendum tendimus, voluntas mouet intellectum, & inueſtigat media ad illum aſſequendum idonea: ideo neceſſe eſt, vt intellectus ambulet, non pedibus corporis, ſed cogitationibus mentis. Non dicit etiam *curro*, vel celeriter *pergo*; quia, vt quis inueniat opportuna media, requiritur maturus diſcurſus intellectus, & non præceps perſpicatio ingenij. Non debet tamen prudens ſe nimis detinere, & occupare in inquirendis medijs, ne pertranſeat occaſio exequendi id, quod conſultum eſt; non debet item eſſe præceps in exequendo, aut eligendo aliquid, ſed debet feſtinare lentè. Sic ex vijs iuſtitiæ, & æquitatis ingreditur ſapientia ſemitas iuſtitiæ, quia poſt multa conſilia, & plurimas cogitationes, quas ſecum homo voluit, ac verſat, quæ meliora ſunt eligit, poſt plura media inuenta iudicat, quod medium ſit magis opportunum, & magis proportionatum, & hoc eligit, in quo conſiſtit prudentia, vt rectè dixerit Baſilius: Vera autem hominis conſulti prudentia, diſcretio eſt rerum, quæ faciendæ ſunt, & non faciendæ; eſt enim ceu prudens nummularius, qui, quod bonum eſt, retinet, & ab omni mala ſpecie cauet. Et D. Gregorius ait: *Sicut* (inquit) *nummum ſonitu, num æs ſit ſolidum, & integrum, experiri, & examinare videmus: ita ſonitu recti iudicij exploranda ſunt conſilia, an recta, & ſolida ſint, imò & omnes in vniuerſum áctus virtutum, an probi vel honeſti ſint, & ſic approbandi, vel reprobandi à vero docili.* Prou. 8. n. 20.

Tertium quod docilitatem comitatur, dicente Salomone in perſona Sapientiæ: *Mea eſt* (inquit) *Prudentia.* Hæc etſi in multis conſiſtat, præcipuè tamen, vt diſcernat inter bonos, & malos conſiliarios; nam & hoc ad docilitatem ſpectat.

Mali conſiliarij ſunt, quorum conſilia, non ex ratione, ſed ex affectu iræ, odij, &c. procedunt, quale fuit illud Apoſtolorum, qui dum cernerent, quòd Samaritani non receperant Christum, cuius facies erat euntis in Hieruſalem. Iacobus & Ioannes diſcipuli eius dixerunt: *Domine, vis dicemus, vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos. Et conuerſus increpauit illos, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis? Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.* Luc. 9. 54.

112\. Duo ſunt inimici boni cõſilij.

Duo ſunt, vt inquit D. Bernardus, *inimici boni conſilij, ira, & feſtinatio, quoniam faciunt præceps conſilium.* Adde inuidiam. Hinc D. Auguſtinus: *O inuidia ſemper bonis operibus æmula, inuidet ſoli, quòd in plures ſuos radios diffundat, & quicquid*

Chriſto

Bernard. hom. 4. super Missus est. Aug. q. 50. n. 11. *Christo accesserit, sibi detractum putat.* Ea est differentia inter Politiam Diuinam & diabolicam; quòd diabolica nihil agendum sine consilio suadet; in modo tamen consulendi, totaliter est opposita Politiæ, & Sapientiæ Diuinæ, quoniam affectione, non ratione regitur: habet quippe anima consiliarios, potentias inferiores, & superiores; hæ occupantur circa diuina, & cælestia, illæ verò circa terrena. Et sic dum homo tentatur, diabolus proponit animæ aliquid appetendum, sub ratione iucundi, anima confugit ad consiliarios, quid faciendum? ingrediuntur potentiæ superiores, quæ consiliantur secundùm rationem, suadent, nihil esse agendum, nisi quod sit honestum, & secundùm Deum: potentiæ verò inferiores stimulatæ à diabolo, consiliantur secundùm affectionem, & gustum, relinquendum esse bonum honestum, & amplectendum bonum iucundum, & hoc persuadere conantur, scilicet, irascibilis, concupiscibilis, caro, & sanguis. Vnde D. Paulus dixit: *Continuò non acquieui carni, & sanguini*; quoniam potentiæ inferiores sunt mali consiliarij, tum quòd secundùm affectum iudicant, tum quòd præponunt humana diuinis, terrena cælestibus; *ergo à consiliario*, scilicet peruerso, *serua animam tuam, priùs scito, quæ sit illius necessitas*, quis finis, quod motiuum, qualis animus, an ex affectu, ira, odio, inuidia, consilia ferat, an ex amore in Principem, & veritate? *Noli consiliari cum sodali amico*, (inquit Eccl.) cùm non veritatem proficuam, sed placitam Principi persuadeat, non rationem in consulendo, sed alioquin affectum sequendo.

(Margin: Ad Galat. 1. 15. — 1. Eccle. 37. 9. — Eccl. 37. n. 7.)

113. Mali consiliarij varij sunt.

Mali autem consiliarij sunt, qui in necessitate ciuili, aut bellica, suadent confidere in sola virtute, siue illa sit naturalis, siue moralis, aut in bonis externis. Baculus arundineus debilis, est virtus naturalis, ex complexione etiam robusta proueniens, quoniam conseruatur, & nutritur per extrinseca subsidia debilia. Hinc sacra Scriptura: *Quæ est ista fiducia, quâ confidis? aut quo consilio, vel fortitudine bellare disponis? Ecce confidis super baculum arundineum, confractum super Ægyptum.* (Isaia 36. 4.)

Necessaria est terra, quæ producat alimenta, & aqua, quæ extinguat sitim, & producat herbas, ac sustentet plantas. Opus habet aëre, quo respiret, & conseruet vitam; & igne, quo temperet frigus, & coquat alimenta: Plantis quoque ac herbis, quibus sustentetur, & alimentis iuuetur, insuper opus habet cælo, astris, influentijs, & Dei auxilio, quo sic indiget, vt ne minimum quidem cogitare, aut loqui sine ipso possit; nam si paulisper manutenentiam suam retraheret Deus, homo interiret, vt Iob inquit: *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet*, aliàs deficiet omnis caro, simul & homo in cinerem reuertetur, de quo rectè Thecuita: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur.* Non dicit moriemur, sed *morimur,*

(Margin: Iob. 34. n. 14. — 2. Reg. 14. 14.)

mur, qui dicit omnes, neminem excipit, quia & Enoch & Elias morientur. Et morimur ex leui occasione, & nos nati continuò desinimus esse, en subsidia vitæ debilia, & occasiones infinitæ mortis adsunt! Stultum est ergo in hac virtute, in diuitijs, in potentia, &c. & quæ hæc suadent, confidere.

Mali tandem consiliarij non sunt audiendi, qui suadent confidere in virtute Ethica, seu Morali, quia in virtute Morali totaliter confidere, non est tutum: insipiens enim esset ille, qui in vase aureo, gemmis exornato, pretiosissimum vnguentum sanitati proficuum deferens, ex vase gemmis pretiosis ornato sanitatem speraret, non ex vnguento. Virtutes morales sunt gemmæ pretiosæ animæ, non conferunt tamen ei perfectam sanitatem, & sanctitatem, quam affert vnguentum odoriferum Passionis Christi Domini, & virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis; his fidendum est. Imitandus itaque est prudens Architectus, qui quantò altiùs eleuat parietes fabricæ, tantò fortiùs figit tabulas, in quibus pedes tutò collocet. Imitandus est & ille, qui dum in altissimæ turris cacumen ascendit, cauet ne aspiciat terram, ne fortè caput debile, nimiâ altitudine conturbetur, cælum aspicit. Sic, qui ascendit turrim perfectionis Christianæ, non attendat, quæ sunt infra virtutem diuinam, quales sunt virtutes Morales, nec in robore propriæ personæ fidat, sed in virtute Dei confidat. Sicut ille Propheta, qui dicebat: *Ab altitudine non timebo, ego verò in te sperabo*; quasi vellet dicere: in altitudine diei, quam causat perfectio virtutum mearum, non confidam, sed in te sperabo. Quodsi in virtute non est confidendum, quantò minùs in sapientia? Quid Aristoteli Sapientia, & ingenium profuit, qui, in quo salus animæ sita erat, ignorabat? Quid Senecæ, qui à Nerone necatus occubuit? Quid consilia Achitophel? Quodsi in Sapientia, & virtute confidendum non est, quantò minùs in pulchritudine! *Iesabel volens sibi Iehu conciliare, per fenestram deiecta est, & à canibus deuorata.* In fortitudine autem quis confidere potest, si Goliath à Dauid interfectus est? De diuitijs (inquit Apostolus) non esse confidendum in incerto diuitiarum, sed in solo Deo viuo, qui præstat omnia Regnis, & eorum incolis abundè, pacis, & belli tempore.

Psalm. 55. n. 3.

4. *Reg.* 9. 32.

114.

In nulla re mundi confidendum, præter Deum.

Tandem mali consiliarij sunt, qui in subsidio humano totaliter confidere suadent, maximè verò, quia spes in auxilio humano duo inconuenientia affert, affligit, & fallit. Fieri potest, quòd quandoque spes, & confidentia in Deo affligat, dum Deus non confert statim, quod desideratur, sed differt conferre, quod promisit, vt moueat hominem ad perfectiùs sibi deseruiendum, sicut prudentes Principes, vota & postulationes Aulicorum, qui prætendunt aliquas dignitates, ex proposito differunt, vt dilationi-

lationibus ac promissis fatigati, accepto quod prætendebant, meliùs Regi deseruiant; sic aliqui æquo animo ferunt spem suam differri ob maiorem remunerationem. Nunquam tamen spes in Deo fallit; nam æquè facilè Deus facit, atque promittit, quia dixit: *Et facta sunt*; & quia est potens & bonus, ideo fallere non potest, spes autem terrena fallit. Quis enim sperare iam debet in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, Creatore temporum, & Conditore vniuersitatis, post exaltationem tantam adeo humiliatum? Quæ maior esse potuit exaltatio? nunquam tale prodigium auditum est, quòd Chorus infantium tantas laudes decantauerit, sicut decantauit Christo; Chorus autem infantium, & lactentium, nunc primùm locutus est, inquit Chrysostomus: *Et egredientes in occursum Domino, sternebant in via ramos oliuarum, atque palmarum, ac si dicere velint*: *Accipe frondes palmarum, & triumphes de Principibus tenebrarum.* Verùm postquam deductus est in Hierusalem, ab omnibus derelictus est, nec à quoquam ad reficiendum inuitatus, inquit S. Antonius Paduanus: *Hîc vera fortitudo Christi illuxit, vbi post tantum applausum, tanta derelictio, & vociferatio, Crucifige, Crucifige*: *siquidem* (vt inquit Boëtius) *infelicissimum hominis genus est, beatum fuisse.*

Chrysostom. in Psal. 8.

Est item necessarium iudicium Principi, tempore belli, & pacis. In bello, vt si videat potentiorem hostem suis viribus, iudicet potiùs pacem expostulandam, vel acceptandam, quàm bellum continuandum: vt item tempore pacis, sicutq; discernere inter veras, & apparentes vtilitates, sciat facere differentiam inter negotia, quæ ipse debet expedire, & quæ alijs committere, & quibus, an iuuenibus, an senibus, an diuitibus, vel egentibus. Hæc quippe omnia vitam conferunt Reipublicæ.

Denique adiecit Salomon in persona Sapientiæ: *Mea est fortitudo*, scilicet, in executione consiliatorum. Debet igitur Princeps sapiens in executione considerare tempus opportunum: in aliquibus enim mora nocet, vt in negotio belli, in negotio soluendi stipendij militibus, in alijs verò celeritas, vnde illud: *Festina lentè.* His comitibus docilitatis muniti Reges, feliciter regnant, & Principes decernunt iustitiam.

CAPVT XVIII.

Splendor Coronæ gloriosus, vbi Rex est prudens dissimulator.

115. *Dissimulare nõ est semper laudabile.*



Dissimulare non est semper laudabile, nam qui praua, manifestaq; dissimulant, ij delicati, simulq; malitiosi dicuntur, & arrogantes, & mendaces: quippe arrogans veraci opponitur, est enim dissimulatore

mulatore deterior, inquit Aristoteles. *Sed qui moderatâ dissimulatione vtuntur, neo ea dissimulant, quæ nimis ante oculos sunt, gratiosi sunt*, (inquit idem) *& veridici.* Lib. 3. Eth.
Nam dissimulare hoc modo, est sensum, & intelligentiam occultare ob rationabilem causam. Sic Christus etsi sciebat, quòd abundantia panis ex benedictione in manibus eius pro satianda turba erescere debuerat, tamen id occultauit, vt edoceret, non in solo temporali subsidio confidendum esse, sed magis in diuino auxilio. Vnde dicit Euangelium: *Hoc autem dicebat tentans eum*, id est, intendens experimentum sumere, cui plus fidebat, num pecuniæ, vel diuinæ potentiæ? ideo tentare, propriè est experimentum sumere, & docere. Vnde Deus tentat, vt doceat, diabolus tentat, vt decipiat. Cæterùm tentare Deum prohibetur hominibus, quia est ipsum irritare; itaque potest esse tentatio à Sapientia, estq; laudabilis: potest quoque esse à malitia, & est vituperabilis. Porrò hypocritæ, pseudopolitici, Iudæi, & nonnulli Christiani, non solùm Deum tentant, quando dubitant de potentia eius, vel perfectione illius, quòd possit aliquid extraordinariè facere, conformiter ad desiderium ipsorum. Ioannis 6.

Tentant etiam Deum, qui simulant, & extrinsecùs ostentant, se habere aliquid virtutis, atque ita laudari, & benedici volunt, cùm tamen ipsâ careant, vt sunt pseudopolitici, qui hac ratione honores, & opes aucupare contendunt: Iudæi quoque fingunt se habere Deum propitium, quem tamen blasphemant, & ideo irritant potiùs, quàm laudant: & mali Christiani, qui cùm sint in peccatis, orant & laudant Deum, cùm tamen non sit speciosa laus in ore peccatoris. Prædicti omnes sunt simulatores, & irritatores Dei.

Verùmtamen inter simulare, & dissimulare non leuis est differentia, & conuenientia: conueniunt simulatio & dissimulatio in eo, quòd vtraque potest esse bona, vel mala; differunt autem, quia simulatio communiter consistit in actione ficta, & mendaci, dissimulatio verò in omissione actionis. Mendaces sunt simulatores, & illusores Dei, qui propter aliquid temporale, vt honores, famam, Deum omniscientem, & homines fallunt. Pseudopolitici in materia religionis, & pietatis, in materia virtutum, &c. dum aliam religionem, & pietatem gestant in corde, aliam exteriùs manifestant, magni alicuius commodi, vel gratiæ Principis obtinendæ spe, hoc est simulare, illudere Deo, diabolo cor offerre, & tradere, & Deum extrinsecâ pietate colere, voluntq; illum esse tanquam idolum, quod oculos habet, & non videt, ad hanc simulationem tendunt, & irritant Deum, dum simulant se esse deuotos, quotidie Missam audiunt, adsunt diuinis officijs, vt pro perfectis Christianis habeantur, atque ita, vt Principibus placeant, ab eisque promoueantur, ditentur, honorentur, fingendo,

quòd in omnibus velint placere Deo, & secundùm voluntatem eius viuere, cùm tamen finis principalis deuotionis, & religionis eorum sit, potiùs placere hominibus, & Principibus, hæc est religio ficta, simulata, propria Pseudopoliticorum, quæ iram Dei concitat, non solùm in simulatores, sed & in regna, illis autem in pernitiem. Quid profuit Lechoni Polono, qui cùm esset frater Monarchæ Cracis, euocato illo ad venationem, ibidem interfecit? vt tamen pœnas euaderet, fictis lachrymis, & dolore, ipsum terræ mandauit, sed detecto scelere, pœnas luit expulsionis à Regno ob fratricidium, & simulationem. Quid prodest simiæ, si leo credatur, aut pelle leoninâ tegatur, si simia semper est simia?

Miechou. lib. 1. cap. 6.

Persimilem iniuriam inferunt Deo, qui simulatè & dolosè agunt, & sibi nocent, vt etiam de Lechone Secundo referunt idem antiqui Scriptores annaliũ Poloniæ, hic, cùm equus illius velocitate præcucurrit cæteros ad metam, Rex iuxta condictum proclamatus fuit; sed breui simulatione compertâ, quòd ferreas soleas equo suo induxerit, & viam clauis ferreis constrauerit, quibus aliorum vngulæ pro more illius temporis nudæ vulnerarentur, & ad cursum retardarentur, vitâ & regno priuatus est. Adolescens autem, qui oblique currens, causâ ioci ad columnam secundus aduenit, voto omnium, & concordi approbatione in Regem sublimatus est, & Lesco dictus, hoc enim nomen apud priscos Polonos regium fuit, & licet antea humilis conditionis, & tenuis sortis fuerit, in clarissimum tandem Regem euasit. Perinde acsi in Regia nutritus, & decentissimis moribus à cunabulis imbutus fuisset: fuit namque temperatus, & semper sobrius, iustus, mansuetus, liberalis, & fortis, cunctos inimicos fortiter debellans, & de suo Regno repellens, vicinosque inuadens, semper vicit, & de eis triumphauit, atque ita sicut Lechoni simulatio obfuit, ita huic sinceritas profuit.

116\. Nec minorem iniuriam inferunt, & sibi nocent fictè virtuosi, qui à D. Ambrosio *histriones vocantur, qui aliud sunt in repræsentando, aliud in essendo, qui se abstinentes simulant, & luxuriosè viuunt, qui mellita habent labra, sed cor veneno suffusum, qui castitatem in auribus, iustitiam in ore, & deuotionem in cingulo gestant;* (inquit Salustius) *hi volunt decipere Deum eâ ratione, quâ decipere volunt homines, illi Parentes, qui cùm habeant filiam, apud homines malè audientem, vt eam in matrimonium locare possint, mutant ei nomen, vestibus & gemmis pretiosis eam exornant, vt decipiant incautos, & eam in matrimonium locare possint*: filij aut filiæ vitiorum persimiles Parenti vitiorum, sunt simulatores virtutum, qui cùm malè audiunt apud Deum, vt ergo ipsum decipiant, diaboli astutiâ mutant nomina. Crudelem vocant iustum, auarum magnificum, malitiosum prudentem, mendacem & astutum sagacem, vindicatiuum honoratum, & sic auro, & gemmis virtu-

Opera simulata, & ficta, maximè pietas, nociua.

virtutum illos exornant, vt decipiant, ne fœditate suâ offendant oculos intuentium, & sic illudere volunt Deo, & hominibus, vel vitia speciosâ virtutum laruâ tegendo, vel nomina virtutum vitijs imponendo, atque persuadendo, quòd vsura non sit rapina, & latrocinium manifestum, sed leuamen inopiæ pauperis, auaritia zelus conseruandæ, & non effundendæ pecuniæ, ob necessitates futuras, conuersatio inhonesta, sit vrbanitas; sic filij aut filiæ diaboli putantur esse splendidæ, quæ cùm sint tam deformes, sicut & parentes earum, ita audito solo earum nomine, sicut signo Crucis diabolum à se repellunt, ita & illos signo Crucis fugant, splendido pallio boni honesti, & boni vtilis, vestitos, quos priùs aspernabantur, vt gloriosos recipiant; quid gloriosius, quàm conseruare statum, apud externos reputationem, & famam, atque opinionem, & amorem lucrari? sanè gloriosum est: verùm quomodo conseruari status vitijs, fictis virtutibus, quomodo item fama & opinio conseruari potest? nam abiecto pallio fictionis, omnibus manifestatur simulatio, & tunc simulatores pro deceptoribus, & mendacibus, vt abominabiles omnibus, apud cunctas nationes erunt, siue illi sint Principes, quod Deus auertat, siue ex plebe, aut nobilitatis statu.

Prodesse, dicet aliquis Pseudopoliticorum, hanc simulationem ad conseruationem status, verùm, quâ ratione status conseruabitur Deo irato, & illuso, cuius est, Regna conseruare, & de gente ad gentem transferre; & tandem hominibus fictione deceptis?

Pietate fictâ Sacerdotes, qui fingebant, *& simulabant Deum Bel, per dies singulos similæ artabas duodecim, & oues quadraginta deuorare, viniq; amphoras sex ebibere*; quid profuit? nam cùm Rex argueret Danielem, quòd non adoraret idolum, tanquam Deum viuentem, qui tantùm comedebat, & bibebat quotidie; Respondit: *non erres Rex, iste Deus vester est intrinsecùs luteus, & forinsecùs æreus, nec bibit, nec comedit aliquando. iratus Rex dixit: vel Daniel, vel vos Sacerdotes moriemini, nisi ostenderitis mihi, quoniam Bel comedit hæc, cùmque Sacerdotes postularent, exponi escas, claudi ostium, & signari annulo regio, &c. Egressi sunt illi, & Rex posuit cibos ante Bel: Sacerdotes ingressi sunt nocte cum suis, comederunt, & biberunt omnia. Rex intuitus mensam, exclamauit: Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam: Sed Daniel risit, & dixit: Rex ecce pauimentum animaduerte, cuius vestigia sunt hæc. Et dixit Rex: Video vestigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus est Rex, & apprehendit Sacerdotes, & vxores, & filios eorum, & ostenderunt ei absc ondita ostiola, per quæ ingrediebantur, & consumebant omnia, quæ erant super mensam; occidit ergo illos Rex, & Bel tradidit Danieli.* Sic qui mali sunt, & in apparentia boni, dum malitia eorum reuelatur, quomodo in suo statu conseruabuntur? impossibile autem est diu latere vitia, sub specie virtutis, & malitiam sub specie bonitatis, &

Danielis 14. n. 3. & 4.

cùm manifeſtantur, apud homines quam opinionem habebunt? à Deo autem, quam pœnam ſortientur ſimulatores, niſi abominationem, & deſtructionem. Quod ſi aliquid valent virtutes fictæ ad conſeruationem ſtatus, certè multò plùs virtutes veræ: plùs enim valet res ipſa, quàm vmbra, vel pictura illius, maximè verò, quia virtus iuxta dictamen rationis rectæ, potior eſt quocunque temporali, & bonum honeſtum, bono vtili.

Neque tamen ſemper ſimulatio vituperabilis eſt; nam ſimulare in bellis vtile eſt, & multoties victoriam parat. Sicut olim Romani in Gallos, qui Capitolium obſederant, & famæ expugnare tentabant, panes proiecerunt: ſic Poloni Bohemis arcem Cracouiæ obſidentibus, & fame expugnare tentantibus, farinâ colles aſperſerunt, & cóóperuerunt, abundantiam ſimulando, eoſque ab impugnanda arce recedere fecerunt.

De Sigiſmundo Tertio Rege Poloniæ ſcribit Starouolſcius Polonus, quòd cùm toto quaſi biennio Smolenſcum obſideret, nec potuiſſet tam munitam arcem, quàm quadraginta hominum millia defendebant, expugnare, iuſſit conquaſſatis rebus, caſtra ſua incendere, & domuitionem promulgare. Moſchouitæ diuturnâ fatigati obſidione, vt Regem cum exercitu abire conſpexerunt, conuiuia, & cœnas præ lætitia inſtruxerunt, vltraque ſolitum Baccho indulgentes, ſtationes in muris, ſtatim negligentiùs agere cæperunt. Rex vero nocte obſcurâ, cum omnibus ad oppugnandum requiſitis accedens, arcem in Coronam, inopinatò aggreſſus, cum omnium admiratione, in poteſtatem redegit.

Bellicoſum Patrem imitatus eſt filius Vladislaus Quartus, in paternum ſolium ſublimatus; nam cùm iterum Moſchouiticus exercitus arcem obſediſſet, ille confeſtim obſeſſis ſubſidio veniens, vt aliquot hoſtium munitiones expugnauit, reiectumq; à mænijs ſeginum, intra ſuum vallum concluſit, & quò celeriùs eum expugnare poſſet, montem, caſtris hoſtium, qui ab alaudis nomen habet *Skowronkowá gorá*, vicinum, occupare inſtituit, & tunc facillimè ipſe occupare potuiſſet, ſi Regis conſilia perſpicere valuiſſet. Qui caſtris de die motis, rectâ ſe in Moſchouiam velle ire ſimulauit, aliquantulum viâ ordinariâ progreſſus, ſequenti ſtatim die à tergo hoſtibus comparuit, & montem ſupra dictum, fruſtra defendentibus illis, occupauit, atque demum aſſiduis prælijs fatigatos, ad deditionem coëgit.

Verùm aliud eſt quod doloſâ ſimulatione, aliud quod ingenioſâ agitur: illa quippe malitiæ, dolo, & fraudi attribuenda eſt, ac omni abominatione digna; hæc à magna prudentia procedit. Hinc Coſacorum fraus, & ſimulatio, qui cùm eſſent Coronæ Polonæ ſubiecti, fraudulenter coniuratione factâ cum Tartaris, caſtra Polona inopinatè inuaſerunt, nullâ denuntiatione belli factâ, vnà cum ſuo Duce diſſipârunt, ſed Deo vindice breui

ſenti-

sentient vltricia arma Polonorum in fraudulentos subditos.

Neque solùm in bello ingeniosa simulatio laudabilis est, sed & in procuranda animarum salute; hinc Surius laudibus extollit B. Abraham Eremitam, quòd magnâ simulatione vsus fuerit, vt neptem suam lapsam, & prostitutam, ad resipiscendum, & pænitendum reuocaret: nam habitum finxit, & locò amictus Eremitici, militarem assumpsit, cœnam opiparam instrui curauit, liberè vnà cum illa carnibus (à quibus quinquaginta iam annis abstinuerat) vescebatur, vt tandem eam ad pænitentiam reduceret, sicut & de facto reduxit; quia ad tantam peruenit sanctitatem, vt etiam miraculis claruerit, & in numerum cœlitum relata sit.

Quod de simulatione dictum est, nimirum, posse esse laudabilem, & vituperabilem, hoc & de dissimulatione dici potest. Vituperabilis dissimulatio est, quâ etiam Regna ruunt, dum dissimulantur peccata propria, & aliena, dum non factor, sed prohibitor peccatorum reprehenditur. Diabolica est hæc patientia, nimia tolerantia peccatorum, atque contumeliarum Christi Domini, quæ supra modum lætificat dæmonem, & contristat Christum Regem. *Magna* (inquit D. Bernardus) *est virtus patientia, sed interdum impatientem esse, probabilius, & laudabilius est.*

De Republica afflicta dixit Propheta: *Singularis ferus depastus est eam*; alij legunt singulariùs, & ita S. Hieronymus transfert: *Omnes bestiæ agrestes depastæ sunt eam singulariùs.* Quodlibet peccatum depascit Rempublicam, peccatum est fera pessima cuiuscunque conditionis hominis, ferocior tamen fera est, & singulariùs depascens, peccatorum dissimulatio, de quà lamentabatur D. Paulus, scribens ad Corinth. *Libenter* (inquit) *suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes, sustinetis, si quis vos deuorat, si quis vos in faciem cædit,* vbi S. Bernardus. *Ni fallor, ironia est, non laus, sed reprehensio excessiuæ mansuetudinis, tolerare in officijs crudeles, promouere rapinis iuuenes, præmiare insipientes, qui ipsos promotores in faciem cædunt, & pauperes deuorant, excessus sapientiæ est. Magna virtus patientiæ est,* (inquit idem) *sed interdum impatientem esse probabilius, supportare omissiones, relaxare in peccatis, præesse vt idolum, quod habet oculos, & non videt, manus, & non castigat, linguam, & non reprehendit, omnia suffert; fieri potest, quòd hominibus placet, sed Deo, cuius honorem conculcari permittit, displicet, & Reipublicæ nocet. Brutalis est hæc patientia, indigna homine virtuoso.*

Psal. 79. n. 14.

2. Ad Corinth. 11. n. 19.

Nec minùs nociuum est dissimulare pœnitentiam, non solùm hominibus priuatis, sed & Reipublicæ. Vsurarij, qui post fletum ad vsuras redeunt, nec alienum restituunt, quod inuito Domino retinent, palliatâ vsurâ decepti; adulteri, fornicarij, qui plorant, & ploratu suo Deum, & homines decipiunt, dum, sicut ante, ita & post confessionem concubinas detinent, nec occasiones peccandi relinquunt, & Principes, qui talia dissimulant,

lant, sunt discipuli Lysandri Pseudopolitici, qui falsum per huiusmodi dis-
simulationem firmari status asserit, dicens: Qui nescit dissimulare, nescit
117. regnare. *Cum iniuria Dei dissimulare, nimis est impium*, inquit Chrysostomus.
Quænam sit Et omnis status ruit, vbi dissimulantur iniuriæ Dei, propter occupandas
laudabilis dis- voluntates hominum, vbi contemnitur bonum honestum, propter bona
simulatio. temporalia; proprias iniurias dissimulare, vtcunque salutare est, vt iam
dicetur: sed iniurias Dei, nullo pacto, id edocuit Christus: *namcùm tenta-*
Luca 18. *retur à diabolo suadente, vt se mitteret deorsum*, respondit: *Vade sathana, scriptum est, &c.* persuadens, nullâ ratione dissimulandam esse Dei iniuriam, quæ semper vituperabilis est.

Quodsi axioma Lysandri, Christianopoliticè accipietur, non est omninò vituperabile, nam inprimis laudabile est dissimulare proprias iniurias.

Primus, & maximus dissimulator est Deus, qui dissimulat peccata hominum, etsi enim ab illis offendatur, non commouetur, quia non habet vltionis studium perfecta virtus; pœnam tamen in aliud tempus reseruat, quod est magnæ misericordiæ, quia meretur peccator, vt offendens Deum, pro illo tunc corrigatur, & puniatur, dissimulat tamen Deus propter pœnitentiam, vnde egregiè D. Ambrosius: *Vindicantur*, (inquit) *qui timent vindictam, non quærit, qui nõ timet, qualis est Deus, Eliam ad dissimulandum monens. Tibi* (inquit) *peccantes cernere, graue spectaculum est, mihi verò, qui sum Dominus, lex de humanitate clamans: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* Item Christus, maximus fuit dissimulator propriarum iniuriarum, id vel maximè eluxit in vltima cœna, vbi summâ iniuriâ affectus fuit à Iuda proditore: nam Eucharistiam à Christo sibi porrectam non comedit, sed occultauit ad illudendum Iudæis, vt inquit Theophilactus. *Ipse incredulus Magistro suo illudens coram Iudæis, & dicens: En qualis sit Magister meus, qui dicit, in hac mica panis, ecce corpus eius.* Aduertit hoc Christus, & dissimulauit, propterea enim cùm porrigebat calicem discipulis dixit: *Bibite ex hoc omnes*; acsi vellet dicere: non omnes manducâstis, Iudas enim occultauit, vbi exemplo suo reliquit doctrinam omnibus Christianis, & Regibus, in proprijs iniurijs patienter agendum, & dissimulandum esse, vltionem in aliud tempus reseruando, ne euasisse credatur vindictam, quam Dei Iudicis censuræ reseruauit, ait D. Gregorius; & hoc ob periculum maioris damni. *Turpe est,* (inquit) *si Respublica, vt acceptam iniuriam vindicet, ipsa in maiorem, quam alijs parat, calamitatem incidat*, aut se det præcipitem; nam vtilius est apertas iniurias dissimulare, quàm frustrà vlcisci; si enim in periculis tempestatum, quibus agitur nauis, vtilissimum est pericula dissimulare, & dissimulando remedia quærere, quàm metu periculi nautas terrere; etiam in rebus Politicis

ticis dissimulare iniurias, & interim de remedijs cogitare, vtilissimum est. Remittere omninò, & non castigare malos, vituperabile est; nam & Deus malos Angelos de cælo eiecit, & superbiam eorum puniuit; & Christus pluries correxit D. Petrum, & dum recusabat pedes sibi lauari à Christo, dixit: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*: & cùm indignum esse dixit, vt tantus Monarcha in cruce moriatur pro populo, ait: *vade post me sathana, sequere voluntatem meam.* Hoc & ad Reges spectat, vt etiam charos puniant, si peruersi fuerint. Non vereatur Pseudopoliticorum instantiam, nimirum; quòd per hoc diminuetur de reputatione Regnum, dum illi, quibus Rex fauebat, ab eodem castigantur, & à gratia sua eijciantur illi, quos ipse in aulam suam assumpsit, & elegit, & propterea salubrius esset, si dissimulet se videre peccata eorum, hæc, inquam, non vereatur. Hæc quippe diabolica est Politia, eo fine introducta, vt serui Regum de impunitate certi, liberiùs, & imprudentiùs peccent, in suam, & aulæ Regiæ perniciem. Christum imitentur, qui sicut dissimulauit Iudæ, &c. ita & puniuit etiam sibi dilectos Apostolos: nunquam tamen vindictam desiderauit; quia, vt inquit Titus Boreste. *Dominus in homines non commouetur, quia non habet vltionis studium perfecta virtus, procul à Religiosis, procul à magnanimis cupiditas vltionis.* *Ioan. 13. n. 8.*

Laudabile item est, dissimulare gratiâ alicuius boni, causâ lucri, vel damni emergentis, exemplo Christi, qui *dissimulauit se peregrinum, & finxit se longiùs ire*; vt hac ratione hospitalitatem commendaret, & Apostolos in fide roboraret. Præterea in cruce imbecillitatem voce dissimulauit, cùm clamans expirauit, dicens: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* quod propter duas causas fecit, inquit D. Athanasius. *Vna est, vt Deum Patrem flecteret ad misericordiam super genus humanum, pro cuius salute adeò humiliatus moriebatur, vt nec in extrema necessitate Diuinitas ei concederet subsidium: altera verò, vt diabolum, qui iam præsentire incipiebat, quòd esset Deus, præcipuè, quòd supportare tam innumerabiles pænas, in anima, & corpore, in tanta patientia, videbat id superare vires humanas; vt itaque ei illuderet, & detineret eum quousque expiraret, infirmitatem simulauit.* Verba D. Dionysij. *Dominus cùm dæmonem fugere volentem ad orientem conspiceret, metuens ne fugâ elaberetur, voces humanas emisit, voces imbecillitatis simulauit, dicens: Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et hoc fecit, ne diabolus ab eo, quem vt hominem antea contempserat, & tunc vt Deum exhorrendo, fugâ se subduceret, & istis verbis inducitur, & sub manibus eius venit, atque ita simulando infirmitatem, & misericordiam Dei pro hominibus obtinuit, & Diuinitatem occultauit.* Christum Dominum imitatus est Apostolus, qui de simulatione sua videtur gloriari. Cùm essem (inquit) *2. Ad Corinth. 12. 16.*
astutus, dolo vos cepi.

CAPVT XIX.

Splendor Coronæ gloriosus, vbi Rex est munificus, & liberalis.

Arist. 4. Eth. cap. 2.



Agni sumptus sunt magnorum Principum, inquit Aristoteles: *non enim (inquit) idem Triremus, & spectaculorum præfectum decet sumptus, qui enim paruis in rebus, aut mediocribus sumptus facit, pro dignitate dicitur, qui verò quærit sibi splendorem in magnis, hic continuò magnificus dicitur, & consequenter liberalis, nam magnificus quidem liberalis est; at liberalis non continuò magnificus est.* Christo Domino vtrumque applicari potest, nam & pro decore magnos fecit sumptus in tot millia hominum, & liberaliter eosdem pauit ad saturitatem, ideoque voluerunt eum eligere in Regem. Sanè magnificentia, & liberalitas est virtus propria Regum; *nam si pauper faciat sumptus magnificos, non continuò magnificus erit*, inquit Aristoteles, *quippe cùm ei non sint ea, è quibus multos decoros faciat sumptus, quin potiùs fatuus est*, inquit idem; *nam præter dignitatem facit id, quod oportet.* Liberalitas etiam est Regum virtus, quoniam Principis dignitas est dare, donare, ditare, vt insinuat Sacra Scriptura, quæ ferè eodem nomine appellat Principes, & liberales. Vnde cùm Regius Propheta dicit: *Tecum principium in die virtutis tuæ*; litera Hebræa habet: tecum Principes; & alij legunt: tecum liberales, quia idem est esse liberalem, & esse Principem. Cæterùm, si Reges terreni cum liberalitate Christi competere vellent, qualis competentia legitur fuisse inter Regem Indiarum, & Alexandrum Magnum, inter Salomonem, & Reginam Sabbæ; multò maior est magnificentia, & liberalitas Christi Domini, quod etiam ex illius sumptibus, & liberalitate, quam in deserto exhibuit, facilè innotescit.

118. Liberalitas decet & exornat Reges, prodigalitas minimè.

Psal. 109. v. 4.

Reges terreni ex liberalitatis virtute subueniunt egenis, & subuenire debent in necessitatibus temporalibus, & corporis: Christus autem subuenit & turbæ in deserto, quoad necessitates animæ. Et quoniam anima est nobilior corpore, ideo priùs subuenit Apostolis, in eo, quod excellentius est, propterea enim interrogabat. *vnde ememus panes?* vt miraculo in multiplicatione panis confirmaret eos in fide. Medicus tangit pulsum, vt cognoscat infirmitatem, sed Christus Dominus tangit pulsum animæ, vt intelligant suam infirmitatem, & in fide imbecillitatem. Tum deinde subuenit necessitati corporali, & rectè; quia anima pretiosior est corpore, ideoque eorum, quæ spectant ad animam, custodem fecit D. Petrum, ea verò, quæ spectant ad corpus, commisit alteri, qui erat thesaurarius

Chri-

Christi. Reges estò conferant egenti, multoties tardant; Christus Dominus latroni petenti cælum respondit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Vnde superat illos non solùm liberalitate rei, sed etiam animi; iuxta illud Senecæ. *Qui dat, non tardet, quia cùm magni æstimetur dantis voluntas, qui tardè contulit, diu noluit.* Luc. 23. n. 43.

Ex his igitur intelligitur Christum in liberalitatis virtute excellere Reges terrenos, ideo iustum est, vt illum imitentur in hac virtute Principes. 119.

Primum autem, in quo eum imitari debent, est, in eo, quòd Christus Dominus non quærit ab Apostolis, an esset subueniendum turbæ, sed solùm de modo subueniendi; satis enim erat videre necessitatem illorum, & bonam voluntatem, quæ eos fecit obliuisci victus, ne priuarentur dulcissimis sermonibus, & prædicatione Christi, & miraculis. Quia videbant signa, &c.

Non est quærendum, an subueniendū sit in necessitate positis exemplo Christi, sed occurrendum necessitati.

Necessitas (inquit Plato) *est mater amoris.* Signum est, quòd prædicta turba erat bene affecta Christo Domino, quoniam nec tanta necessitas eos cóegit relinquere Christum, ideo ex solo amore etiam non postulatus ab eis subuenire decreuerat. Quærit autem de modo subueniendi. Et non quærit à Iuda, qui erat thesaurarius Christi, vt posset informare de quantitate eléèmosynæ, an esset sufficiens pro pascenda turba, diceret enim deesse sumptus, vt abundante bursâ, faciliùs furto auferre posset. Non quærit etiam à Petro, quia isti commiserat thesaurum spiritualem, sed quærit à Philippo, quia hic præcipuè inter Apostolos speciali indigebat eruditione, de quo dicit Cyrillus: *Non erat adeò acutus, sed quia erat expertus,* faciliùs *cæteris ex qualitate loci illius, vnde possit haberi prouisio, pro alenda tanta multitudine, poterat informare.*

Nobilissima conditio illorum Regum est, qui in hoc imitantur Christū, qui non quærunt, an sit subueniendum indigentibus, & necessitatem patientibus, sed subleuatis oculis subueniunt, & necessaria subministrant, vt fecit Christus, non quærunt, an illis sit subueniendum, sed memores officij sui, omnibus exhibent necessaria, quantùm possibile est. Hæc est conditio Deo propria, quem ex ea Dauid laudibus efferens inquit: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra!* Psal. 112. 5.

Optandum est Regibus, vt in hoc imitentur Deum, communiter enim homines sunt debiles visu, faciliùs vident visibilia magna mole, exigua autem minimè cernunt, faciliùs Reges, Magnates, Diuites, Nobiles aspiciunt, pauperes verò minimè; è contrario. Deus humilia respicit in cælo, & in terra, omnibus subuenit, præcipuè tamen iuuat pauperes, & humiles necessitatem patientes, sicut & Christus in deserto. Aquila experimento discit, an pulli sint eius proprij, si solem clarè aspiciunt, Christus eos in filios adoptat, qui non alta, sed humilia faciliùs cernunt. *Beatus qui intelligit* Psal. 40. v. 1.

super egenum, & pauperem, &c. Sufficiat ergò Regibus nosse necessitates, & non
120. inquirere, an subueniendum sit. Quod si inquirere voluerint, non inquirant à Philippo, quia statim respondebit. Ducentorum denariorum, &c. parùm proficiunt, qui nullam spem in Deo reponunt; illi verò, qui Deo fidunt, omnia possunt, & Deo gratissimi sunt, atque facile remedium in necessitatibus obtinere possunt. Si quæratur quænam sit causa, quòd Deus quasi supra cæteros homines dilexerit Abraham, & respondet Sacra Scriptura. *Credidit Abraham Deo*; vbi dicit Philo, *vt dictu est breuissimum, ita factu maximum: cùm enim omnia quæcunque mundus obtinet, vita, honor, salus, diuitiæ, venustas, nobilitas, &c. debili fundamento innitantur, non est tutum in his confidere*, & ad hæc in necessitatibus refugium habere, & maximè ad nummos, qui facilè dissipantur; itaque in eo, quod immutabile est, scilicet, in promissionibus diuinis confidendum est, cæteris diffidendum. *Sic Abraham credidit Deo*, dicendo: Soli Deo fido, cùm omne humanum præsidium fallat, & in necessitate deficiat: Deus verò non solùm acceptat talem confidentiam, sed in ea confirmat sperantem in ipso. Nam & promissa Abrahæ multis iuramentis confirmauit, vt in spe, & promissis diuinis, magis, ac magis firmaretur. Et Apostolus hoc idem suadet Christianis. *Nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem, &c.* & Propheta Dauid: *Adiuuabit eos, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus*; quam ob causam? *quia sperauerunt in eo.* Vbi D. Bernardus: *Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis, sperare in Deo, non in vita mortali, complexionis fortitudine, diuitijs, pecunijs, amicis, &c.*

Si Principes inquirere voluerint, an sit subueniendū, videant à quibus inquirant exéplo Christi.

Gen. 15. n. 6.

Philo lib. de Abraham.

Ad Hebræos 10. num. 35.

Psal. 36. n. 40.

Non inquirat etiam ab auaris, quia isti sunt persimiles Iudæ, responderent enim, vacuum esse marsupium, vacuum esse thesaurum, vt pro se potiùs cumulent, & in superflua expendant, quia, vt inquit S. Augustinus: *Diues mendax est, quia in his, quæ ad Deum pertinent, semper dicit, non possum*, sicut dixit Nabal, dum Dauid requireret ab eo subsidium, pro se, & militibus suis, cùm tamen fuisset mendax, nam de eo Scriptura dicit: *Erat ei conuiuium, quasi Regis*, & quia erat in expendendo, & subueniendo indigentibus durus tanquam lapis, ideo inquit Sacra Scriptura: *Et mortuum est cor eius intrinsecùs, & factus est quasi lapis.* Si ergo volunt Principes consulere, an sit subueniendum necessitatibus indigentium, requirant potiùs consilium ab Andrea, qui dicit: *est hic puer vnus, habens quinque panes hordeaceos*; nam supra dicti, etiam superflua deneganda indigentibus suadebunt, hic autem si non sufficientia, saltem quæ haberi possunt, offert. Politica ratio est, saltem ita subuenire pauperibus, vt ipse non egeat. *Dabo egenti*, (dicit Philosophus) *sed vt ipse non egeam, succurram perituro, sed ita vt ipse non peream.* Hoc idem D. Paulus. *Non enim* (inquit) *vt alijs sit remissio, nobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in præsenti tempore, vestra abundantia, eorum inopiam suppleat, vt illorum abundantia vestræ inopiæ sit supple-*

1. Reg. 25. n. 37.

2. Ad Cor. 8. num. 13.

supplementum. Et videtur Christus approbare hanc liberalitatem, dum pro modico pane, tot cophinos fragmentorum reddidit. Ipse tamen non partem, sed totum se donauit pro nostra salute, cùm esset diues, totum nobis contulit, & ipse pauper, & egenus esse voluit. *Propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt nos illius inopiâ diuites essemus.* (2. Cor. 8. 9.) dare itaque de modico, modicum perfectionis est, & de modico totum, maioris perfectionis, ex magno autem dare totum, & ipse egere, multò maioris perfectionis.

121. *Conditiones laudabilis liberalitatis.*

Cæterùm liberalium Regum, cæterorumque diuitum est, dare quod est necessarium, exemplo Christi, qui non solùm naturâ, sed & æmulatione est beneficus, minùs curando supra dictorum vana consilia, sperando in Deo, ille enim antequam creâsset solem, & hominem, produxit terrã herbis plenam, arboribus, vnà cum fructibus. *Germinauit terra herbam virentem.* (Gen. 1. v. 11.) Non enim Deus pluerat super terram, & homo non erat, qui coleret eam, scit Deus sine subsidio humano, sine aqua, sine solis calore, subuenire liberalibus, qui prouident indigentibus necessaria saltem, sicut hîc prouidit Christus pro turba panem hordeaceum, non triticeum, neque tamen panem mendacij, vt illi, de quibus dicitur: *Suauis est homini panis mendacij, & postea impletur os eius calculo:* (Prov. 20. 17.) panis mendacij sunt facultates, quæ prodigaliter viuendo consumuntur, & epulando, luxuriando dissipantur; hoc pane consumpto, impletur os calculo, dum onusti debitis ad rationem reddendam citantur, dum penuriâ adiguntur, & vellent tunc panem etiam lapillis refertum cum dolore sumere, nihil curantes, an dentes cõminuantur, vel stomacho noceant. *Suauis est homini panis mendacij,* alienas facultates administranti, & in proprios etiam superfluos vsus conuertenti. Sed dùm ad rationem reddendam vocantur, impletur os eorum calculo, ratiocinatione, supputationibus, maximè si non adsit vnde reddant, si illos vanæ ratiocinationes non iuuent, & videant in nullius auxilio sperandum, sed potiùs in carcere, donec vniuersum debitum reddant, detinendos esse. *Suauis est panis mendacij* luxuriosè viuere, sed cùm reddenda erit ratio in vltima mortis hora, os implebitur calculo.

Quare, vt Reges, & Principes liberales sint, ad tria attendere debent: cui conferant beneficia, quid conferant, & quomodo. Nam qui beneficia rectè conferre intendit, pro suo quemq; merito, vt tractet, prouideat. Videant, ne conferant nisi ei, cui conuenit ratione personæ, & status, & qui promeruit. Ferè omnes Reges Christianos, superant Reges Poloniæ in distribuendis beneficijs, & dignitatibus, cum tanta dexteritate, vt licèt in quibusdam Comitijs Regni sessio facta fuerit, deliberans de beneficiorum distributione, & tandem conclusum est, æquanimitati distributoris relinquendum esse distributionis modum, pro veteri more,

Iamuerò donationes vel ſunt voluntariæ, vel ex obligatione. Antéquam voluntariè ex magnificentia aliquid conferant, priùs conferre tenentur id, quod debent ex obligatione ei, qui promeruit. Gentiles eo fine conferebant beneficia, vt dicerentur benefici, dicente Chriſto apud S. Lucam: *Reges gentium, &c.* Chriſtiani Reges, Principes, & quicunque alij, non ſic, ſed priùs debent dare, quod ex iuſtitia, quia dare tenentur, quàm quod ex liberalitate.

Luc. 22. n. 26.

Deinde debent conſiderare quid dant. Nam ſi dant parùm, videtur eſſe auaritiæ, ſi dant multùm, qui accipiunt, magis datum, quàm dantem diligunt, vt dicit Poëta: Amore carent, munus amantis amant; & ſic ſeipſos magis diligunt, quàm eum, qui donat, atque ita dans nimium, priuat ſe eo, quod carius omnibus eſſe videtur, amore ſcilicet ſubditorum, quod maximè bona gubernatio requirit. Liberalitas igitur docet, quòd miſeris maximè ſubuenire oportet, ſed ſi vitioſâ largitione id facit, inepta largitio eſt. Inepta ſanè eſt quorundam Chriſtianorum diuitum, & Regum, nihil negare poſcenti cum detrimento Regni, ſicut apud Perſas mos erat; poteſt enim fieri (vt eſt hominum malitia) aliquid cum vitio, & iniuria proximi poſtulari, & ſic Rex nouus cogeretur denegare, cum nota illiberalitatis.

Eapropter, non eſt beneficium, niſi quod ratione boni honeſti datur, & bene collocatur: proinde illiberalitas eſt dare prodiga, *eſt enim dare, atque perhibere furioſo gladium, dare hiſtrionibus diuitias, vitium, & inane,* inquit S. Auguſtinus. *Bibulis, guloſis, immaturis conferre dignitates, vitioſum eſt, quia idem eſt, atque dare febricitanti aquam; ita vt rectè dixerit: Bis peccas, cùm peccanti obſequium accommodas.*

Ad dignitatem quoque attendendum eſt, vt donetur dignis; nam quicquid digniores indignioribus donari viderint, ſibi ereptum putant, vt dum nouo artifici tribuitur id, quod miles ſanguine emeruit, ſibi ereptum exiſtimat, dum adulator præripit, quod decem annos Senator expectauit, ſibi ereptum conqueritur: cùm canibus, equis alendis, auibus venaticis elargitur, quo pauperes ſuſtentari poterant, illis ereptum eſſe cenſendum eſt. Donandum itaque eſt inprimis Chriſto Domino, & ſeruis eius, captiuos à prædonibus redimendo, æs alienum ſuſcipiendo, pauperibus opitulando.

Deinde ratio habenda eſt in donationibus familiarum antiquarum, nobilium perſonarum: hoc enim Deo placet, & hominibus gratum eſt. Familiæ etiam propriæ auxiliandum eſt, etiamſi ex bonis Eccleſiæ, (ſi non adeſt periculum ſcandali) tribui poteſt moderatè; quia vt inquit D. Paulus: *Si quis ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.*

1. Ad Timoth. 5. num. 8.

deterior. Vlterius benemeritis, vt militibus honores, census donandi sunt, quia id sanguine meruerunt. Quam enim laudem consecutus est Alexander, quòd priuato Ciuitatem donauerit? quis collaudabit hominem stolidum, rudem, & indignum, factum esse Dominum Ciuitatis, postposito flore nobilitatis, maximè commilitonibus, & amicis? Et hæc communia sunt Ethnicis, & Christianis, donare dignis, quod etiam præstitisse gentiles legimus. Nam Q. Fabius Maximus, de quo refert Valerius, quòd magnum captiuorum Romanorum numerum ab Annibale, pactione interpositâ nummorum receperat, qui nummi, cùm à Senatu non præstarentur, misso in vrbem filio, fundum, quem vnicum possidebat, vendidit, eiusque pretium Annibali dedit, præponderat factum Valerius summâ, quâ pollebat in dicendo arte.

Patet ergo, quid, & cui donandum sit, sed quomodo? sincerè, & abundè scilicet. Porrò indignum est, verbis, & non rebus, esse liberalem Principem; quia tunc imitaretur illos, de quibus Salomon: *Labiis pascit Rex*: & non Christum Dominum, qui statim atque promittit, largitur; *dixit, & facta sunt*, & sic Dei filius potiùs claret factis, quàm verbis. Vnde Tertul. *Vt tibi totus Deus commendaretur bonus ex dictis, & factis, in quo bonitatem huius Principis agnosce. Si promisit dare visum cæco, extunc contulit, si promisit salutem infirmo, extunc contulit, & quod plus est, ille ipse te stimulat, vt postules, Deus enim est, qui operatur in nobis velle & facere pro bona voluntate sua.* 122.

Indignum est Principes esse liberales verbis, & non rebus.

Nec semel præstat largitas collata, vt inquit Cassiod. in persona Principis: *Magis nos prouocant ad præsens præmium, qui initia nostræ gratiæ suscipere meruerunt.* Et subdit: *Nihil esse gloriosius Principi, quàm semper largiri, & beneficium beneficio commendare. Decorum est* (inquit) *Principi à beneficijs non cessare, quia commendantur priora posterioribus donis, & firmatur omnis indubitata de receptione sententia.* Verùm quia thesauri Principum sunt finiti, non semper dùm adest occasio conferendi, adsunt. Aliud est de Christo Domino. Et quoniam vt inquit Rupertus de ipso: *Inexhausta est Christi gratia in largiendo beneficia, cessare non potest, sed vnum beneficium incitat illum ad conferendum aliud, confert gratiam, & collatio illius, stimulat ad conferendum gloriam*, vt inquit Apost. *Quos iustificauit, hos & glorificauit.* Moriens in Cruce contulit vitam hominibus, & quoties eundem sumunt in Eucharistia sub speciebus panis, toties iterum, atque iterum vitam confert animæ, quousque æternam largitur in gloria. Manus diuina nescit contrahi semel extensa. *Extendit Iesus manum, vt Petrum à submersione liberaret, & inter fluctus titubantem firmaret*, nec firmato iam Petro, contrahitur manus diuina, sed eidem adest, vt faciat eum ascendere in nauiculam. Hæc est Dei notio, beneficijs beneficia cumulare, & cumulando continuare, donec homo ascendat in tutum. *Nolite* (inquit) *timere pusillus*

Rom. 8. n. 30.

Luc. 12. n. 32.

pusillus grex: quia Christus Rex cui pusillum confert, iam habet pignus, quia de pusillo crescet, donec accipiat securitatem & Regnum. Nescit enim Deus cessare largiendo, cui deficere census non potest, nec manus semel extensa contrahi. Videat tamen Princeps, vt obseruet in largiendo

Tac. 3. Annal. illud Taciti consilium, *ne immoderatè tribuat*. Quia vt satietas capit illos, qui omnia tribuerunt; ita eos, cùm iam nihil reliquum est, quod capiant.

Senec. Epist. 39 Præterea, *segetem nimia sternit vbertas, rami onere franguntur: sic nimia largitio.*

CAPVT XX.

Tertius principalis Regius splendor gloriosus, desumitur ex annulo inuestituræ Regum, tribus gemmis exornato.



HActenus Deo auspice, & bene propitio, splendores Regiæ dignitatis proposuimus, & quantum in nobis est, illustrauimus; desumptos partim ex decore capitis Regij, partim ex ornatu Diadematis splendidis gemmis, fulgido, atque ex virtutibus, tanto fastigio dignis, compacto: restat, vt ex annulo inuestituræ Regalis, seu sponsorio, cum Regno, tribus gemmis, manus ad sceptra disponentibus, persimiles splendores promamus. Auspicandum ab eo, quod pronunciauit Eccle-

Eccles. 25. v. 3. siastes: *Quàm magnus, qui inuenit sapientiam, & scientiam! sed non est super timentem Dominum.* Omnia superat timor Domini, timente Dominum maior

I. nullus, nec sapientia, scientia, aut prudentia timori Domini præponitur. Hic est annulus inuestituræ Regum, seu desponsatorius cum Regno.

Annulus inuestituræ Regum, est timor Domini Dei, quo specialiter ornantur Reges, dum in coronatione insignia Regalia illis præsentantur, & offeruntur.

Plura Imperatoria insignia deferuntur Regibus, in auguratione & coronatione. Porrigitur gladius insigne imperiale, non quidem profertur solemniter, vibratus in necem subditorum; sed vt defensionis insigne, & quo Rex ad omnem pro populo pugnam paratum se profitetur. Traditur Regi sceptrum, vt & ciuilem, & hostilem defensionem videatur promittere, nec enim minùs mutuis afflictionibus, opprimi in ciuitate siue Regno, quàm externorum armis grauari populus potest, vnde non minorem curam, ex his, quàm ex alijs defendendi, Regi imminere, sceptrum admonet: hinc de sceptro dicitur in Psalmo: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me con-*

Psalm. 22. 4. *solata sunt.* Consolari est alterius afflictionem lenire: opprimi est affligi, defendi verò, lætum est, & sic consolari. Illud verò insigne vmbraculũ, quod baldachium dicitur, sub quo Rex residet solemniter, est Diuinum insigne, insinuans, quòd sicut sub protectione Dei, tanquam vmbraculo sedent Reges: ita sub vmbraculis Regum est populus, protegens eos à frigore,

gore, & æstu. Confertur item Regi Pomum, aureum quidem, sed rotundum; insigne orbis, sed volubilissimi, in quo inconstans voluitur fortuna: vel offertur pomum, ad beneuolentiam inuitans subditos. Salomonis Mater, duorum tantùm insigniorum principalium (quæ & Christo delata fuêre, desponsando ipsum cum natura humana) meminit, Coronæ, & Annuli. *Filiæ* (inquit) *Hierusalem, venite, & videte, inquit, Regem Salomonem in Dia-* Cant. 3. n. 11. *demate, quo coronauit eum Mater sua, &c. in die desponsationis.* Et de splendoribus quidem Coronæ, iam actum est supra. In annulis verò Regijs, vsus vel inprimis considerandus est; est enim præter cætera signum desponsationis Regum cum Regnis, & inuestituræ eorundem. Pluribus olim ceremonijs desponsationes celebrabantur, vt refertur in Horologio Principum. Quæ, quia ridiculæ potiùs, quàm seriæ sunt, eas libens omitto. Solemnior Horol. Princip. desponsandi ritus modernus est, per traditionem Annuli sponsalis, qui amicitiæ, fidei, &c. symbolum est, dum digito inseritur annulari.

Vterius annulus, est signum, & symbolum inuestituræ Regum, & Principum: De Vladislao Iagellone Rege Poloniæ refert Miechouita, quòd, Miechouita. cùm diu inter Polonos, & Lithuanos, de possessione Russiæ certatum esset, Vladislaus Iagello à Suidrigalo germano suo requisitus, inconsultis Consiliarijs, Magnum Ducatum Lithuaniæ, vnà cum arce Camenecensi resignauit, & ipsum annulo sibi misso, de eodem inuestiuit.

Vtuntur præterea Principes annulis, quos vocant Sigillatorios, quibus Regiæ literæ sigillantur: hinc, de Achab Rege, dicit Abulensis. *Fuit,* Abulen. q. 9. in inquit, *valde negligens, peccauit permittendo, quòd aliquis acciperet annulum eius, quia* cap. 20. *poterant inde mala sequi, & reuerà de facto secutum est homicidium. Nam Iezabel,* inquit sacra Scriptura, *accepto annulo Regis Achab, signauit literas ex nomine illius, continen-* 3. Reg. 21. n. 8. *tes mortem Naboth.*

2.

Porro Annulus, quem perpetuò gerendum imponit Deus ipse digito Regum in desponsando illis Rempublicam, est timor Domini, quem tanti faciunt Doctores Sancti, vt præ cæteris omnibus eum præferant, & diuersis, diuersimodè accommodent: Alij quidem, quòd sit custos in specula. *Timor Domini* (inquit vnus ex Doctoribus) *est, quasi custos in specula, ne latrunculi Syriæ, id est, motus elationis vanæ gloriæ, aliorumque vitiorum, ingrediantur cor. Est quasi repressorium, super tectum domus, ne ventus popularis fauoris extollat in aëra. Est ianitor in castro animæ, sine cuius licentia nemo illuc ingreditur, & egreditur nemo.* Alij volunt, quòd sit thesaurarius diuinæ gratiæ: alij verò, quòd sit thesaurus eius, in quo optimè virtutes conseruantur. Timor Domini est Saburra, quæ licèt nauem oneret, stabilit tamen eam, ne à ventis sursum, deorsumque rapiatur, & vndis fiat ludibrium: ita timor contra cordis leuitatem, tanquam pondus quoddam hominem fundat, ne aura fauoris, & hono-

Annulum timoris Dei perpetuò gerendum imponit Regibus Deus.

& honorifluæ famæ extollatur. Vnde & Sanctus Gregorius timorem vocat, *cordis anchoram.* Alij tandem, timorem Domini, *volunt esse virtutum arcam*; alij crucem, vt inquit Cassianus: *Crux nostra, timor Domini est; sicut enim crucifixus quis, iam non pro animi sui motu membra sua quòcunque mouendi, vel conuertendi habet potestatem; ita & nos, voluntates nostras, non secundùm quod suaue est, ac delectat ad præsens, sed secundùm legem Domini, quò illa nos constrinxerit, applicare debemus.* Verùmtamen commodiùs, assimilari potest annulo desponsationis, & inuestituræ Regum, quod & ipsa forma annuli insinuare videtur, quæ est sphærica & circularis; quippè formæ sphæricæ illud proprium est, quòd ab eodem puncto incipit, & in idem desinit: hoc item proprium est timori Dei, qui est principium, & finis subiectionis legibus Diuinis, atque præceptis Dei. *Initium sapientiæ timor Domini. Finis item sapientiæ, timor Domini,* teste Salomone: qui, cùm personam Ecclesiastis assumpsisset, præmisso discursu de vanitatibus mundi, de vanitatibus Regnorum, Diuitiarum, Palatiorum, fortitudinis, scientiæ, eò quòd omnia subiecta sint corruptioni, & vanitati: subiecit tandem finem loquendi: *Omnes pariter audiamus,* & memoriæ perpetuæ mandemus, *Deum time, & mandata eius serua, hoc est enim omnis homo,* hic est finis vltimus hominis, timor Dei: hoc est esse, seu existentia, quæ non est subiecta corruptioni & vanitati, & per hunc Dei timorem, participat homo, illud esse, quod est proprium Deo. Illud, inquam, esse, quo præcipuè gloriabatur Deus, dicens ad Moysen: *Ego sum, qui sum, qui est, misit me ad vos.* Esse autem Dei natura sua est, æternum in ratione principij & finis; ille est principium & finis, timor quoque Dei, est principium & finis, atque ita per id, quod est Sphæricæ figuræ, qualis est annulus, rectè exprimitur. Verùm quia Sphærica figura volubilitatem quandam, & imbecillitatem significat: Regum autem animi firmi & immutabiles esse debent: ideo, quam firmitatem, atque à quo habeat, hic Regum annulus, meminit Dauid Propheta, dum ait: *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Chaldaica legit: *Secretum Domini manifestum est his, qui timent Deum.* Et Sanctus Hieronymus: *Secretum Domini, timentibus eum.* Simachus verò legit: *Colloquium Domini timentibus eum.*

Greg. l.6.c.27. — *Cassianus l.4. de Inst.* — *Eccl. 12. n. 13.* — *Psal. 24. 14.*

3. **Annulus qui imponitur Regibus, perpetuò gerendus est, timoris filialis.**

Omnia hæc innuunt vim, splendorem, pretium, fructus, & effectus timoris Domini. Timoris, inquam, filialis, quo præditi esse debent Reges, promouendo pietatem, & reuerentiam eius, qui potest & peccata permittere, & pœnas pro peccatis infligere, easque remittere. Ad regendum populum, prænecessaria, iuxta superiùs dicta, est sapientia, sed pretiosior est timor Domini, vt modò ex Salomone relatum est. *O quàm* (inquit) *magnus est, qui inuenit sapientiam, & scientiam, sed non est super timentem Dominum, quoniam nihil deest timentibus eum.* Non déest regendi potentia, quia sapientia à Dei timore

Eccl. 25. n. 13.

more promanat, quæ tranquillitatem in regimine facit; non déèst bonitas, quia vbi timor Domini est, illuc malitia non ingreditur: non déèst vitæ prosperitas, quia vt sol, radijs domum per fenestras ingressus, cuncta intrò illuminat; ita & Dei timor, minutissima quæque animæ & corporis ostendit obstacula, & pellit: non desunt victoriæ, testantur annales sacri, & profani, oracula, & nostri temporis triumphi, tum in nationibus externis, tum in florentissimo hoc Regno Poloniæ: non recenseo trophæa, quæ plurimorum sæculorum decursus anteiuit. En recentiora facinora celeberrima, & nunquam ex memoria Orbi delenda! quanti, quæso, æstimatur potentia Moschorum Imperatoris? quàm amplum Turcarum imperium? hæc tamen à Polonis attrita, Regno Poloniæ triumphum parauêre: Non déèst tranquillitas Regni, vbi adest timor Domini, quoniam ex Dei timore prouenit sapientia, ex hac regendi potentia, ex hac Reipublicæ tranquillitas effluit, vt dixi: ita enim hæc mutuò inter se sunt colligata, & alteri alterum coniunctum, instar circuli, & annuli, qui à se incipiens, in se terminat, vt ipsorum quodlibet imperfectum sit, si reliquis destituatur, ita sibi reciprocè correspondent, vt de vno concludi, & alia tutò queant. Sicut enim qui timens est, & sapientem esse, & regendi peritum oportet: ita & qui sapiens, & timentem esse, & regendi scium; & qui regendi gnarus, & sapientem esse, & timentem necesse est dicere: nec mirum, quia lucerna Dei super timentes eum; vnde & caput eius, assiduè ita splendet, vt ad eius lumen, vel in tenebris tutò ambulent.

Exoptat Rex ad nutum populum sibi fideliter subiectum, & obsequentem. Timeat Deum, atque ad nutum eius legibus obtemperet, & omnia ipsum timebunt, quod si deficiat à Deo, ab illo quoque omnia deficerent. Vnde enim est, quòd nunc creaturæ non obsequuntur homini? nisi ex eo, 4.
quia homo recalcitrauit Deo, & Creatori obsequi noluit. Sensus, appetitus repugnant rationi, & inde id prouenit, quia Adam propriam excellentiam, & Dominium appetendo, perdidit dominium, quod habuit, & ideo omnia animalia facta sunt ei syluestria, & magis ad nocendum, quàm ad proficiendum inclinata: qui verò perfectum habet timorem Dei, omnia illi ad nutum obediunt. De S. Francisco cantat Ecclesia: *Hic creaturis imperat, qui nutui subiecerat se totum Creatoris, quidquid in rebus reperit delectamenti, regerit in gloriam factoris.* Creaturis imperat, qui totum se ad obsequia ipsius Summi Imperatoris obtulit, ac dedicauit, qui enim timet Deum, participat de imperio eius, vt sicut Deo iure creationis omnia subijciuntur; sic & timenti Deum omnia obediunt dono gratiæ, & sicut Dei dominium, iure naturæ, ad cuncta creata extenditur, ita & timentibus Deum cuncta obsequuntur, vnde quid aliud sperandum, nisi felix, & pacatum imperiũ,

Annulus timoris Domini est tãti pretij, quòd quodcunque desideratur Regnis & Regibus, per illum acquiratur.

 fortis,

fortis, & ſuauis omnium diſpoſitio à fine vſque ad finem? Si tandem, vt reuertamur ad diuerſas lectiones illius authoritatis, firmam, & ſtabilem mentem quis deſiderat, timor Dei firmabit illam, quia vt dictum eſt Pſalmo. *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum*: timor Dei eſt firmamentum, id eſt, firmans mentem: nihil diuinius eſt in homine, nihil ſuperius, & perfectius hominis mente, ſolus Deus reſidet in mente hominis, quod egregiè expreſſit Ariſtoteles; *dum mentem ſuperiorem intellectu, & voluntate eſſe vult*, quia & intellectus, & voluntas, circa bonum, & malum eſſe poſſunt; mens autem circa venerabiliſſimum tantùm.

Pſal. 24. n. 14.

Ariſtoteles.

5.

Mentem pro Dea colebant antiqui, cùm ſit potiùs donũ Dei.

Eam ob cauſam cæca gentilitas, inter turbas Deorum poſuit Deam mentem, quæ huic operi deputata fuit, vt ad bonum pueris, aut ad malum daret ſenſum, eique veteres, & Græci quidem ſtudioſiùs, quàm Romani ampliſſima faciebant ſacrificia: vnde & Athenis lex erat, vt pueri ſtudijs imbuendi Philoſophiæ, priùs triennium, in templo illius Deæ miniſtrarent. Cæterùm mens non eſt Dea, ſed donum Dei, ab illo ſolo impetrandum, à quo ſolo dari poteſt, & ſanè iugiter poſtulandum, *quia nihil in terra magnum præter hominem, nihil in homine præter mentem, quippe bona poſſeſsio, mens bona*, inquit D. Ambroſius, & D. Auguſtinus. Nemo malus eſt, qui bonam habet mentem, quia vt inquit Ariſtoteles: *Mens, & fortuna circa idem verſantur. Patet ergo, inquit, fortunam eſſe cauſam per accidens, vt ædium ædificator per accidens eſt, quòd ſit modulator, & in hiſce eſt, quæ per electionem, alicuius gratiâ fiunt.* Quapropter circa idem, mens, fortunaque verſatur, electio namque abſque mente non eſt. Fortuna autem inſtabilis, neceſſe opus habet firmari, ideo poſtulanda eſt à Deo mens bona, mens firma, quâ præditi ſint timentes Deum. Hinc dixit Propheta, & rectè: Deum eſſe *firmamentum timentium eum*, quia firmat mentem, ne ab eo, quod eſt ſuperius mente, quandoque auertatur, & ad ea, quæ fortunæ ſubijciuntur, conuertatur. Habet mens ſua inſtrumenta, quia (inquit Ariſtoteles) *natura parens, & author omnium, inſtrumenta nobis duo inſeruit, quorum operâ, inſtrumentis externis vti valeremus; manum, inquam, corpori dedit, & animæ mentem; ſed & mentis inſtrumentum ſcientia eſt: menti namque* (inquit idem) *vtilis ſcientia eſt, vt tibicini tibia: monet tamen ſeniores ampliùs mente valere, iuniores ociùs diſcere; & rationem reddit, quia rem formæ nullam, vel paucas tenent, & ideo alias, & alias faciliùs capere poſſunt*; quomodo etiam plus meminiſſe experimur ea, quæ in iuuentute percepimus: vtrumq; timentes Deum, ab opifice naturæ obtinent, & firmamentum, ſiue fulcrum mentis, & inſtrumenta eiuſdem, ſenſus viuidos, & ſcientias. Reperiuntur arbores, quæ abſque fulcris non eleuantur in altum, ſed opus habent, vel vt fulciantur, vel vt vicinis arboribus inhæreant, vt ſursùm aſcendere valeant, quales ſunt palmites vitis: his perſimilis eſt mens humana; ideoque orat Eccleſia

Ariſtoteles.
D. Ambr. 1. Offic. c. 3.
D. Auguſt. c. 7. de Ciuit. Dei cap. 3.
Phyſic. c. 4.

sia in Festo Casimiri Poloni, *vt per merita eius*, qui semper mentem eleuatam in Deum habebat, *ita fideles in amore Dei firmentur, vt & terrena despiciant, & ad cælestia semper aspirent*, vtrumque à Deo postulandum.

6.

Omnia suspecta in Regnis, vbi Reges non gestant perpetuò annulum timoris Dei.

Quemadmodùm autem vbi est timor Dei, adsunt omnia prospera, ita, si ille déêst, cætera suspecta sunt: quid enim desiderabilius est amore Dei? & tamen & ille suspectus est, sine timore, & metu. Seraphim ardentissimè amant, laudantque Deum, non sunt tamen sine timore reuerentiali, ideoque apud Isaiam leguntur, *velare faciem Domini, & volare, atsi essent aues*; quæ etsi summo desiderio prædam cupiant, diutiùs tamen circumuolitant, & à raptu prædæ detinentur metu, pugnante in ipsis desiderio cum timore. De Diuo Petro, inquit D. Augustinus, *quòd audaci dilectione sequebatur Christum, ideo timida trepidatione ter negauit illum; quòd si tantus amator timuisset, minimè vinceretur.* Sic igitur Principes in Dei amore firmentur, vt ipsum quoque metuant, qui & peccata permittere, & culpas proportionatâ pœnâ punire potest.

D. August. in Psal. 96.

7.

Annulus timoris Domini debet esse sphæricus.

Hoc vnum autem, vel maximè procurandum est, vt sicut annulus omninò est sphæricus, ita firmam, & stabilem mentem habeant imperantes, & gubernantes Orbem, quatenùs timorem Dei habeant sine interruptione, vt sicut in timore Dei incipiunt, ita vsque in finem perseuerent absq; interruptione per peccatum. Sicut enim amicitia interrupta imperfecta est, ita & timor Dei. Si quis velit perfectum, & verum, atque syncerum cognoscere amicum, ille sanè est, qui à principio amicitiam firmatam sine interruptione vsque in finem conseruat. Amicus, qui incipit, & spernit, & iterum incipit, & spernit, nunquam verus amicus fuit; quia vbi est amicitia vera, ibi amor: vbi autem amor, ibi & patientia supportandi defectus amici, atque dissimulandi, ac consequenter constans amicitia. Amicitiam in forma sphæræ collocandam suadent Ethnici, vt idem sit principium amicitiæ, & finis, absque intermissione: quemadmodùm Christus Dominus, vt Deus, ab æterno dilexit genus humanum, & vsque in finem redemptionis, & glorificationis diligit. Idem etiam vt homo, dilexit genus humanum, ab instanti suæ conceptionis, ab instanti, quo cæpit esse homo, & dilexit vsque in finem, vsque ad mortem, vsque ad beatitudinem, nihil omisit, quo vehementem amorem decoraret, maximè verò in morte. Sol cùm occidit, maior apparet, & amor Christi maior apparuit in morte, vbi etiam est maior necessitas amoris eius. Ex quo apparet, quantùm ament, vel timeant Deum, & quàm firmam mentem gerant erga ipsum, qui postquam eum, tanquam verum amicum dilexerunt, toties ab amore, & amicitia eius recedunt, quoties mortaliter peccant. Hi non gestant annulum timoris Dei, qui cùm sit sphæricus, interruptionẽ non supportat.

8. Magni momenti ſunt, hæc timoris Dei commoda, ſed ampliora videamus. Firmamentum ſtellarum in terra fundat, & Deum nobis familiarem efficit in colloquendo, & communicandis ſecretis timor Domini: vt ex diuerſa lectione horum verborum. *Firmamentum eſt Dominus omnium timentium ſe, &c.* innoteſcit. Sanè Regnum, per timorem Dei, eleuatur ad ſplendorem, & pulchritudinem firmamenti cælorum, ſi vulgatam ſequamur. Regni quippe, quod timet Deum, firmamentum eſt Dominus, ornans, & producens Rempublicam ſplendidam ſyderibus ſolis, Planetarum, & ſtellarum, perſimilem huic firmamento viſibili, quod vocamus cælum ſtellatum. *Vas admirabile,* (inquit Eccleſiaſticus) *opus excelſi ſui,* magnitudinem, venuſtatem, lucem, calorem, virtutem, in hæc inferiora influxum, & beneficentiam, motum ordinatiſſimum, curſum celerrimum manifeſtans; ita vt Aſtronomi affirment, ſolem conficere ſingulis horis, nonies centies millies millia paſſuum. *Opus excelſi,* per Antonomaſiam eſt enim inter res corporeas omnium ſpecioſiſſimum, & fructu vberrimum, opus dignum diuinâ Maieſtate, oculus Magacoſmi; ſicut oculus corporeus eſt oculus Microcoſmi; eſt inquam oculus mundi, qui ſitu, luce, vtilitate eminet: & hoc, ſi firmamentum accipiatur, non ſolùm pro octaua ſphæra cæli, ſed etiam pro toto corpore, quod ſupra terram, & aëra expanditur. Hanc Machinam Architectus cæleſtis erexit, & mirâ varietate ornauit, vt eſſet ſpeculum gloriæ Dei, & quaſi ſolium, & thronus Maieſtatis eius, virtutis, & pulchritudinis præco; *nam cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Quod Deus in cælis, hoc timor Dei in terris myſticum firmamentum perſimile cælo ſtellato producit, vt eſſet ſpeculum beneficentiæ Dei, erga Reges timentes ipſum. Vbi Reges, tanquam ſoles ſplendidos, in quarta ſphræra collocauit, vt aſtrorum Principes, quaſi in Regni medio vim ſuam diffunderent in omnes. Simili ratione ſtellas in Repub. rutilantes poſuit viros Prælatos, & Magiſtratum, non caliginoſos, id eſt, vitiorum labe denigratos: non pallentes, id eſt, ſtupidâ ignorantiâ miſerabiles: non cruore conſperſas, id eſt, homicidas, & ſanguinarios: non fuſcas, id eſt, diuitiarum nigredini inhiantes: non luridas, id eſt, libidinoſos, & turpes: non fuliginoſas, id eſt, torpore, & deſidiâ graues: non errantes, perſimiles ſtellis errantibus, vel potiùs igneæ impreſſioni, per aëra volanti, id eſt, ſuperbos: exitiale prognoſticum eſt ignis, impreſſio quaſi ſtella aëra peruolans, homines quoq; exitiales ſunt prognoſticon Reipublicæ. Iucundum verò omen ſunt viri virtutibus ſplendidi, & Rex in ſolio Regni ſedens, qui eſt in Regno, ſicut ſol in firmamento; & ſicut ſolem orientem etiam herbæ ſoliſequæ, quaſi ſalutant, & ad communem parentem ſequuntur: animantia quoque lætitiam profe-

Reſpub efficitur ſyderea, perſimilis firmamento cæli, vbi ſplẽdet annulus timoris Domini.

Pſalm. 24.

Eccl. 43. n. 3.

Pſal. 18. n. 1.

runt, & plantæ viuacitatem; ita præsentia Regis timentis Deum cunctos recreat.

Præterea timor Dei familiarem nobis facit Deum in colloquendo, & secretis communicandis: vt videre est, si attendamus ad Chaldaicam lectionem verborum illorum Psalmistæ: *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Chaldaica dicit: *Secretum Domini manifestum est his, qui timent Deum.* Et Symmachus. *Colloquium* (inquit) *Domini, timentibus eum.* Hæ lectiones maximum splendorem annuli, & fructum timoris Dei insinuant Principibus. Politici docent authoritatem Principum conseruari per absentiam, & colloquia rara, cum vulgo: item in suauitate morum, si ita ipsos temperent, vt & tristitiam exuant, & arte authoritatem conseruent: absentia autem, ita vt non sint omnibus præsentes, ne assiduitatis fastidio vilescant, sed authoritatem tueantur. Nam plerumque vilis, qui nimis familiaris: quòd continuus personæ aspectus, vel magnos societate, minùs venerandos faciat; & maiestati maior ex longinquo veneratio, inquit Tacitus: *omneque magnum rarum, omneque rarum carum.* Quod si Principes terræ ad saluandam Maiestatis authoritatem, cauêre à colloquijs vulgi, Politicorum consilio, & aspectum negare debent, quantò magis Maiestas diuina? vnde & populus Israéliticus dicebat, timens, ac stupens ad Moysen: *Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Dominus.* Nihilominus tamen Christus Dominus nobis comparauit, vt familiarissimus esset Deus colloquijs hominum, & quod antiqui Israélitarum Patres assequi non poterant, post Christum id habent, non solùm Reges, sed & Regna, & populus Christianus timens Deum. Non enim spectamus Deum à longè loquentem, sed intùs experimur suggerentem, quæ nobis sunt necessaria. Quantò magis communicationem secretorum? Secretum vulgare indignis, & leuibus, animi vitium est; ideoque arcana, ne leuia quidem pandenda suadent Politici, nisi ijs, qui celare & secretum seruare nôrunt. Et si quid aliquando secretum dicere contigerit, rem omnem non reuelandam docent, sed semper tibi partem celandam, inquiunt; quia vulgare, secreta propalare, atque reuelare solent leues, vel iactationi assueti, ad ostendendum se grauia scire, vel incautâ loquacitate, sine iudicio, emittendo irreuocabile verbũ: Vel adulatione, ad placendum cui reuelat, vel quòd ratio deficit, quòd corde mollis, quòd laudem ambit, quòd quanti damni sit, ea reuelare, non percipit: nec amicum ab æmulo discernit, qui temerè cuicunque leuiter applaudenti, repandit; vel inde laudari se credens, quòd tanti fiat apud communicantem secretum, vt & arcana illi committat, vnde & hinc semper armatur, quomodo ei dominetur.

Chaldaica.
Psalm. 24.
Symmachus.

9.

Doctrina Politic: de conseruanda authoritate Regum.

Tacitus.

Exod. 20. n. 19

10.

Cæterùm iuxta translationem Chaldaicam, timor Domini operatur, vt se-

Annulus ti-

moris Dei efficit, vt Deus secreta sua cōmunicet Regibus, & per eos subditis.

4.*Reg*.20.*n*.13.

vt secreta sua reuelet Deus Regibus, & per eos subditis: *Secretum* (inquit) *Domini manifestum est, timentibus eum.* Si amico panditur secretum, id magni amoris, & confidentiæ signum est, vt Regem Ezechiam, Legatis Babyloniæ secreta sua communicâsse legimus. *Non fuit verbum*, (inquit Sacra Scriptura) *quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.* Nec leuius signum amoris fuit Christi Domini, erga Moysen, & Heliam, quando communicauit illis secretum de excessu Passionis; de quibus nulla fuit suspicio proprij commodi, tanquam hominibus alterius mundi mortuis, & in paradisum translatis. His communicauit excessum dolorum in morte, qui fuerunt intensissimi ratione complexionis delicatissimæ, operâ sancti Spiritus productæ; & ratione summi odij Iudæorum in Christum, item ex excessu dignitatis personæ multitudine redimendorum. Olim dicebat Deus: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Sed dum aduenit tempus amoris, & misericordiæ, voluit pectus, & cor proprium lanceâ aperiri, vt nihil ampliùs lateret in corde, quod nobis non communicaret: atque vulnus patens suscepit, vt ampliùs non lateret secretum, sed pateat arcanum cordis, per foramen pectoris. Ante aduentum Christi, poterant dicere homines: *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Nunc autem inquit D. Bernardus. *Clauus penetrans factus est clauis reserans, scilicet, arcana Dei.* Vnde & Christus Dominus dicebat ad Apostolos: *Quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, partim prædicanda populo, partim celanda. Mos quippe Dei est; alijs quidem, vt magnalia Dei in se peracta prædicarent, alijs verò, vt secreta Dei celarent. Et Ioanni quidem Apostolo, hoc singulare permissum fuit, vt quæcunque arcanissima verba Dei exciperet, siue ex pectore Christi quiescentis in cœna Domini, siue in Apocalypsi, vt possit illa securissimè, & felicissimè eloqui, ad salutem animarum. Sanctus Stephanus præterea, cùm fuit plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Quis non miretur virum sanctissimum, humillimumque, sic suas reuelationes publicantem? Is erat Stephanus, cui non secretò Deus magnalia sua pandebat, sed ita, vt ea eloqui possit, & securè publicare. Vnde D. Augustinus ait: *Vidit Iesum stantem ad dexteram Patris, vidit vt non taceret, & peruenit ad eum, quem vidit. Fiebant hæc Dei magnalia coram Stephano, non vt celarentur, sed potiùs vt notissima essent popularibus, ideo Sanctus vir illa prædicat, imò ex illarum publicatione sibi coronam parabat.* At verò D. Paulo concessum non est publicare sibi reuelata cælestia arcana. *Et scio*, (inquit) *huiusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Reuelantur D. Paulo magna, & indicitur silentium ipsi; D. Paulo reuelantur cælestia arcana, & non datur facultas, quâ

Isaia 24.*n*.16.

*Bernard.serm.*61.*super Cant.*

Ioan. 15. 15.

Actor. 7.*n*.26.

S. August. ser. 94.*de diuersis.*

2.*Cor*.12.*n*.2.

quã possit ea populis explicare. Hinc ait Origenes. *In tertium cælum raptus, vas electionis audiuit verba, quæ non licet homini loqui.* Ioannes intimæ veritatis inspector, vltra omnes cælos, id est, in paradiso paradisorum audiuit vnum verbum, per quod facta sunt omnia, & licuit illi illud verbum dicere, hominibusque prædicare.

Origen. super Ioan. Homil. 2. in diuers.

II. Regibus reuelat Deus secreta sua, si timuerint ipsum, siue per inspirationes internas, siue per alia media, vt publicent, & secundùm illa gubernent, in ordine ad salutem subditorum, & gloriam Dei, quoniam timor Dei familiarem illis comparat Deum, & secretorum participes facit. Hi itaque sunt timoris Dei fructus Reipublicæ vtilissimi, & splendores annuli Regij. Quapropter nunquam ex digito annulari, amouere hunc annulum salutare est Regibus: maximè verò timeant Deũ, nec permittant nouitates in Regnũ introduci, sed priscos, & patrios mores, & Religionem conseruent. Iustum est sanè, vt eum timeant Principes, à quo se factos, à quo & disperdi posse nouerunt; iustum est, vt timeant eum, qui auferre spiritũ Principũ potest. Dantur Principib⁹ spiritus à Deo iuxta gradum Imperij, ita, quòd quò quis ad regendum validior, eò maiori spiritu foueri dicitur: quod de Daniele legimus, qui superabat omnes Principes, & Satrapas, quod spiritus Dei amplior erat in eo; similiter Deus Regibus tantum spiritus, & virium tribuere solet, quantum ad creditos sibi populos regendos satis futurum nouit, alioquin onus viribus impar imponens, iniurius esset, quod dictu nefas; vnde Dauid orans dicebat: *Et spiritu principali confirma me;* & subdit: *Docebo iniquos vias tuas, &c.* Et hi quidem spiritus sunt Angeli custodes, quorum ductu, omnia hominibus explicare est facile, ex quibus tot Regibus sunt assignati, quot Prouincias, quot Regna habent, qui in custodiam Regi adstant, quousque Prouincias, & Regna habet, qui in custodiam Regi dati sunt, vt & ipsi Prouincias, & Regna regant, custodiantque. Vnde & Dauidi à muliere dictum est: *Tu Domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* vel vt alij legunt, *iuxta sapientiam Angeli Dei, qui tibi assistit.* Sicut ergo magna beneficentia Dei elucet erga Reges, ex eo, quòd mandato eius assistant Regibus spiritus Angelici, quousque timent Deum, ita inexplicabilis pœna peccati, *dum aufert spiritum Principum*, qui non timent Deum.

Annulus timoris Dei, familiarem facit Regibus Deum, & quibus opus habent, ad diligendos rectè subditos, eos edocet.

Psal. 50. n. 14.

2. Reg. 14. n. 20.

Quod si per spiritum velit quis intelligere animam, & hoc ipsum, valde timendum esse Deum, insinuat: de Principibus, & diuitibus dicit Dauid: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis;* alia translatio habet: *& non inuenerunt manus suas;* ad tantam pauperiem deueniunt in morte, vt nec manus habeant, quibus possent ad vnum diem, horam, quadrantem, minutam, detinere animam, ne euolet ad mandatum Dei, & cadauer inanimatum relinquat. Regum, & Principum potestati Deus subie-

Psalm. 75. 6

subiecit Orbem, non solùm quoad vsum, fructum, sed etiam quoad dominium, quod non concessit Angelis. *Non enim Angelis* (inquit D. Paulus) *subiecit orbem terræ.* Reges verò subiecit morti vt homines, potestatem autem, ac dominium mortis, & vitæ, hæc duo soli sibi reseruauit. Hinc sicut Reges terræ in literis, cæterarumque scripturarum ad gubernationem propriam spectantium expeditionem, præmittit titulos; verbi gratia, Rex Poloniæ. Vladislaus Rex Poloniæ, Seciæ, & Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, &c. ita solus Deus hunc titulum habet, quòd sit Dominus vitæ & mortis. Vnde de illo dicitur in libro Sapientiæ: *Tu enim es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem*, nulli alteri hoc concessum est, ille ergo timendus est, qui aufert spiritum Principum, animas eorum rapit, & vbi vult, collocat.

Hebr. 2. n. 5.

Sap. 16. n. 13.

12.

Annulus timoris Dei ex quo comparatur?

Comparatur autem partim ex cognitione Dei, timor Dñi, partim ex cognitione sui: Cognitio enim suiipsius multùm confert, ad comparandum timorem Dei, & ad rectè gubernandum populum. Hinc enim auspicabitur Princeps rectum regimen propriæ personæ, & populi, ex se enim noscet, quid alijs prosit, vt quam in se ex superiore regulam caperet, eâ in inferiores vtatur, vt subiectis quasi filijs imperet, quinimò vtrumque simul & semel. In timente Deum plerique requirunt, vt qui Deum nouit, & se Deo similem in imperando recognoscit, nil indigni tractet, & qui similem se iudicat homini, quem gubernat, à violentia in gubernando abstineat. Non est huius loci decernere, an eodem actu possit quis Deum & seipsum nosse, vel Deum & seipsum diligere: & quidem primum non esse possibile, alterum verò, ita fieri debere, Doctor subtilis docet: Nunc verò satis est nosse, quòd ex vtriusque cognitione, Dei & suiipsius hauriunt Reges instructionem bene regendi subditos, & acquirunt, nam in his tanquam in axibus & polis, voluitur machina mystici firmamenti, quasi æterna rota æterni annuli, à Deo digito Regibus impositi; non enim in hoc solo sistit perfectus timor Dei Regum, quòd ipsi timeant Deum, sed requiritur vt populus quoque regimini eorum subiectus, non sit extra timorem Dei: necesse est, vt cæteros timere Deum doceant, legibus, adhortationibus, ad firmitatem Regni stabiliendam. Ordinatè autem eos instruendos esse oportet, primùm enim aulam suam, & domesticos timere Deum edocere debent, deinde verò vrbes, & ciuitates, tandem Prouincias, & Regna. Sic suadet Salomon, & hanc methodum proponit, vt *primò domum suam rectè disponat, postquam seipsum rectè disposuerit*, deinde Prouincias, & Regna in timore Dei instituat. Hoc idem & D. Paulus: *Qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei, &c.* vbi insinuat populos docendos gradatim, ab admonitionibus ad pœnas, à pœnis ad alia reme-

Sapient. 9.

1. Timoth. 3. 5.

remedia procedendo, absque violentia tamen: quia qui domum suam conturbat, hic est, qui nihil possidebit, nisi ventos, id est, fastum, & inanem tumorem, & reuerà seipsum bene gerere difficile est, multò tamen difficilius multitudinem bene disponere: instruet tamen, iuuabit, & informabit timor Dei, quo Rex munitus etiam difficillima regiminis impedimenta superabit, virtute, & potestate huius annuli, quem nunquam ex digito annulari, & ex corde amouere debet. *Quid enim erit Tribunal iudicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant infantis?* inquit S. Augustinus, loquens de Herode, sed hoc de timore seruili: in Regibus autem Christianis, timor Dei filialis est ornamento Regum.

S. August. ser. 2. de Epiph. qui est 30. de tempore.

CAPVT XXI.

Splendor primæ gemmæ, in annulo desponsationis, seu inuestituræ Regum, subditorum dilectio, cui correspondet, vltronea populi, erga Regem, reuerentia & amor.

NVllum fortius est stabilimentum Regni, aut Reipublicæ, Ciuium, & Ordinum, amore in Regem. Verùmtamen Seneca ait: *errare eum, qui existimat tutum esse Regem, à quo nihil tutum est*: ita erraret, qui diceret Ordinum seu Ciuium amorem, atque Maiestatis venerationem tutam esse, vbi amor Regis in subditos tutus non est: ideoque Annulus in Regia manu fulgidus, amoris erga Sponsam Rempublicam testis: non est imaginandum, annulos olim magno in pretio fuisse, non solùm apud Ethnicos, sed & apud Hebræos, quòd pretiosissimis gemmis prægnantes essent ad ornatum, quanquam enim & ornatui deseruiant, deseruiunt item & ad alia superiùs dicta, ad consignanda ea, quæ in magno pretio habentur, ad sigillandas arcas, &c. maximè tamen ad innotescendam dilectionem, & amorem: ideoque & pijssimus Pater, *prodigum filium amplexans, ac paternè complectens, dedit annulum in manu eius.* Hieremias etiam Propheta ait: Deum similitudine annuli insinuâsse auersionem, & amorem in Regem Iechoniam, dicens: *Si fuerit Iechonias filius Ioàchim Regis Iuda, annulus in manu dextra mea, inde euellam eum*: acsi vellet dicere, si Iechonias fuerit concors voluntati meæ, & secundùm vias meas ambulauerit, habebo ipsum vt annulum, qui est symbolum amoris in manu mea: quòd si recalcitrauerit, non aliter eum abijciam, atque annulum.

13. Stabilimentũ Regni, est dilectio Regni, & Maiestatis Regiæ veneratio.

Hier. 22. n. 24.

Eam forsan ob causam in gemmis annulorum antiqui nomina, vel imagines

14. gines eorum, quos diligebant, gestabant, vt perpetuam memoriam eorum cõsequerentur, constabat enim gemma aliqua, vel lapide pretioso pallæ annuli incluso, in quo res dilectas incisas ferebant. Sic Pyrrhus Epirota in gemma annuli, nomen & Musas incisas ferebat; alij effigiem parentum expressam, vel familiæ suæ stemma, &c. alij pignus amoris in personam dilectam, quo excitarentur, vt de illa cogitarent, eiusq; mores exprimerent, illumq; deligerent. dabatur enim frequenter talis annulus illis, quos Rex maximè colebat, & à populo suo honorari volebat. Sic *Pharaô annulum suum dedit Iosepho*, vt dixi: & Assuerus Aman. Insuper *de annulo sigillari* apud Hieremiam habetur. Ad quem morem alludens cælestis Sponsus: *Pone me*, inquit, *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Quasi diceret: Præfer in manu tua meam imaginem in annulo expressam, ne vlla vnquam mei obliuio in te obrepat. Huc pertinet illa Dei promissio ad Hierosolymam: *Ego*, inquit, *non obliuiscar tui, ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Vbi promittit seruaturum se memoriam Hierosolymæ, ex illius imagine, quam in manibus, siue in annulis descriptam præferebat. Nec alio videtur respexisse ipse Deus, quãdo Zorobabelem consolabatur. *Assumam te*, inquit, *Zorobabel serue meus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi*: hoc est, Bono esto animo, quia tuam imaginem meo annulo insculptam, meis digitis insertam teneo, cuius admonitione perpetuam tui memoriam conseruabo. Neque solùm in gemmis annulorum, sed & in nummis ea, quæ amorem testificarentur, describere mos erat, vt multis exemplis declarari potest. Sed domesticum illud, de quo in gestis Europæ meminit Paulus Piasecius, referens solemnitates in nuptijs Sigismundi Tertij Regis Poloniæ, cum Anna Austriaca, quibus, inquit, nihil defuit, quod à quantumuis potentissimo & opulentissimo Monarcha in lætitiam effuso, sumptuosissimum desiderari posset: illud verò speciale ad nostrum propositum fuit, quòd spargebantur, vt vulgus est, nummi argentei, & annuli argentei, in quorum vno latere palmæ transmedio mari, ad inuicem inclinatæ, illud aureum symbolum habebant: *Amor distantia iungit*; ab altera parte, *Aquila Imperij*, & *Aquila Regni Poloniæ*; sub his pendentibus Austriæ insignijs, cum alio symbolo: *Ast animos sociâsse iuuabit.* Iob quoque magno desiderio desiderabat, vt non solùm scriberentur, sed & sculperentur sermones eius. *Quis mihi* (inquit) *tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, vel plumbi laminâ, vel celte sculpantur in silice?* Quod si amoris insignia in nummis, in laminis, vel silice exarare adeò desiderabile est, quantò magis laudabile, in pretiosa annuli gemma, obligationem Regis erga sponsam, Rempub. scilicet, & filios eius subditos Regis, exprimere?

In annulis & nummis testimonia amoris describebantur.

Gen. 41. v. 42.
Esther. 8. v. 10.
Hier. 22. v. 24.
Cant. 8. n. 6.
Isaia 49. n. 16.
Aggei 2. 24.
Piasecius.
Piasecius in gestis Poloniæ.
Iob. 19.

Verùm,

Verùm, in quo hic amor Principis erga Rempublicam consistat, operæ pretium considerandum est. Consistit sanè in eo, vt Princeps diligat subditos, alat, & defendat; quæ partim in hoc capite, partim in sequentibus illustranda sunt: hæc tria sunt, quæ Respublica, seu Regnum à Rege exposcit; & vicissim ei debet propterea, reuerentiam, obedientiam, & tributa gratitudinis ergô. De singulis seorsim agendum est, sed priùs inquirendum, quodnam ex illis tribus præponderet? Verùm cùm primùm, scilicet, diligere, sit voluntatis, cætera necessitatis, id quod voluntatis est, principalem locum obtinet. Perinde ac si populi obediuerint Regi, tributumque exsoluerint ad defendendum opportunè, non tamen pro bona voluntate, & alacres; parùm abest, quòd nihil fecisse dicerentur: ita & si Rex dederit quidem subditis panem, non autem ex affectu, quasi non dedisse videtur: cùm igitur vbertatem prouidet, defensionem subditis meditatur, si dilectio desit, & panem, & defensionem, id est, laborem omnem omittit. Itaque si vbertatem vberiorem elargiatur, si defensionem sagittis acutiorem intenderet, dilectionem verò non prosequatur, perinde se habebit, acsi cui cibum dederit, potum autem negauerit, hoc autem non esset cibare, sed suffocare. Ideo rectè Diuus Paulus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et *plenitudo legis est dilectio.* Et Cant. 8. 6. *Fortis est vt mors dilectio*: quòd sicuti mors finis actionum est, sic & dilectio finis voluntatis, nec enim aliud agendum remanet his, qui mortem appetiêrunt, nec aliud volendum his, qui dilexerunt. Horsum spectat, quòd Christus Dominus, instituturus super vniuersam Dei Ecclesiam, Summũ Principem Petrum, in dilectione eum præcipuè ita explorauit, vt non semel audiuisse contentus *amari se ab illo, iterùm, & tertiò, amaretné se, rogauit.* Quid mysterij? Pastorem electurus non de experientia rei gregalis, sed de amore interrogat, vt qui cum amore quid agit, rectè omninò agere necesse esse ostenderet, & Rex sub amandi conditione, Imperium sibi traditum intelligeret.

15. In quo consistit amor Principis erga Rempub.

D. Paulus 1. Cor. c. 13. n. 1.

Ad Rom. 13. Cant. 8. 6.

Plura autem sunt, quæ Reges mouent ad dilectionem populorum sibi subiectorum: & inprimis, quia commendantur à Deo, tanquam sui proximi, tùm, quòd nunquam Rempub. bene regere poterint, nisi pari ac seipsum beneuolentiâ subditos prosequantur: tum tandem, quòd Regum in subditos dilectio, Dei in se dilectionis ara, eo certa est, vt quidquid il-

16. Quænam sint illa, quę mouẽt Principem ad dilectionem Regni?

lum orauerint, exoraturos se certò sibi polliceantur. Et reuerà à Deo mandatum Rex habet, vt illos diligat; ideo iustum est, mandato eius obedire, docente Christo: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, proximum autem sicut teipsum, hæc sunt mandata Dei, in quibus tota lex pendet & Prophetæ.*

Mat. 22. n.37.

Nunquam etiam bene Rempublicam Rex regere poterit, nisi subditos ita, acsi seipsum diligat, & quod sibi optat, optet & dilecto. Quod si quod maximè quis sibi optat, est; vt sit in suo statu pacificus, quietus, opulentus, & sine vlla perturbatione tranquillus, id igitur optet & dilecto, & id ipsum attentiùs procuret. Rex diligens Rempublicam, subditosque, & pacificam illam, quietam, opulentam videre cupit: & talem satis reddere enixè studebit, & assequetur. Deus enim sedulò bene operantibus propitius adest: sicuti si contra fecerint, iratus. Iustum autem Dei iudicium, certum est assimilari affectibus: ita vt ijs comparia, quæ nos egerimus, obuenire nobis videamus: timereque debemus, ne, dum in Deum peccamus, parem retributionem ab hominibus recipiamus.

Piasecius.

Inter alias virtutes Sigismundi III. Regis Poloniæ, illud silentio transmittere non licet, quod ad nostrum propositum deseruit, nimirum, quòd tanti faciebat salutem subditorum, quanti & propriam: nam cùm sub alterum ex Suecia discessum Culmariensem portum peteret, vique ventorum, nauis, quæ Regem vehebat, in periculo esset, ne compagibus solutis mergeretur; cymba vna superfuit, quâ Rex ad littus euadere, & saluti suæ consulere posset, quam cùm esset conscensurus, & aliquot, vel timidiores, vel audaciores, in eandem se demitterent, vnusque ex ijs, quibus Regiæ salutis cura demandata fuit, strictis armis ab ascensu arcere vellet: Desine, inquit Rex, & vnumquemque saluti suæ, quam quiuis tanti æstimat, quanti & ego, & vos meam æstimatis, consulere. Quid laudabilius, vbi amor Regius in propria pericula animosus, in subditorum verò tuta, timidus manifestatur?

Psal. 114. n. 1.

Præterea si Rex Deum propitium sibi cupit, & vt in postulatis exaudiatur, dilectionis aram extruendam suadet Sanctus Propheta: *Dilexi*, inquit, *& exaudiuit Dominus vocem orationis meæ.* Persimilis vtrobique reciprocationis causa est, quoniam dilexi exaudiuit, quoniã exaudiuit dilexi, sicut autem dilectione subditorum, quies, & tranquillitas Reipb. conseruatur: ita & Regum, experientiâ id edocente, in clementissimo Principe Vladislao IV. qui quoniam initio imperij sui orientis, tantum amorem erga subditos declarauerat, tantum reciprocè animum eorum sensit, quem etiam in dies vsque ad præsens magis crescere, non solùm ob præstantia in Republica merita, sed ob clementiam, & propensionem in subditos

ditos sibi obedientes, perspectum habemus. Cùm autem contrariorum eadem sit ratio, sicut dilectione Regnum conseruatur, ita odio, & maleuolentiâ ruit. Vno flatu videmus extingui lumen & accendi, calentes dapes refrigerari, algentes manus calefieri: sic vnius voluntatis effectus, dilectio, & odium est. 17.

Verùm, quænam sint illa, per quæ subditis innotescit dilectio Regum erga ipsos, videamus? Tria præcipuè, (inquiunt Politici:) nimirum remissione culparum, & pœnarum, liberalitate, atque exhibitione beneficiorum, & gratiarum, & tandem priuilegiorum concessione, quibus adiici potest id, quod habet Tacitus. *Victis graues pœnas, & in deditionem venientibus clementiam exhibendo.* Aduertendum tandem seriò, (vt à primo dilectionis signo incipiamus) quibus ignoscenda sint mala, sicut enim, quod bonis bene fit beneficium, gratia ea grauida est bonis: sic & quod malis, grauida malis; mali igitur tantò celeriùs, ac asperiùs puniendi, quantò sunt pestilentiores, veneni instar, quod quò præsentiùs, eò cautiùs vitandum, bonis autem dissimulare, salubrius est.

Quænã sint illa, per quę subditis innotescit, Regũ erga ipsos dilectio? *Tacitus Annal.* 2.

Videndum quoque, cuius ætatis peccantibus sit indulgendum? inquiunt illi, vt non illis iunioribus, quos in peius ruituros Respub. formidat, sed maturioribus, quos fore frugi sperat Respub, virisque aliàs probis, & qui humanum per lapsum, aut etiam impudentiore prouocatione lacessiti, non vltroneâ temeritate quid patrârint, remittenda. Deinde, quos ab anteacta, & à præsenti vita ita resipituros diiudicauerint, vt intra leges contenturos se credere certò inaugurari possint. Ab anteacta, inquam, quòd qui diu tranquillè vixit, diu, semperque victurum se professus est, 18. nec aliud viuendi genus experturum, quàm quod hactenus transegit. A præsente, quòd præcipitem ætatem pacatè elapsi, pacatam pacatiùs elapsuri censentur. At verò, qui ebuliente iuuentutis feruore, atque adeò in potissima ætatis parte iniquè agere inceperunt, atque huius, illiusué fauore fisi, iterum & tertiò Rempublicam turbare non desinunt, tantum à gratijs merendis absunt, vt omninò eradicandos sit constitutum. Nam & semel ad malitiam deditus, procliuis semper ad malitiam præsumitur. Hoc ideo capiat Princeps, qui humilioribus, & quos sui errati pœnitet, det gratiam. Nam:

Quibus ignoscendæ culpæ, & quibus non?

Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.

Superbioribus, & refractarijs iustitiæ fulmine resistat: certè, quòd illorum misereatur, hoc odio habeat. Maximè verò attendendum est in remissione culparum, & pœnarum: an quis peccet in Principem? an verò in singularem personam? Qui peccat in Principem, vt Principem, peccat in caput, & ideo omnium subditorum capita offendit. Hinc Deus præpotens,

Exod. 32. n. 33. tens, qui est caput omnis creaturæ, inquit. *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Proinde sicut vlciscendo, non se vlciscitur Rex, sed Principem in persona sua, quem vlcisci tenentur omnes, imò & populum vniuersum in Principe, in quo solo saluo, saluus est totus grex; sic & remittendo, non suam, sed alienam remittit offensam, non gratiam facit, sed iustitiam potiùs negligit. Qui enim leges violat, is & populum violat, cuius salutis gratiâ leges constitutæ sunt. Et qui Principem iniuriâ afficere audet, is & leges iam violabit, quæ solius Principis custodiâ tuentur. Si peccat in Principem, vt singularem, alter sit Princeps, obliuiscatur in se iactas offensas. Non leuis punitio, ostendere posse punire. Nam & Deus Luciferum quidem, à quo vti Deus offensus fuerat, notâ seueritate puniuit: Adæ verò clementiam, gratiamque fecit. Sic enim fiet, ad quod maximè attendendum est Principi, ne, vt docet Tacitus, grauiora sint remedia, quàm delicta. Sanè sicut magni animi non est, de alieno esse liberalem, sed tantùm de suo sibi subtrahendo; sic & non clementis, in alieno dolore esse facilem, sed suis stimulis agitati, nec prosilire, atque adeò intelligere magni animi esse, iniurias in summa potestate pati, nec quidquam gloriosius Principe impunè læso. Nec leuis Regis vltio est, ampla vlciscendi potestate pollere, sicut nec leuis est sceleroso pœna, suum in caput gladiũ sibi in horas pendulum videre. Quapropter Principi, in pœna imponenda, id attentiùs spectandum, vt vtile ex ea, non maius damnum in Remp. eueniat; alioquin parcendum, vtcunque læserint. Aliud, quo maior Regum erga subditos dilectio manifestatur, est gratiarum exhibitio. Verùm & in gratijs faciendis, ad multa attendendum esse, suadent Politici, quæ ad certam regulam aliqui reducere tentârunt: dum consulti à Regibus, quibus gratificandum est? Parentibus primùm, mox & amicis, responderunt. Et rursus, quomodo Parentibus gratiæ dignæ agantur? in nihilo eos contristando. Sed ampla nimis regula est hæc, & quâ non raro Rex falli posset, non quâ parentes, amicosuè ipsos singulariter respicit, sed quâ pro alijs intercedere, vt plurimùm solent, minùs alioquin ex auditione dignis. Meliùs itaque assuescere cum Cæsare gratias ita facere, vt causas apud se rogantium, gratiores esse ostendat, quàm preces; neque spectare, quàm tuus sit necessarius, qui te orat, sed quâ mereatur, pro quo orat.

Tacitus.

16. Gratiarum exhibitio est signum dilectionis Regũ, item priuilegiorum concessio.

Quare ita gratiæ exhibendæ sunt, ne gratias impertiendo, de munere dignitatis Regiæ diminuatur, non enim abundantiam gratiarum tantùm in manibus gestare debet, sed sceptrum quoque in vna manu, & in altera pomum. Et pomum quidem, in signum Orbis, atque abundantiæ, siue etiam, vt alij putant, vicissitudinis; rerum humanarum ratione sumpta, à Mathematica demonstratione, quâ sphærica figura volubilissima omnium

nium videtur, ſicuti & cubica firmiſſima omnium, illa, quòd ſolo puncto planum tangat; hæc quòd æquo plano. Vnde veteres ad fortunæ mutabilitatem indicandam, in lapideo globo inſidentem eam pinxerunt: ſicuti ad ſapientiæ firmitatem Mercurium in cubica baſi. Monetur itaque Rex hoc hieroglyphico, infirmam eſſe nimis Regni eius poſſeſſionem, & fortunæ vicibus lubricæ obnoxiam, quæque facillimè collabantur, niſi dilectionis baſi, id ſibi confirmare ſtudeat. Dilectionis verò propagandæ ſemen iuſtitiæ eſſe, virga, quæ in dextra pingitur, indicium eſt. Ita quidem vt patrem ſe eſſe ſemper meminerit, & virgam ad correctionem, non ad extinctionem tenere: vera enim Regis illius ſententia, diuinæ naturæ inſtar, quæ non fremit, nec indignabunda eſt: ſed ſuauis & tranquilla, quæque non metu, ſed ſuadelâ, & gratiâ omnia ad ſe trahit. Priuilegiorum etiam conceſſione, & conſeruatione, amabilem ſe Rex oſtendere debet, tamen vt non in priuatam vnius vtilitatem facienda penſet, monent Politici. Nec multa nimis faciat: Nam quò indulgentior eſt liberalitas, eò ineuitabilior fit peruicacia. Nec enim prætextam tenere viam ſat eſt, niſi & ita raro tenuerit eam Princeps, vt ne via quidem videatur, aut dici poſſit, ne frequentiùs trita, iuſtitiæ viam, quæ ipſi ordinaria, & Baſilica populorum eſſe debet, occupet. Nec enim omnibus gratiæ capacibus ſtatim gratandum, alioquin, quæ cauſæ iuſtitiæ? Hinc monet Tacitus. *Prudenter gratias, & priuilegia concedenda eſſe*, dum ait: *Beneficia eò vſque læta ſunt, dum videntur exſolui poſſe, vbi plurimùm anteuenêre, pro gratia odium redditur.* Et reprehendit quendam: *Quòd ſine iudicio, ſine modo donaret ſua, largiretur aliena.* Rationem aſſignat: Quia aut ſatietas capit illos, qui omnia tribuerunt, aut eos, cùm iam nihil reliquum eſt, quod capiant. Proinde id maximè in priuilegijs concedendis Principi obſeruandum, vt ſingulari aut perſonæ, aut corpori, collegioué gratificans, Regni ſui cuſtodiat authoritatem, non tantùm, quid hodie fiat, quantùm quid ſuo tempore fieri inde poſſit, inſpectet, ne Rempubl. inde periclitari contingat, non quidem ab externo conflictu, ſed ab inteſtinis malis. Perículoſa ſunt vulnera, quæ ſub oſſibus tegunt ſaniem, nec vlla ſe, aperiente cicatrice, ſub oculum venientia perículoſiùs vlcerant, quò interior plaga.

Tacit. Ann. 4. *Tacitus Hiſt. 1.* *Tacit. Ann. 3.*

20.

Quare ſi in detrimentum Reipub. vergant priuilegia, remouenda ſunt, Deum imitando. Ait Deus: *Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum.* Abſcondere faciem, & auferre Maieſtatem, nil eſt aliud, quàm non ita ſe benignum ijs oſtendere, atq; à noua fauorum impertitione ceſſare: Conſiderare nouiſſima, & quorſum tendant eorum progreſſus, quis finis eorum, agnoſcere: nonniſi ad ſummæ rei occupationem, ac ad rebellandum ſenſim tendere. Exprimit hoc ſtatim. *Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non*

Cauendum, ne in detrimentū Regnorum vergat priuilegiorum conceſſio.

Deut. 32. n. 21.

erat Deus. Alij: *zelare fecerunt me.* Certè qui rebellant, legitimum Dominum agnoſcere recuſant, vel alium ſibi in Dominum adſciſcere, vel ſeſe ſui iuris facere tentant: vtrumque iniuſtum, neuter enim Dominus. Quid ergo? talione mulctandi. *Ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus meus*: vel, *ego zelare faciam eos, vt non ſint populus*, ob nimiam vilitatem: Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum. Qui ex priuilegiorum cumulo, celebres facti inter homines, & præpotentes, iterum depreſſi obſcuri fient. Diſpergam illos per angulos. Non ſolùm à faciendo deſinam, ſed huc, illuc diſperſos ita curabo, vt & ſcire velim poſtea, quonam locorum ſint abacti. His tamen monetur Princeps à Politicis, non ad deneganda omninò priuilegia, ſed ad conſultiſſimè concedenda, cautiſſimè, & ſumma cum ratione, propter aliquam vtilitatem, ſiue ſingulari perſonæ, ſiue vniuerſitati concedenda eſſe.

Coſaci poſtquam multa damna dederunt Regijs copijs, & iam Pauluco duce eorum cum ſocijs in Comitijs Generalibus, capitis ſupplicium ferentè, ſedari non poterant, niſi acceptâ ſecuritate reſtitutionis ſuorum priuilegiorum: & tunc primùm obſequium promiſerunt, atque ita in ordinem & obedientiam redacti ſunt, per priuilegiorum reſtitutionem: iterum tamen ſub Anno 1648. turpiter rebellârunt, etiam Tartaris ad occupandum exercitum Regni inuitatis. Piaſecius refert, quòd Ciuitas maritima, quæ quicquid habet libertatum, nonniſi à Regibus Poloniæ obtinuit, quibus temerè malè vſa eſt, in damnum Reipub. vt inquit Piaſecius, in tumultuatione plebis Romanæ, quam Regijs mandatis parere volentem, ad tumultuandum, pro defenſione, vt aiebat; virium ſuarum concitabat, militem externum vanâ oſtentatione conduxerit, cùm Rex abſque armorum ſtrepitu, ius ſuum tam perſpicuum retineret, quoad tributum Maritimum. Quemadmodùm igitur priuilegia conceſſa vergunt quandoque in commodum Regni, ita & in detrimentum, cautè igitur concedenda ſunt. Satis clarè conſtat, qualiter dilectio Regis erga ſubditos manifeſta fiat. Verùm non ſatis eſt ſubditos à Rege diligi, niſi etiam Regnum diligat Regem, eumque timeat, honorificet, atque reuereatur: *quoniam valida eſt, quæ eſt ex ratione dilectio*: inquit Zeno. Sicut enim non poteſt bene Regnum gubernari, niſi Rex diligat ſubditos, eoſque potiùs affabilitate in officio, quàm armis contineat, vt Tacitus refert de Cæſare Auguſto; ita nec Rex quietè, & feliciter viuere, qui Regno ſuo non eſt amabilis, nec timetur timore filiali, qui in debita reuerentia conſiſtit. Quare debent ſubditi reciprocè pro dilectione Regis rependere timorem filialem, & dilectionem Regi.

P. Piaſecius in Chronica ſuper Annum 1638. fol. 597.

21\. Non ſatis eſt ſubditos à Rege diligi, niſi etiam regnum diligat Regem.

Zeno Preſb.

Tacitus 4. Hiſt.

Fingamus, quòd Rex in Sphæra Regni conſtitutus, ſit centrum: lineas ab

ab ambitu ad centrum, varias hominum actiones, aduersas & probas; puncta circumposita, esse homines subiectos Imperio. Hi quò melius agent, eò & ad Regem vt centrum, & ad seipsos mutuò accedunt: sicuti quò improbiùs recedunt magis, linearum instar exemplo, quæ, quò à centro distant magis, eò & à seipsis magis etiam: Sicque & à centro trahuntur, & ad centrum inclinantur vtrinque dilectione. Ferri frusta trahit Magnes, & succinum paleas, atque Pantarba gemmas, atque vicaria catenatione, pendet ex se inuicem. *Clecias de rebus Indianis.*

Magnes est Rex, magnatum fons & radix, beneuolentia, non solùm vt magnes frusta ferri, sed vt Pantarba gemmas dilectione ad se trahit, trahunt & ipsi gemmarum fontem & radicem Regem, correspondendo dilectionibus. Hæc debetur Regi, & quòd Dei vicarius sit probus Princeps, & quòd elegantior imago Dei, & quòd caput Regni, nullâ tamen ratione faciliùs debitam reuerentiam aucupabitur, quàm sit amabilis omnibus subditis, quòd dilectione subditorum acquiritur. Nulla enim re, nisi amore mutuo, potest amor compensari, quia charitas reciproca est, ac dilectionis vicem reddit. Amorem autem subditorum in Regem, iustus honor & reuerentia sequitur, atque fidelitas. Reuerentia quippe, quæ non ex amore procedit, adulatio est. Iam verò reuerentia respicit personas, quæ veneratione dignæ, quòd ad imaginem Dei factæ sint: ita quidem, vt sicuti, qui honor imagini defertur, is ei, cuius imago est, delatus censeatur. Sic & qui homini habetur, Deo habitus, inde, licèt idem honoris actus in vtrumque fiat, diuersâ tamen ratione censetur. Habetur enim reuerentia Deo, habetur & homini; sed in Deum actus latriæ est, in hominem verò timoris filialis. Nam quòd homo imitatur Deum certâ proportione, vnde & similis dicitur, ita certâ proportione honoratur: Et secundùm diuersos excellentiæ gradus, diuersos reuerentiæ actus, ac diuersas species exhibet. *S. Thomas 22. q. 81. 2. Idem 1. q. 4. 3.*

22.

Si igitur homo honoratur, quòd Dei sit imago, eò excellentiorem esse Regem cæteris, & sic maiore reuerentiâ dignus. Quò autem Princeps expressior imago, est excellentior, & sic maioris reuerentiæ capax: nam quâ ratione Imago Dei, simpliciter expressior est in Angelis, quàm in hominibus: & in Angelis superioribus expressior, quàm in inferioribus, ea ipsâ in hominibus expressior in supremis, quàm in infimis, sicuti generatim expressior in viris, quàm in mulieribus. Patet itaque reuerentiam Principi, multis nominibus deberi, communi scilicet, & singulari; Communi, quia homo, & ad Dei imaginem, quo nomine & omnibus hominibus debetur, etiam Gentilibus, & alijs impijs: non quâ Gentiles, nam sic Deo contrarij, sed quâ Diuinum aliquod donum in se habent, puta gratiæ, *Rex honorandus vt Imago Dei.*

gratiæ, virtutis, ac maiori proportione referũt. Sicut autem virtutibus proprijs, & eorum, cum quibus conuersatur, quis maiorem reuerentiam habet, & maiorem imaginis Dei expressionem: ita & Reges tutam sibi comparant reuerentiam,& honorem, atque nominis sui sanctificationẽ, si & ipsi virtuosi fuerint, & nonnisi virtuosos penes se aluerint. Virtutes quippe sunt ornamenta, quæ multò magis ad honorandum cogunt, quàm eminentia dignitatum, aut vestium splendor: nec efficacior ars venandi reuerentiam haberi potest, quàm virtutibus lucere. Solæ quippe virtutes, homini ornamento sunt, & ideo prima reuerentiæ, à populo gratis exigendæ diligentia, originem ex ipso Principe trahit, vbi scilicet animũ virtutibus ita ornatum habet, vt reuerentiâ potiri mereatur.

23. Porro plura sunt, quibus reuerentia subditorum erga Regem manifestatur, sed præcipuè Reges, filiali reuerentiâ, prosequuntur subditi, cùm cuncti eum viuere cupiunt feliciter: deinde, cùm operosis obsequijs eidem inseruiunt, vitam longæuam, & imperium bene fortunatum exoptãt cuncti. Nobilis operarius Christus Dominus, post portatum pondus diei & æstus, in vinea Domini excolenda, Patrem Deum confidenter inuocauit, dicens: *Pater, in manus tuas, commendo spiritum meum.* Ne quis otiosus & vagus homo, de Patre glorietur Deo, & Rege. Prodigus ille in se reuersus, ad Patrem recurrit, dicens: *Pater, fac me vnum ex mercenarijs tuis*: Patrem inuocare non auderet, nisi conditione se futurum seruum recognosceret, vt viriliter desudando, operosisque laboribus, reuerentialem affectum erga Deum ostenderet. In potestate subditorum est dignitas hæc, quod filij Regum dici possint, qui sunt serui, siquidem in potestate hominum est, quod filij Dei nominentur, & sint. *Dedit illis* (inquit S. Ioannes) *potestatem filios Dei fieri.* Vbi Diuus Chrysostomus: *Cur non dixit, faciet illos filios Dei fieri? vt ostenderet multâ nobis opus esse diligentiâ. Non qui otio indulget, non qui pigritans manus sub axilla abscondit, is filius Dei: sed qui obsequijs sudat, & in arena viriliter pugnat.* hoc idem quadrat subditis Regum.

Quænam sint illa, quibus manifestatur dilectio subditorum erga Regem?

Luc. 23. n. 46.

Luc. 15. n. 19.

Ioan. 1. n. 12.

Exhibetur etiam hæc dignitas, & perfecta reuerentia filialis erga Regem, non solùm obsequijs, sed & donis: hinc Regius vates, loquens de Deo, inquit: *Afferte Domino filij Dei*; manus onustas donis habere debent, qui Deum Patrem inuocare audent: de quo Chrysostomus: *Videbitis*, inquit, *quia cælestis Pater sentit amorem, donis datis affectum. Et reuerà fratres, filium se esse nescit, qui authorem vitæ suæ non obsequijs placat, non deuincit cultu, muneribus non honorat*: Nam & qualitatem munerum describit Psalmista, dicens: *Afferte Domino gloriam & honorem, gloriam nomini eius*, quæ integritate vitæ eorum, qui Christiani verè dici possunt, augetur. Itaque sicut nomen Dei gloriosum est splendore Christianorum, ita nomen Regum splendore seruorum, quod etiam mirabatur Regina Sabba in Aula Salomonis.

Psal. 28. n. 1.

Psa. 1. Vt supra.

CA-

CAPVT XXII.

Splendor Regum glorioſus, ex altera gemma annuli deſponſatorij, ſubditorum defenſio: cui ex parte ſubditorum, correſpondent vltronea vectigalia & tributa.



NIhil magis ad felix Principis regimen facit, & ad architecturam dilectionis, ac reuerentiæ Principis augendam, quàm defenſio ſubditorum, & in commodis eorum augendis, labor & ſtudium, tutum reddere populum, atque à malis, quæ eum premunt, defendere, & à periculis liberare, eſt Regalis muneris opus, per quod ſibi ipſi tranquillitatem, & ſubditorum beneuolentiam, & Reipub. floridam felicitatem Rex comparat. Tunc enim vel maximè rem ſuam, vel priuatam auget, cùm ſubditorum felicitatem augere ſtuduerit: quippe ſubditorum res, quoad defenſionis vigilantiam, nil à ſuis diſtare, iudicare debet, atque ita illorum opulentiam, & felicitatem ſuam ipſius propriam ducere debet, atque & ſuam ipſius tenuitatem, aut potentiam, ex ſubditorum paupertate, aut affluentia menſurare. Porro triplici malo laborat communiter Reſpublica; Animi, Corporis, & vtriuſque, atque ab his omnibus eliberationem à Principe expectat populus, inquiunt Politici. Malum animi ærumnoſum eſt, nimirum, quantò anima nobilior eſt corpore, tantò peius eſt malum animi ærumna corporis. Porro mala animi ſunt vitia, hæc mala, & mala corporis ſimul videntur expreſſa, viſione D. Ioannis in Apocalypſi: qui dicit ſe vidiſſe *ſimilitudines locuſtarum, quæ habebant facies, tanquam facies hominum, & habebant capillos, ſicut capillos mulierum, dentes earum ſicut dentes leonum erant, & habebant loricas, ſicut loricas ferreas*; in qua viſione, inprimis inſinuantur vitia, quibus Regna intereunt, & animi labefactantur, ægri & debiles redduntur, cùm dicitur, *habebant capillos, quaſi capillos mulierum*: deinde mala corporis, quæ inducuntur in Regna, per peſtes, lites, atque tandem bella ciuilia & hoſtilia, cùm ſubditur, *& habebant loricas*, vbi inſinuantur peccata militum: cùm autem dicitur, *dentes earum ſicut leonum*, inſinuantur lites, ac diſſenſiones in Regno: ac poſtremùm tandem, *habebant loricas ferreas*, cùm ait: intelligit hoſtes extrinſecos, de quibus iam agendum eſt.

> 24. Regum eſt ſubditos contra hoſtes defendere, & commoda eorum augere.
>
> *Apoc. 9. v. 3. & 7. 8. 9.*

Vulgare eſt Rempublicam aſſimilari mari; quatuor autem ſunt præcipuè, quibus naues pereunt, ſubmerguntúrque: nimirum ægritudini-

 bus,

bus, tempeſtatibus, monſtris, & piratarum armis; his quoque affliguntur
25. Regna, à quibus liberari expoſcunt à Regibus.

Quibus Regna intereunt, & animi atq; corpora debilitantur? *Iſaia* 1. n. 8.

Et inprimis ab ægritudinibus animi: quæ ſunt peccata & vitia, quibus non homines priuati, ſed & Reſpub. intereunt; quod rectè inſinuauit Iſaias Propheta, ſub certis ſymbolis, & ſimilitudinibus. *Et relinquetur filia Sion, ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut Ciuitas, quæ vaſtatur vaſtatione hoſtili.*

Per filiam formoſam Sion, intelligit voluntatem, animæ potentiam, cuius natura eſt pulchritudo, naturæ decus, quia voluntas eſt origo omnis decoris, & pulchritudinis animæ; quando autem relictis virtutibus ſeſe implicat vitijs, vilis, abiecta, fœdiſſimaque efficitur: voluntas enim peruerſa, omnium malorum eſt cauſa, maximè verò ægritudinis propriæ; tum ex eo, quia perfectio voluntatis in libertate ſita eſt, quam vitia debilitant, & diminuunt. Conſiſtit quoque in protectione Diuina, quâ vitia hominem priuant: conſiſtit, & in immunitate, & ſecuritate ab hoſtibus, quos vitia multiplicant. Quòd libertatem voluntatis vitia diminuant, in hoc omnes Theologi conueniunt, dum dicunt hominem per vitia vulnerari in perfectionibns naturalibus. Et reuerà *vmbraculum in vinea*, eſt voluntas in homine, cuius fundamentum eſt inclinatio ad bona quæque peragenda, parietes ſunt virtutes, tectum eſt diuina gratia, per columnas au-
26. tem ſuſtentantes, intelliguntur diuina auxilia.

Alia ſunt mala animi, alia mala corporis, nihilominus ab his, & illis tenentur Reges eliberare ſubditos.

Dum autem vinea floreſcit, vireſcit folijs, fructibuſque abundat, formoſum eſt vmbraculum in vinea: ſed quando nix, glacies, pluuia, hyems, gelu, demoliuntur vineam, diſſipatur vmbraculum vineæ, diſſipantur & fundamenta, parietes, tecta, foliaq; exſiccant, fructus à beſtijs ſylueſtribus conculcantur, rami atque vites deſtruuntur: Sic accidit voluntati implicatæ vitijs, ſicut vmbraculo in vinea; nam, quæ poſita erat in cuſtodiam florum atque fructuum, fit domus latronum, officina furum, cuſtodia & operimentum beſtiarum ſylueſtrium: ædificium, cuius cacumen videbatur attingere cœlum, conuerſum eſt in aceruum lapidum: turris fortiſſima conuerſa eſt in foſſas, & deſolationes: palatium ſumptuoſum, domus Regia, in deſertum; & quod dictum eſt de vmbraculo in vinea, hoc de tugurio in cucumerario intellige. Hæc ſymbola facilè accommodari poſſunt, non ſolùm priuatis hominibus, ſed & Reipub. Nihilominùs tamen Propheta in ſpeciali meminit Reipub. eamque comparat ad Ciuitatem, quæ vaſtatur vaſtatione hoſtili.

Ciuitas ſupra montem poſita difficillimè vaſtatur vaſtatione hoſtili, ſtrenuè inſultibus hoſtium reſiſtere, & facili negotio eorum impetus propulſare poteſt, niſi poſita ſit in contradictionem vicinis ſuis; vt

inquit

inquit Dauid: *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris*, plurimis, qui nos persequuntur. Hi vicini sunt vitia & concupiscentiæ, quibus non solùm homines priuati pereunt, sed & Respub. Ab his igitur ægritudinibus animi, & peccatis defendere Rempublicam debent Reges, corrigendo mores subditorum, modo supradicto, præceptis, legibus, pœnis, præmijs virtutum, & his similibus, maximè verò persuasionibus & exemplis. *Psal. 79. n. 2.*

Aliud, à quo Reges defendere debent Rempub. sunt tempestates, id est, mala corporis: inter hæc, primum & pestilentissimum est pestis, ærumnosum malum, quod peccatis maximè, mox & incuriâ infertur, vbi tot millia hominum depereunt, & Rempub. debilitant. Hoc malum, ex quibus principijs infertur, oppositis tollendum est: sicut enim infertur peccatis, & incuriâ: ita pietate maximè, mox & prudentiâ aufertur.

Lites in Regno, & intestina bella, monstris in mari habentibus dentes ferreos assimilantur, litigantes quippe dentibus lèoninis sese inuicem mordent, vitam & opes sibi inuicem auferunt, ciues ipsos ita attenuant, & ita debiles in ciuitate reddunt, vt inuicem sese mordendo consumentes, aduersùs hostem in bellis fiant imbelles: Sanè litem & bellum, vnum & idem esse, protulit Ecclesiasticus: *Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.* Illud enim est maximum in bello periculum, ne militans incidat in manus inimicorum, hoc idem imminet ex lite cum Magnatibus, & diuitibus: subdit enim Eccles: *Non contendas cum viro locuplete,* quoniam diuitiæ sunt pondus, quod stateræ impositum lancem vnam inclinat, & contra pauperem, causam diuitis præualere facit: quod si apponatur aurum, hoc ex se veneficum & maleficum est, & videntes fascinat, excœcat, atque perdit. Profani quoque Authores, eo solo differre voluerunt litem, & bellum, quòd bellum ferè semper lite violentius; quandoque tamen lites, quò crebriores, quò magis subitæ, sunt longè bello perniciosiores: Si enim amicitia latè suscepta periclitatur, quæ non est aliud quàm consensus in vnum, si non nisi in populi consensu floret Regnum, etiam incipientes litigare, incipientes dissentire, incipiunt perdere.

27. Lites in Regnis assimilantur monstris in mari. *Eccli. 8.* *Eccles. 8. n. 2.*

Lis nil aliud, quàm bellum ciuium est, sicut bellum nil, quàm lis gentium. Litibus igitur auertendis, prima cura Principi proposita esse debet, doctrina est Politicorum, estò, vt inquit Tacitus: *Lites & bellum internum mitigare res nimis ardua est*: argumento esse potest bellum cum Cosacis in Polonia, qui cùm in Tractu Kiiouiensi, præcipua Cosacorum Sede, ab Archimandrita Kiiouiensi Schismatico, in eam suspicionem inducti essent, quòd ad ipsos extirpandos, seu in ordinem reducendos, totus exercitus ex Prussia conuerteretur, tumultum concitârunt; in quo Præfectum suum Chriczkonem, à Rege constitutum, motum illum sedare contendentem,

28. Lites in Regno pestilentissimæ. *Tacit. Anna. 1.* *Piasecius.*

tem trucidârunt, insimulato, quasi cum Regijs stipendiarijs in eorum perniciem consensisset. Aliquas etiam cohortes Regias in suis stationibus hybernantes inuaserunt, & plurimis ex eis cæsis, ac reliquis locum mutare coâctis, omnia, quæ erant ipsorum, diripuerunt. Neque hic quieuerunt, sed conuenientibus ad eas partes, iussu Koniecpolscij, ad cohibendam illam insolentiam, omnibus copijs Regijs, ipsi quoque nouo sibi electo Duce *Tárás* dicto, magno numero concurrerunt, castraque sua opposuerunt Koniecpolscio, qui traiecto apud Kiiouiam Boristhene, circa Pereslauiam demum ipsos fuerat consequutus. Tandem tamen post multos sanguinolentos conflictus, in quibus ex Regijs, præter milites gregarios, Equites nobiles plures, quàm toto bello proximo Prussico (trecenti numerabantur) ceciderant, & rari non amiserant meliores equos. Tandem missis ex Castris suis, (quæ bene munita habebant) ad Koniecpolscium nuntijs, veniam erratorum petiêrunt, ac obtinuerunt tali lege, vt authores criminis ad Comitia proxima mitterent, arbitrio Regis puniendos. Duci suo, quem idem Koniecpolscius statim illis præfecerat, obedientes essent, & fidem atque subiectionem Regi iurarent, atque ita inconditum illud militiæ vulgus ad obsequium redierat; Neque tamen vsque huc quieuerunt, quin potiùs maiora bella contra Rempublicam Anno 1649. excitârunt. De his plura Lubienscius referens, qualiter armis ciuilibus, nobilissimæ Prouinciæ à Regno Poloniæ auulsæ, ex ruinis Regni huius creuerunt: Pomeraniæ Duces olim Poloniæ subditi, Brandeburgenses, Marchiones Sylesij, Lusacij, &c.

Lubienscius fol. 335.

29.

Qualiter occurrendum bellis intestinis Regnorũ?

Occurrendum est igitur tantis damnis Reipub. quibus ciuile bellum, calamitatum omnium calamitosum inducitur, militum præcipuè otio, auaritiâ, & luxu: Notariorum item, Scribarum, Aduocatorum, &c. Lites quippe ex otio nascuntur, & eâ ratione otium quasi tinea Reip. cor sanum rodit; si Cosacorum coluuies, agris colendis, alijsque laboribus applicata inhæsisset, nunquã ad tantam profusionẽ sanguinis deuentum fuisset; Iudices verò auari, nequam, Aduocati, Procuratores, Actuarij, Apparitores iniusti, qui manu complicatâ litem fouent, in officio retinendi sunt à Tribunalistis, & Magistratu, ne plus noceant iustitiæ, quàm promoueant ipsam, factiones, seditiones, quarum ambitio mater, auferendæ, & procul pellendæ.

Iam verò externum bellum similitudine Piratarum exprimitur, quod enim Piratæ in mari, hoc hostes terrestri bello malum inferunt, ideoque laboriosum est nimis defendere Rempub. ab hostibus, atque ideò, vel inprimis, dum contra hostem prælio decertandum est, numen Diuinum placandum est, siquidem non est securum contra hostes procedere, absq;

appa-

apparatu interno, & externo. Apparatus autem internus est vera pietas, sine qua feliciter pugnaturum sperare, imprudentis est. Absque Deo, nec bellum aude, nec sumere pugnam. Deus quippe mortalibus dominatur, vnde ad optimas quasque actiones, ex Deo capienda, non per se ipsum consilia sunt dirigenda: hoc igitur inprimis apparatu ornari præclarum est, atque omninò procurandum, vt in Deo omnem spem prosperitatis bellicæ reponant, capita exercituum, sacrificijs, purâque mente deprecentur, vt ea sentire, ea loqui, ea agere largiatur, quæ ipsi grata sint, & Reipub. maximè honesta, magis vtilia, & maximè gloriosa. Non est soli gladio fidendum, Dei auxilium implorandum ab omnibus, maximè verò militibus, qui pari cultu cum Duce, non in multitudine tantùm, quantùm in pietate fortitudinis basi confidant: scientes, *quòd sumitur bellum etiam ab ignauis, sed strenuißimi cuiusque periculo geritur*, vt ait Tacitus. *Tacit. Hist. 4.*

30. *Qualiter occurrendum bellis hostium externis?*

De apparatu externo, commeatu, electione Ducis, atq; qualitatibus eius, de consilio bellico, strenuitate militum, fusè, & satis eruditè Starouolscius, & ante ipsum Vegetius; nobis sufficiat ea tangere, quæ ad fundamentum, & basim apparatus internè, pietatem, conferunt. Res enim manifesta est, Ducem debere esse ingeniosum, vt imperare sciat, & exercitum, atque seipsum conseruare, vt refert Piasecius de industria Gustaui Sueci; qui cùm sæpiùs profligatus fuerit à multis Oppidis in Polonia, & ab ipsa oppugnatione Gedani reiectus, atque pila è bombarda à peditatu Ducis Korecki explosâ, in pectore sub humero sinistro percussus, graue vulnus accepit; & iterum, caput vistulæ, sic dictum, munitionem oppugnando, simile vulnus accepit. Tandem à Polonis captus, sed balteo, quem tenebat super caput, abiecto, & galeâ sibi à capite detracta, astutè aufugit: & iterum cùm captus ad cædem à Polonis traheretur, à Germano quodam, qui eum agnouerat, dicente, quòd esset ex vilioribus Rongranij famulis, liberatus, ac equo perniciori impositus, Margeburgum intempestâ nocte euasit. Quod si industria iuuat Duces, in saluanda vita propria, quantò maiori ingenio opus est in saluando, & conseruando toto exercitu? maximè in his rebus, quæ euenire, vt plurimùm inopinatè solent, & exercitum magno in discrimine constituere, ijsque remedium, quasi præsentibus excogitare, vt si quando euenerit, tum minùs terreant, tum faciliùs propellantur. *Piasecius super Annum 1627. fol. 468.*

Res item certa est, milites debere esse strenuos, siue pro bello nauali, siue pro pugna campestri, estò differentes; ad nauale quidem bellum deligendo, nauarchos, peritos gubernatores, remiges virtute potentes, & pugnatores promptos. Ad campestram verò pugnam pedites, & equites; qui autem potiores? Videndus Vegetius. In Regno Poloniæ maioris va- *Veget. l. 2. c. 2.*

loris sunt equites, viri nobiles, aptè instructi. An verò Reges præsentes adesse debeant? Seneca insinuat, dum ait: *Ipse enim est Spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil per se futura, nisi onus & præda, si mens illa ingenij subtrahatur,* *maximè vbi totum Regnum est in periculo*: propterea & Angeli assistunt vrbibus cælestibus.

Quo pacto autem milites sunt comparandi, nimirum electione, & disciplinâ: quo pacto autem cognoscendi, ex Physiognomia, corpore, statura, & vita, habet Vegetius, & Starouolscius, & nos fusè in institutionibus satis diximus.

Vegetius l. Vnicor. cap. 6. *Starouolscius.*

31. Denique certum est veterum exemplis, paucorum militum, & fortium numerum, nimiâ multitudine meliorem esse; saltem in Regno Poloniæ mos est, magis attendere ad vires, & strenuitatem militum, quàm ad multitudinem. Carolus Chodkieuicius aliquoties Suecos profligauit, exiguo, sed forti exercitu. Cùm enim in Liuonia publico Regni sumptu alebatur exercitus, solùm pro defensione illius Prouinciæ, nihilominus tamen Carolus Chodkiewic Suecos Vagissensteinum oppugnantes, insigni prælio vicit, ac Derpatum, quod illi eousque detinuerant, recepit; item eosdem Suecos memorabili prælio Chircholmensi profligauit, cuius seriem refert Piasecius, vbi nouem millia, in loco conflictus, occisorum Suecorum fuerunt numerata, præter eos, qui in fuga à rusticis cæsi sunt, vel ex vulneribus in conflictu acceptis mortui. Ex victoribus verò non plures, quàm octuaginta fuerunt desiderati; cùm tamen exercitus Suecus, quatuordecim millibus armatorum constaret: Chodkiewicij verò equitatu, duorum millium & quingentorum, ac peditibus prope mille, quæ paucitas ad spem victoriæ Suecum incitârat. Quare virtuti potiùs militum, quàm multitudini fidendum, sed super omnia pietati; *Præstantior est fortitudo paucorum, quàm remissio plurimorum*, inquit Ambrosius. Videbatur sanè Sigismundus III. Rex Poloniæ, aliquantulùm plùs confidere, quòad expeditionem apparatus extrinseci, in auxilio Christianorum contra hostem Christianitatis, ideoque ad diuersos Reges, & Principes Christianos legatos suos expediuit, ad postulanda subsidia: sed illi res Polonorum perditas existimantes, nullum auxilium dederunt, fortè, vt Medici desperatis morbis nullam medicinam adhibendam censent: sic illi, quamuis æquè de ipsorum cuiusque salute ageretur, nihil prorsus operæ, vel auxilij, in tam graui periculo laborantibus conferre voluerunt, vt refert Piasecius. Et interim Rex Sigismundus vanâ illâ, de externis auxilijs fiduciâ sepositâ, totum ad Deum se conuertit, ipse cum suis, & Romani Pontificis pietate, qui pro tali expeditione cum tota Romana curia, humiliter à Deo expostulabat; vt ipse tam periculosi prælij Dux esse vellet, atque de cælo auxi-

Qualis Dux in bello esse debeat, quales item milites, in quibus non numerus, sed fortitudo valet. *Piasecius.*

S. Ambr. lib. 2. de Iacob. c. 7.

Piasecius super Annum 1621. fol. 407.

auxilia transmitteret, procurato, ex proprijs Regni sui facultatibus, apparatu extrinseco, & omni instrumento bellico, fidens Deo, filium maiorem natu Vladislaum, contra Turcarũ Imperatorem Osmanum præmisit, qui in exercitu suo trecenta millia equitum, & duodecim millia Ianizerorum habuit, præter Tartaros, qui octoginta millia numerabantur; venit, vidit, vicit, Deo & Christo Saluatore nostro in ipso triumphante, circiter triginta quinque millibus armatorum, Cosacis prope 30. mille exceptis. 32.

Cùm igitur tot difficultatibus implicet Reges defensio Regni ab hostibus, quid mirùm, quòd pro tantis Regum laboribus, & periculis in defendenda Repub. vltronea Regibus tributa à subditis, sponte, & hilariter conferantur? *Neque enim quies gentium sine armis, neque arma sine tributis haberi nequeunt*, inquit Tacitus. Vltronea, inquam, tributa & modica, siquidem vltronea, quàm coàcta, efficaciora, D. Paulus cùm reciperet temporalia ab ijs, quibus ministrabat, dicere solebat. *Quid mirum, quòd à vobis recipiamus temporalia, si vobis ministramus spiritualia?* Ita & Reges dicere possunt. Quid magni est à subditis recipere tributa pro tanta solicitudine pro ipsis, pro tantis laboribus, & periculis, maximè vltronea, quæ sunt gratiora, & moderata? quod sub imperio Vladislai IV. Regis Poloniæ cernere licuit, atq; sub illis Regibus, qui conformiter ad doctrinam Taciti; ne Prouinciæ nouis oneribus turbarentur, vtque vetera sine auaritia, aut crudelitate Magistratuum tolerarentur, diligenter attendebant. Non otiosè, vt notat D. Chrysost. in re tributi vsus est Dominus verbis illis: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; non ait, *date*: sed notanter dixit, *reddite*: vt innueret, vnde magis debeat commendari Regius splendor, nimirum ex eo, quoad debiti mensuram, tributa velit exigere. Ne quid excessiuum, aut nimium expectet, sed iuxta id, quod ipse præstat Princeps, speret reddi sibi à subditis. Illa erat Nabuchodonosoris gloria, *magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cælum, aspectus illius erat, vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, &c.* In folijs arboris laudatur pulchritudo, in fructu non laudatur: cur cùm Regiæ arboris folia pulchra dicantur, eiusdem fructus minimè dicitur pulcher, sed nimius? Arboris Regiæ fructus sunt vectigalia, & tributa à populis reddita, quæ vbi nimia sunt & excessiua, nullum Regium decorem afferunt: vbi Theodoretus. *Folia vocat decus illud, quod conspiciebatur in veste, & throno, & Regijs scutatis, hastis, satellitibus, ac stipatoribus corporis; Fructum verò tributum, quod vndique ei afferebatur.* 33.

Idcirco autem multum fructum, non autem pulchrum dixit, neque enim iustè impositum erat. Non pulchritudo, sed dedecus apparuit, vbi tributa non ad mensuram debiti exigebantur, & vectigalia Principi soluta excessiua fuerunt, nec iure debeantur, & sic accipientem deturpabant,

Pro defensione, & alijs Regum laboribus debentur illis tributa.

Tacit. l. 4. Hist.

Ad Rom. 15. 27.

Annal. &

Dan. 4. v. 8.

Moderata debita à subditis exigenda sunt.

bant, quandoquidem tota Regia pulchritudo in eo ſtat, quòd vltra ſibi debita non requirat ampliùs. Hinc de Rege Chriſto aiebat Pſaltes. *Dominus regnauit decorem indutus eſt, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Ante fortitudinem Regiam, decorem, & pulchritudinem induere Rex noſter curauit, & vt fortis ad debellandum hoſtes, niſi, quia nihil iniuſtè accepit, nihil vnquam, ſupra menſuram debiti, ſibi tyrannicè poſtulauit. Hinc Diuus Auguſtinus: *Pulcher ergo Rex noſter in cælo, pulcher in terra, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniuſtum. Cùm iniuſtè ablatis, cadit tota pulchritudo Regis, quæ tunc ſtat, cùm nihil à ſubditis exigit, niſi ad debiti menſuram, quæ in Principibus ſumitur*, non pro pompa Regalis familiæ, ſed pro indigentia vera communis muniminis. Concludendum eſt igitur, Regium ſplendorem eſſe, defendere Rempublicam, ſi in tuenda Republica, non exigit tributa nimia & exceſſiua, ſed moderata citra condignum.

Pſal. 92. n. 1.

Magnam ex eo laudem habet Vladislaus IV. Rex Poloniæ, quòd cùm & Turcarum Tyrannum à finibus Regni pepuliſſet, ſatis modica tributa à Repub. receperit, antiquos Poloniæ Reges in eo paſſu imitando.

34. Ad exactores tributorum diligentiùs attendendum eſſe, docent Politici; hi enim validiores ſunt ad perdendum etiam Rempublicam, quàm milites. In Euangelio habetur, *quòd Rex iturus ad bellum, dubitat, ſi cum decem millibus militum poſſet viginti millia proſtrare*: & ſanè maximum dubium eſt, num quòd pauci milites valeant plures contundere, & proſtrare? nullum autem erit dubium de militibus, ſi de exactoribus tributorum fieret conſultatio; hi enim, etiam ſi pauci ſint, ingentem ciuium multitudinem perdere valent. Et hæc fuit cauſa nouæ collectæ pecuniarum inſtituendæ in Polonia, (inquit Piaſecius) dictæ Fumalis, dimidij floreni communis, à ſingulis domibus tam Ciuitatum, quàm Pagorum, & villarum, (curijs Nobilium, & Eccleſiaſticorum exceptis) quæ quadruplum vſitati tributi agrarij æquauit, quoniam nonnulli exactores defraudabant ærarium Publicum, ferè decimam partem tantùm iuſti cenſus conferentes, inquit Piaſecius. Obſtiterant huic collectæ plures Prouinciæ Ruſſiæ, ſed induſtriâ Georgij Oſſolinski, inter Nuntios terrarum, ingenio, & eloquentiâ præſtantis, neceſſitati tum vrgenti ceſſerunt. Concludunt Politici; vtinam Reges ſedentes cogitent, qualiter confluant Regnorum ſubſtantiæ, in paucos diteſcentes miniſtros. Non multi ſunt, qui Regijs theſauris adminiſtrandis, & Regnorum tributis colligendis operam nauant, ſed multi ex eis inueniuntur ditiſſimi, & locupletiſſimi, in ſumma Regalium theſaurorum penuria, & Regni vaſtitate. Committuntur & Ciuitatum, & Regno-

Exactores auari tributorum, plùs nocent Reipub. quàm hoſtes.

Piaſecius in Geſtis Europæ Anno 1629.

Regnorum ſubſtantiæ paucis exactoribus; ſed hi pauci viſuntur in dies grandeſcere, cùm magna minuantur. Quæ huius rei cauſa? Quia quod non valet militum exercitus, hoc valent quorundam exactorum manus. Milites ſi pauci ſunt, ad Regnum perdendum non valent; exactor, vel vnus & pauperculus, ingentia Regna in ſuam crumenam transfert. De huius rei veritate exemplum eſt in Sacra Scriptura: *Ierobòám filius Naboth Ephrathæus de Sareda, ſeruus Salomonis, cuius nomen erat nomine Sarua, mulier vidua, leuauit manum contra Regem. Et hæc eſt cauſa rebellionis aduersùs Regem, quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis patris ſui. Erat autem Ierobòám vir fortis & potens, videnſque adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium, conſtituerat eum Præfectum, ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph.* Itaque Ierobòám pauperculæ viduæ filius, & ſeruus Salomonis rebellat in Regem; & tota cauſa dicitur rebellionis ædificatio Mello, & Ierobòámi bonæ indolis primi adoleſcentis, poſtea verò fortis, ac potentis Præfectura ſuper tributa. Sed quid hæc cum rebellione? Multa multi, ſed reuerà ad perdendum Regem, & ingentia Regna, non minima viſa eſt hominis induſtrij Præfecti, ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph. Itaq; dum Salomon ponit ſumptus in ædificando Mello, & confirmanda Ciuitate Dauid, Ierobòám in colligendis tributis decumbit: ſic ſubſtantia Regni minuitur, & exactoris ſubſtantia augetur, vt pro minimo ducat vnus homo, & ſeruus ad ſe totum deducere Regnũ. Cur non audeat ſperare ſe Regnis potiturum, qui in diuitiarum potentia creſcit, eodem gradu, quo ſubſtantia Regni minuitur? Sedeant Reges, & cogitent hoc vnum, in miniſtris vectigalium colligendorum, niſi velint omnia perditum ire, inquit quidam ex modernis.

35. Quantum damnum inferre poſſunt Regno exactores mali, exemplum ex Sacra Scriptura. *3. Reg. 11. n. 26.*

CAPVT XXIII.

Splendor Regum glorioſus, ex tertia gemma annuli deſponſatorij, fulgentis prouiſione vbertatis: cui correſpondet vltronea populi obedientia.

INter turmas Deorum commentitiorum, quorum alij erant ſelecti, quaſi ſurſum electi & cœleſtes, qui rariùs, vt illi credebant, huc in terram deſcendebant, alij quoque vulgares: erat quoque inter eos Deus Panis & vbertatis, quem colebant quidem, ſed quiſnam eſſet, ignorabant; ideoque Diuus Paulus, dixit ſe inueniſſe Areòpagi Aram, in qua ſcriptum erat: *Ignoto Deo.* Et propterea Diuus Paulus illos redarguit, tanquam ſuperſtitioſos; quòd colerent Deum Panis, rationabile fuit, ſed quòd illum Deum ignorarent, quem colebant,

hoc superstitiosum: quippe impossibile est absque rerum copia Imperium contineri, & populum in Principem non sæuire. Per oppositum verò, panis & rerum copia subditos facit lætos, & Principi obedientes, publicum statum tutum, Imperium decorum, & populum frequentiorem reddit. Christus Dominus pauit populum, non solùm pane doctrinæ cœlestis, sed etiam pane corporali in deserto, vt de illo dici potuerit illud Dauidicum: *Pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos*, doctrinâ, miraculis, neque tamen de illis dicitur, quòd voluerint eum facere Regem, nisi postquam saturauit eos pane in deserto. Quia homines citiùs sentiunt beneficium ventris, quàm mentis, maximè si necessitas adest, cui Christus satis fecit, tollens saturitate famem.

36. Dira necessitas mater criminum est, cui nec potentia, nec pietas, nec arma resistere possunt; hi sunt duo hostes Reipub. fames, & necessitas, de quibus quidam ait: *Necessitati, ne ipsi Dij resistunt.* Sed & alter: *Ignauiam ex necessitate acui, & desperationem spei, causam sæpè esse.* Necessitas magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, legem frangit omnem. Rogatus Thales interdum, quid esset omnium robustissimum? Necessitas, respondit, quòd omnia superet: ita quippe, vt quicquid in obstaculum opponi tentetur, id totum sit vanum. Interdum quoque, nec pietas contra necessitatem quicquam potest, vt dixit Seneca: *Necessitas plus posse, quàm pietas solet.* Vnde etsi pium sit obedire Principi, quòd Pater est, interdum tamen nec Patri parcit necessitate impulsus, maximè quòd qui necessitate deliquit, impunè delinquere videtur: sub quadam enim excusatione peccans creditur, cui necessaria non præbentur. En esurientem aduertens Sathan Christum, suggerit etiam ex lapidibus panes faciendos. Recurrere quoque ad arma & obsistere inane est, parùm arma in populum esurientem valent, famelica enim turba, nouis semper rebus studet. Per oppositum, vbi in Regno adest vbertas, & copia rerum, ibi obedientia, iustitia, & pax viget.

Fames & necessitas hostes Regni.

Necessitati nec potentia, nec arma resistere possunt.

Simonides apud Plato.

Curtius lib. 5.

Pol. latro in declam.

Seneca in Troade.

Quare tametsi verum sit, quòd viri industrij cogere possunt animantia irrationabilia omnia, tribus potissimùm rebus, & ad obedientiam adducere, cibo abiectiora, vt sues: blandimentis generosiora, vt equos: plagis contumaciora, vt asinos: cùm tamen homo sit generosissimus omnium, præmijs potiùs & beneficijs subigendus est, attamen quòd omnium naturam participat, & cibo & beneficijs ducendus est, prout cuiusque naturæ ratio exegerit. Vt quod in reliquis animantibus per species discernimus, in homine per indiuidua discernamus: Sicut enim sunt ligna, quæ insufflando accenduntur, sic & quæ extinguuntur: sunt quæ vltrò ardent, & quæ non, quòd diuersæ sint qualitatis: sic & homines sunt, qui

qui illectamentis, sunt qui escâ, sunt qui flagris, sunt qui suâ sponte obedientiam præstant.

At verò quòd esca æquè omnibus est necessaria, hac maximè omnes plus, minusué capi certum est. Obedientia verò vltronea, quàm necessaria sit ad tranquillitatem Regni, quis non videt? ideo rectè dicitur publicæ tranquillitatis mater, quàm malum sit ordinem turbare, & quàm bonum, in debito, ordine consistere, felix præliorum exitus, testis est. 37.

Escâ etiam animalia indomita, obedientiam præstant.

Proinde quam Plato in bene constituta hominis natura, pulcherrimâ virium harmoniam considerare solebat, eam, in bene constituta Republica, considerare nos possumus: si status ordinem nemo transgrediatur, si suæ quisque conditionis, dignitatisque, & gradus memor, suo fungatur munere, si cui imperare ius est, imperet, cui obedire, obediat. Sic enim ab imo ad summum, omnibus sibi cohærentibus, omnia ordinata consistent, priuati quippe patres filios sibi morigeros habebunt, publicis patribus morigeri & ipsi: & sic gradatim vsque ad summum illud omnium generalissimum à Deo institutum. Hoc & Principi, & ciuibus est vtile: Principi quidem, quòd in tranquilla & voluntaria subditorum obedientia, tranquillo imperij statu semper vtens, tutò regnabit: Certò enim Rex existimare potest, tunc tutò regnare, cùm volentibus imperat: qui enim inuiti subijciuntur, malâ mente cùm sint, leui quaque occasione seditiones mouebunt: qui verò beneuolentiæ vinculis detinentur, immotam erga Rectorem obedientiam seruant. Ciuibus item vtile, quòd Principi obediendo, & virtutes, & exteriora bona assequentur, communi salute potientur, optatamq; tranquillitatem, vbertatemque possidebunt: Certum enim est, quòd sicuti anima corpus regit, sic penè Regnum Rex: Vnde sicuti salus est corporis obedientis, mors autem refractarij: sic & optimum Reipub. Principi obedienti, pessimum repugnanti. Nec enim quid peius contingere corpori potest, quàm relinqui ab anima: nec quid peius Reipub. quàm à Principe, ne regatur, deseri.

Cùm autem à nullo magis, ad deserendum vterque prouocetur, quàm ab inobedientia, scilicet Rex & subditi: & hæc à nullo magis, quàm à repugnantia voluntatis, voluntate conciliatâ, obedientia præstò adsit, nec sola quidem, sed cum felicitate. Et hoc ipsum est, cur alij obedientiam felicitatis matrem dixerint; alij virtutem omnem ab obedientia incipere, sicuti omne vitium ab inobedientia, quòd per eam vel generentur, vel seruentur illæ omnes, adeò, vt quodcunque bonum, quamuis ex se ipso valde bonum, obedientiæ tamen alacritate factum, longè melius fiat. Quare iuremeritò columnam imperij esse obedientiam, dixerunt Politici, ita, quòd reuerentia sine obedientia illusio sit, sicut dilectio sine prouisione 38.

Obedientia est felicitatis mater, initium omnis virtutis & columna Imperij.

uiſione neceſſariorum vitæ, ex parte ſuperioris illuſio eſt. Obedientiæ autem baſis eſt vbertas, & rerum copia, ita quidem, vt ſicut columna abſque baſi ſtare non poteſt, ita neque obedientia abſque vbertate. Et ſicuti qui vult ſtatuere columnam, baſim priùs ſubijciat eſt opus; ita Principi obedientiam quærenti, vbertas eſt ante ſtabilienda.

Communi quoque Politicorum conſenſu Regna conſeruantur, iuſtitiâ & pace, horum autem omnium vbertas origo eſt; & de iuſtitia quidem iam ſupra dictum eſt: de pace verò, id quotidie in Regnis extraneis cernimus, & præſenti Anno 1647. quàm damnoſa, periculoſa, & toti Orbi miranda, facta fuerit defectio populi in Regno Neapolitano à Rege Hiſpaniarum, ob nimiam, vt fertur, tributorum exactionem, & conſequenter rerum penuriam: ad quam comprimendam Chriſtus Dominus edocuit Principes, cùm paucos benedixit panes, & ſuis miniſtris diſtribuendos dedit. Ad Deum igitur Principi accurrendum eſt, vt non modò ad ſaturitatem impleantur omnes, ſed & ſatis ad futurum opus ſupereſſet. Deinde Politici ſuadent, ne arctioris annonæ reſpectu, populos ab vrbe eijciat, expulſa enim multitudo, quid aliud, quàm inuidiam concipiet, & ſtatui turbationem machinabitur: & tandem ſiue fructus, ſiue frumenta, ſiue pecunias à potentioribus & abundantibus accipiat, mutuò, & in commune commodum per puras manus populo diſtribuat: ſic populo retracto à defectione, conſeruabit pacem, & conſequenter iuſtitiam, quia iuſtitia conſeruari non poteſt, niſi adſit pax.

39. Tria ſunt præcipuè quæ Reipub. pacem tollunt, & rebellionem, inobedientiam, ac defectionem inducunt: Populus famelicus, exactio tributorum nimia, quæ ad pauperiem eos reducit, & militum inſolentia, ob ſtipendia detenta. His obuiandum eſt, populo famelico vbertate, moderatis tributis theſauro publico. Hinc maximis laudibus Piaſecius extollit Xiſtum Quintum Pontificem, quòd erectis frumentarijs, muniuit Romam contra famem: tributa moderata inſtituit, & ingentes theſauros collegit, reponendo ſingulis annis decies centena millia nummorum aureorum Romanorum, in Caſtro Molis Adrianæ, ac quinto ſui Pontificatus anno completo, quinquies mille millia compleuerat: & hoc collegit pro neceſſitatibus Eccleſiæ, potiùs ex parſimonia, quàm ex cenſu Eccleſiæ.

Tria ſunt, quæ rebellionem, & defectionẽ Reipub. ac pacem tollũt, fames, nimia exactio, & militum inſolentia.

Piaſec. 1602. fol. 238.

In Regno Poloniæ non eſt timenda adeò defectio populi, ob penuriam annonæ, ſiquidem tanta abundantia frugum in hoc Regno adeſt, vt ipſum ſolum magnam partem Europæ pane proprio alat, Dantiſcum deducto, & illinc in varia Regna, & Principatus diſtributo, & mari euecto. Non eſt item timenda machinatio, ob nimiam tributorum exactionem,

ſiqui-

ſiquidem ſine conſenſu Ordinum tributa, nec inſtitui, nec determinari poſſunt; ſolùm ab inſolentia militum, ob ſtipendia detenta, ei maximè timendum eſt, ita vt omninò opus ſit eos mitigare, vel precibus, vel pœnis, vel ſolutione abſque vlla dilatione. Precibus vix Zamoyſcius in Liuonia mitigauit, vt tantiſper ſolutionem expectarent, vt refert Piaſecius: Milites (inquit) ſeceſſione factâ, ſtipendia, quæ tota illâ expeditione Liuonicâ non habuerant, tantâ pertinaciâ repetebant, vt omne obſequium recuſarent, niſi priùs illa numerarentur, & quia interim occaſiones Regi benegerendæ effluebant: ideo Zamoyſcius Dux exercitus prudentiſſimus, partim prece, partim pecunijs ex proprio peculio depromptis, vix milites mitigauit, vt ſtipendia vno & altero menſe expectarent. *Piaſec. 1615. fol. 395.* Pœnis milites ad officium & obſequia inducere, periculoſum eſt; attamen multi ex militibus fæderis Moſchici fuerunt proſcripti, vt refert idem. Optimus huic periculo obuiandi modus, ſtipendia flagitantibus militibus quamprimùm perſoluere; quemadmodum Sigiſmundus Tertius publicæ ſalutis gratiâ, militi Pruſſico ſtipendia perſoluit; ſtatim enim poſtquam de ſeceſſione tractare cæperunt, expediuit ad Conuentum illum de Legatis ſuis, qui & prece, & pretio, delinitis Anteſignanis, moram breuem pro ineundo demptorum calculo, & pecunia numeranda impetrarent, & ipſe ex peculio Reginæ proprio, magnam pecuniæ ſummam depromi fecit, & aliam in fidem publicam à priuatis mutuauit, hacque publicæ pecuniæ adiunctâ, debitum militare, reſciſſâ damnorum, quæ prætendebantur, compenſatione, præter ſpem omnium exſoluit.

Sed reuertamur ad vbertatem, à qua ſermonem noſtrum auſpicati ſumus, de qua Tacitus, vulgo vna Regi & Reipub. annonæ cura. *Tacitus lib. 4. Hist.* Exemplum talis prouidentiæ habent Reges, & Principes Chriſtum Dominum, & Gentiles quidem non videntur redarguendi, in eo quòd coluerint, & in 40.
venerarione habuerint Deum Panis, hoc quippe rationabile erat: ſed quòd eum ignorarent, & tamen colerent, ſuperſtitioſum: ideo Diuus Paulus ſubiecit errorem corrigens: *Quid ergo ignorantes colitis? ego annuntio vobis Ieſum Chriſtum, Dei Filium, eſſe Deum Panis*, & inquantum Deus, & inquantum Homo: & quidem inquantum Deus, nihil magis curâſſe videbatur, quàm omnem creaturam de ſuo paſcere: primum enim, quod in Orbe creando effecit, fuiſſe cibaria, ne dum ad homines ipſos, ſed & ad animantia hominibus in ſeruitura educanda. Præparatis enim priùs paſcuis, quod haberent ad veſcendum, nihilque eis deeſſet, illos tandem fecit, & inibi collocauit. Collocauit, inquam, vt non perfunctoriè, ſed ſolidè, ac iugi firmitate, atque adeo perpetuâ habitatione, hoc ijs curandum ducant homines: & quidem hoc inquantum Deus. Item, inquantum Homo,

Exemplum prouidentiæ vbertatis in Regnis Chriſtus Dominus præbuit.

mo, manifestauit se esse Deum Panis, quia & nascens, & viuens, & moriens, & resurgens pascendorum hominum curam egit, vt se Deum Panis manifestaret, &c. exemploq; suo Reges edoceret, in pascendis subditis desudare debere plurimùm: Si enim nascentem considerent, quid aliud quàm vbertatis studium, & exemplum reliquit? Quid enim, quòd solis Pastoribus super gregem suum noctu vigilantibus, proborum Regum symbolum, ortum se nunciatum misit? quid quòd solos Reges, Pastorum simulachrum, se adoraturos admisit? At verò, quæ forma iacentis in præsepio, qui locus est animalium in tuto pascentium? Sed quæ animalia secum? non aliquod rapax, non vorax lupus, non bellator equus: sed bos laboriosus, & asinus; alter frumento serendo, colendo, colligendo: alter vehendo, reponendo, molendo necessarius. Vt sic ad rerum copiam, pro cuiusq; cupidine in horum medio se apponere instrueret: Sed modum interim, vt alijs diuitem se Rex, non sibi esse oportere intelligat.

Si viuentem etiam perpendant, verè de illo dici potest id, quod de Psal. 77. n. 72. Rege Dauide dictũ est: *Pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Sitientes refocillauit; ita vt primum omnium signorum

41. fecerit, aquâ scilicet in vinum conuersâ ad refocillandos conuiuas. Et aliàs dicebat, quòd fuerit *fons aquæ viuæ, quam qui biberet, non sitiret in æternum.* Eamque ob causam *sequebatur eum multitudo,* & non poterat de eo dici, quod Seneca protulit de homine diuite stipato seruis: *Prædam sequitur turba ista, non hominem*; sed sequebatur fontem & originem vitæ, quæ & pane, & verbo Dei sustentatur. Has ob causas sequebatur eum multitudo in montem, quam cùm pauisset doctrinâ cœlesti, non neglexit etiam ipsis porrigere panem, nam non inuentis inter populum, quàm quinque panibus, piscibusque duobus, ad quinq; virorum millia: ac item aliàs panibus septem, paucisque pisciculis, ad quatuor item millia copiosissimè de suo pauit, ita vt primò duodecim, secundò septem superessent sportæ. In quem tamen numerum, neque mulieres, neque paruuli relati dicuntur, quorum multitudinem longè, quàm virorum maiorem fuisse credere quis piè posset: & quòd mulieres viris semper crenduliores cùm sint, piæque magis; & quòd paruuli ad Matrum vel vbera, vel manus ferè semper inueniantur; plures accurrisse potuerunt, Quod si etiam morientem consideret, Rex nullius rei curam potiorem, quàm solius annonæ augendæ, & procurandæ Regibus præcepisse, exemploque proposuisse comperies, atque adeò subditos de suo alendos, dum nouam Rempublicam instituens, seipsum suis subditis in cibum dedit, nouo edulij, nouo potionis genere excogitato; quod & ideo nouum testamentum appellauit, vt nouas Regibus ad rem hanc rationes excogitandas proponeret, & Christianos animaret, ad postulandum

Christus Dominus siue viuens, siue moriens, exempla præbuit Regibus diligentiæ, in procuranda & augenda annona.

dum hunc panem, absque suspicione indiscretionis, & importunitatis, exemplo illius, qui mediâ nocte pulsauit, vt panes mutuò accipere posset. Siquidem Tertullianus inquit: *ad eum pulsat, ad quem ius illi est, cuius ianuam nouit, quem habere panes sciebat.* Testamento ordinari voluit hanc confidentiam, quod perpetuò quis valere volens, moriturus præcipit. *Tertullianus lib. 4. contra Marcũ cap. 24.*

Si denique resurgentem aspicias, vacillantes in fide discipulos, solâ panis fractione tandem confirmauit: nec solùm tunc, sed & nunc oculi Domini super egenos: vbi teste D. Paulo, de cælo non solùm transmittit necessaria, ad conseruandam vitam, sed decora, atque lætificantia. Et quidem inquit, non sine testimonio seipsum reliquit, benefaciens, de cælo dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitiâ cor nostrum. Vnde exultauit, & ad exultandum hortatur Dauid populum: *Exultate* (inquit) *Deo adiutori nostro, &c. quia cibauit nos adipe frumenti*: & iterum. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, &c.* vbi insinuatur ex saturitate lætitiam, ex lætitia laudationem manare, & eâ cessante, & hanc cessare. Imitandi itaque exemplum habent Reges Christum Dominum Deum panis, vt subditos ad saturitatem, & affluenter pascant. Nec putent id indecorum esse, cibaria populo prouidere, quod in Christo speciosum erat Regi cibariorum curam gerere, hoc ipso, quòd Reges sunt Principes populi, obligantur, & de vita subditorum eos cogitare oportet, quæ sufficienti alimoniâ conseruatur. *Lucæ vltimo.* *Psal. 80. n. 1.*

42. Iustum, & laudabile est, (maximè si sit rectè circumstantionatum) pastum prouidere debitis circumstantijs. Et primum. Quando nimirum dum petunt, vel egent, ne serò & importunè offerendo, minùs item prouidus notetur Princeps, quale sit, quod dederit; ne quod offertur zizania admixtum, insuaue, & ingratum reddatur. Quantùm porrò doctrinæ Christi memores esse debent, qui pauit turbas ad saturitatem. Si enim egenti parùm porrigũt, famem prolongãt, non tollũt. Quoties toties, quoties esurierit, vt panis Regum iustò panis quotidianus dici possit, aliàs dicere deberent illud, quod refert Isaias, de renunciante dignitatibus Regalibus. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* *Non putent Reges indecorum esse, cibaria populo prouidere.* *Isaiæ 3. n. 7.*

Non dèèrit panis egentibus conferendus, si opulentiores à luxu arceantur, à sumptibus in esu, vestitu, habitu, & initu: si item lucrorum rationes an iustè, vel iniustè, an excessiui, vel moderati lucri sint? aduertãtur: an opes nimiùm amplificentur, si omnia moderatè fuerint, si granaria erigantur, annonæ caritas, vel pestilentiæ lues? ex quibus magna populi calamitas longè sit à Republica. Si præterea adsit parsimonia, vt expendendo, & diligentia in acquirendo, Respub. cito diues erit: quod si luxus dominetur, expensæ superabunt censum: sic ruina. Iam verò expensæ, vel

vel sunt vtiles; vel necessariæ, vel voluptariæ, hæ è Republica exulandæ. Enimuerò homines cùm sua consumpserint, res nouas quærunt, & vel ipsi ad tyrannidem inhiant, vel alios ad eam excitant. Sunt autem necessariæ, sine quibus humana vita constare non potest. Vtiles, quæ necessarias ita adiuuant, vt minùs frequenter iterare eas opus sit. Voluptariæ, quæ necessarias, & vtiles occupantes, & veluti personam ijs imponentes, vtrarum vsum corrumpunt; puta necessaria est vestis vtilis, vt diutiùs duret: voluptaria, vt pulchrior videatur. Sed heu hodie (inquiunt Politici) luxus corrupit omnia, qui adinuenit tot vestium nouas formas, suggerit superbia peregrinas, & variarum incisionum, vt nulli ornamento, nulli emblemati aureo, argenteo, serico, purpureo parcens, adeò, vt quod olim vix ipsis Principibus licebat, hodie vel cauponibus factum sit triuiale, frequentiore serici, quàm lanæ vsu iam facto, artibusque textilibus adauctioribus. Qua in re tantò peruicaciorem animum ostendunt homines excessiui, quantò magis exemplis veterum reprehenduntur, eaque negligunt, & illis minùs mouentur.

43. *Luxus in esu, vestitu, itu, palatiorum & ædium amplitudo, ac alia huiusmodi, maximè seruorum inutilium multitudo inducit in Rempub. pauperiem.*

Luxus quoq; in edendo labefactat Rempublicam, & rerum penuriam inducit, noua eduliorum obsoniorum genera, varia gulæ titillamenta semper excitans, diuersas bellariorum captiones proponens, quod amplissimæ familiæ copiosissimè sufficeret, id totum in prandio ab vno vorare facit, inutilibus instrumentis escarijs, potorijs, coquinarijs, cloacarijs, quæ ex argilla perpulchra essent, ex argento, auroque comparatis, vt tandem victorialibus triumphis abolitis, epulares instituti iam videantur, ea culinaris curæ solicitudo inualuit. Iam tunc non caput Diuinæ imaginis sedes, corpus regit, sed Magister artis, ingenijque largitor venter. Quod prudens vetustas notans hos, qui patrimonio absumpto, ad inopiam redacti fidem fallunt, & alienà deuorant, decoctores appellauit, quasi qui coquendo vitam tantùm agant, quique gulæ omnia dedant, & luxuriei.

Superuacuæ quoque ædium amplitudines multùm diminuunt de bonis communibus, dum aliqui palatia tectorijs laqueatis, picturatis, vermiculatis, inusitatis modis fucantes, auleis immodicis onerantes, vana suppellectili replentes intus, extra depingentes: non amplius hominum domicilia, sed templa Diuûm videri velint; nam & columnationum serie, & peristylorum amplitudine, primarijs cum templis ita bellant, vt debellent.

Præterea hoc ipsum accidit, iter faciendo, longa seruorum serie, vno vestium genere compositorum non contenta, rhedas insuper addit & carpenta, sed & sellas curules, tam ambitiosè, vt quod solis Magistratibus olim

olim in honorem dabatur, id vulgares quique, quasi in publici decoris ludibrium, sibi vltrò assumant, veluti, qui Regem in scæna repræsentant. Nec in otio esse contenti ipsi, multos etiam esse post se faciunt. Ita, vt videre liceat, circa vnum ignauum, & Reipub. inutilem quinquaginta consumi, aliàs vtiles futuros: hinc agrorum cultura deseritur, hinc, quod multis, & longis sudoribus partum est, dilapidatur. Procurandum igitur est, quomodo opes impendendæ, quod non nisi ad opera honesta, & subditorum Reipub.

Quod autem humana vita ad se exhibendum, agris, ædibus, victu, vestitu, nil ampliùs opus habet, vbi enim quis serat, vbi habitet, vnde viuat, vnde vestiatur habuerit, omnia ad vitam exhibendam habebit: in his accuratior diligentia impendenda, vt ciues, labore quærentes, parsimoniâ impendant, sic ditiores fiant: nam parsimoniâ, & labore crescunt opes. Et vbi ciues frugales in cibo, in suppellectili aurea, vel argentea, in moderato numero famulorum, quòd non plures nisi quàm par sit adsunt, ratione dignitatis, honestatis, necessitatis, & Maiestatis: quæ soli Regi conuenit; ibi diues Rex, Respub. & ciues Reipub. vbi vestes necessitati & modestiæ seruantur, & his similia; ibi abundantia opum, quibus sustentatur Respub. & subditi ad promptam, & hilarem obedientiam propendunt, vbi vsuris & fænoribus locus non datur, nec nimia lucra permittuntur; vbi Ministri & Præfecti tam annonæ, quàm bonis publicis, sunt viri sapientes, probi & industrij, vbi expensarum rationes atque lucrorum diligenter requiruntur, & in summa, vbi solus viuendi modus permittitur honestus, & prouisio vtilis, atque conseruatio opum prouida, absque excessu acquirendi, ibi non desunt alimenta, & copia rerum distribuendarum, quibus ciues ad promptè parendum, tempore pacis, & belli alliciantur.

44. Procurandum est qualiter opes expendédæ, & frugalitas in omnibus obseruetur.

Meminerint igitur subditi (vt paucis multa concludam) pro tanta Regis in se benignitate, quam gemmæ annuli desponsatorij insinuant, dilectione nimirùm, defensione, & vbertate se debere Regi reuerentiam, & obedientiam, quorum vnum sine altero illusio est.

Mirum est, quantâ dilectione homines virtutem prosequantur, eò, quòd omnium consensu eiusmodi natura ipsa virtus est, vt ad se trahat vniuersorum corda, etiam longè distantium, etiam sepulta sub altis terræ aggeribus, etiam recessu ab hac vita per mortem, & inde ad se omnium substantias, omnium corda trahit, inter quæ sapidissimos fructus referat. Quis magis ablegatus à mundo, quàm Ioannes Baptista? à primis vnguiculis viuens in deserto, mortuus sæculo erat, qui in Eremi cauernis sepultus iacebat; sed ecce dum ipse in Eremo absconditur, solitariam vitam

 profi-

profitetur, non poteſt ſolus manere, ſed ad illum confluunt populi vniuerſi. Et quæ Ioannis virtus, ſic ad ſe rapit populos vniuerſos? An nouum illud ieiunij genus? An inuſitata carnis maceratio? An longiſſimæ vigiliæ? An cæleſtis prædicatio? Maximæ erant in Ioanne virtutes, ſed quæ
Matth.11.n.7. alliciebāt populos, à Ieſu demonſtrantur. vbi dicit. *Cæpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne. Quid exiſtis in deſertum videre arundinem vento agitatam?* Minimè, ſed
45. virtuoſum virum. Quantò magis trahunt ad ſe ſubditorum corda, prædictæ tres Regiæ gemmæ annulares, tres virtutes: dilectionis ſinceræ, libertatis, & defenſionis perfectæ, eoſque penè impellunt, ſub ingratitudinis pœna, vt reuerentiam, tributa, obedientiam, eidem verò libenti animo offerant; quippe illæ tres virtutes Regum in annulo timoris Dei, inueſtituræ ac deſponſationis cum Regno, ſunt tanti ponderis, vt nec vento tolli, nec vi trahendi ad ſe animos ſubditorum priuari poſſint: non ſunt paleæ, aut arundines, quæ vento cedant, ſed grana, & partes Magnetis, quæ efficaciùs trahunt ad ſe ſubditos, quàm Magnes ferrum, aut ſuccinum ſtipulam, & fructum afferunt illum triplicem, reuerentiæ, tributi, & obedientiæ. Inter quæ præcipuus fructus, & quaſi complementum aliorum eſt obedientia, baſis, tranquillitatis publicæ Mater, Principi, & populo fructifera, & illorum priorum duorum bonorum, quaſi ſigillum, & confirmatio. Generale quippe ſocietatis humanæ pactum eſt, ſuis Regibus obtemperare. O mirum ſubiectionis affectum! immo liberæ voluntatis effectum. O promptam populi alacritatem! Meminerit quoque Princeps, ſe Patrem exhibere ſubditis, quoniā propriâ ſeſe abdicantes voluntate, quâ liberâ à Deo conditore, ita ſunt locupletati, vt ne dum non à creato quopiam, ſed & ne ab ipſo cogi poſſint: alienæ eam, Regiæ ſcilicet voluntati ita alligant, vt non quod à ſua ipſorum propria, ſed quod Regi placuerit, quæ candidè voluerit, ei peragenda relinquunt, tantùm ſincerè Regiæ voluntati confidunt, & in ipſum ſuam voluntatem transfundunt.

Tres gemmæ in annulo deſpōſatorio Regum illuſtratæ, mirum quantùm ad ſe trahant corda ſubditorum.

Confidunt autem ſubditi, quòd Princeps adeò addictus Reipub. atq; proprijs ſubditis, præcipiet iuſta, ideoque ſicut non còáctam, ſed voluntariam præſtabūt obedientiam, ita voluntatis Regiæ intimationem promptè exequentur, tantò alacriùs, quantò magis trahentur beneficiorum
46. præſtitorum magnitudine.

Præſtatur obedientia bono & malo Principi, ſed malo obedientia tantùm, bono & obedientia, (& timor) & amor præſtatur. Felix eſt Princeps cui obeditur, ſed longè felicior, cui præter obedientiam & amor præſtatur. Obediendo quippe corpus defatigatur, amando verò animus nunquam ſatiatur.

Differētia inter bonum & malū Principē in recipienda à ſubditis obedientia.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS, DE SPLENDORIBVS FVLGIDIS, Partium Corporis Politici, seu Ordinum Regni.

CAPVT PRIMVM.

Splendor Ordinis Senatorij, quòd claris oculis Reipublicæ assimiletur.

SPlendido, ac luminoso Capiti, cuius splendores huc vsque considerauimus, splendidum corpus còaptari iustum est. Porro in corpore Politico, cui Caput est Rex, inter omnia membra supremum locum obtinet, genuinum lumen oculorum, genuinus Senatorum status; nimirum, Ecclesiasticus, & sæcularis, atque conformiter ad sublimem oculorum positionem loci, correspondet Senatorum dignitas, & officium, quemadmodum enim docet Aristoteles, aciei oculorum officium esse pupillæ, & visus, lumen & tenebras percipere: (visus, inquit, est luminis, & tenebrarum: eadem quippe potentia est habitus, & priuationis eius:) Ita & officium luminum Politicorum est, à longè percipere vtilia, & nociua Reipub. honestis & vtilibus Rempublicam stabiliendo, & nociua repellendo. Et quanquam Plutarchus viros in Repub. optimos, assimilet oculis in corpore humano: Oculi, inquit, quibus videmus, viri in Republica boni sunt, quorum ductum sequimur, & ipsis salutem nostram committimus; singulari tamen ratione boni consiliarij Regij oculis in humano corpore assimilantur. Corpus absque oculis, sol sine radijs, est Princeps sine Consiliarijs. Res Sacra est consultatio, in qua est salus Reipublicæ: quemadmodùm enim lux ab oculis emicat, sic recta consilia à probis Consiliarijs prodeunt, ita, vt de illis possit dici illud Diui Pauli: *Inter quos lucetis, sicut luminaria mundo, verbum vitæ continentes.* Quoniam tot faces emittunt, & fomenta luminis, ac claritatis, quot consilia salutaria, verba, & sonos proferunt. Sublimitas ingenij Regum, communiter sequitur Regium sanguinem; verendum tamen, ne quandoque eos sublimitas ingenij fallat, ne grauiùs errent: nam errores magni, raro, nisi ex magnis ingenijs prodiêre: *Et qui multos regit, hunc à multis Regi oportere,* inquit Liuius,

> I.
> Genuinũ lumen oculorũ est genuinus locus Senatorum, Ecclesiasticorum, & sæcularium in Poloniæ Regno.

> *Ad Philipp. 2. num. 15.*

> *Liuius.*

Seneca. Liuius, & Seneca. *Nullum magnum ingenium sine mixtura defectus fuit.* Romani cùm omnia templa per gradus ascendentes fecissent, ingressum in solius Consilij, per descendentes fecerunt, vt innuerent in re graui, vel humillimis quibusque subijci, salutare esse, spectando, non ad eum, qui diceret, sed ad ea, quæ ediceret; maxime, *quia certum est in arte gubernatoria, Principem* Tacitus. *non posse sua scientia cuncta complecti*, vt dicit Tacitus. Estò igitur Princeps sit sapiens, sapientum tamen consortium spernere non debet, immo adhibere eos in consilium, præcipuè morum, hominumque, & Prouinciarum peritos; cùm ad rectum consilium dandum caput sit nosse Rempublicam, & tritum est illud Pòétæ veteris. Laudatissimus est ipse, qui cuncta videbit, sed laudandus & is, qui paret recta monenti.

2. Sanè non tam magnificat Principem multa pecunia, & auri pondera, quàm vnus bonus Consiliarius. Non tam faciunt auri segetes florentem Principem, quàm optimus Consiliarius, id & in Sacris literis, & monumentis gestorum, ac in varijs Regni Poloniæ arduis difficultatibus cernere est. Si Pharàó consuluisset immensas pecuniarum summas, & ingentes thesauros, nunquam ei vtilitatem tantam attulissent, quantam vnus bonus consiliarius Ioseph attulit. Pecunia enim vnius Reipub. non redemit vbertatem Orbis, prospicientia totius Ægypti, per septennium famem repulit: facilè enim pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Montes aureos si offeras, non tam ditabis Regnum, quàm si offeras vel vnum optimum Consiliarium; consilio recto, in summa fortuna, perfectioribus auspicijs conseruatur exercitus, quàm telis, vt inquit Tacitus: *Pleraque* (ait) *in summa fortuna, auspicijs & consilijs, magis quàm telis, & manibus geri. Qui se fortunæ committit*, inquit Seneca, *ingentem sibi materiam perturbationis, & inexplicabilem facit: at, qui consilijs regitur, facilè quæ attentauerit, perficit.* Nouerat id Sanctus Rex Dauìd, qui pugnaturus contra Absalon, non pecunias, quibus se munire posset, anxiè quæsiuit, non milites, quibus hostibus occurreret, sed vnum bonum Consiliariũ Chusai aduocauit: nihil thesauros Regios existimabat, arma atque exercitum contempsit, hoc vnum à Deo postulabat, *vt per prudentissimum Consiliarium infatuaret consilia Achitophel.* Quod sacræ literæ edocuerunt, id experientia & in motu ciuili Regni Poloniæ, & in adipiscendo Regno Sueciæ, alijsque arduis negotijs, manifestè cernere licet, vt referunt Historici Gestorum Europæ, & Regni Poloniæ, præcipuè Lubienscius. Cùm enim Rex Poloniæ Sigismundus Tertius pro capessendo Regno hæreditario Sueciæ, Stocholmum primariam Regni illius Ciuitatem venisset, Carolus Regis Patruus tantis difficultatibus negotium implicauit, quod etiam Regi hæreditario, Caroli ambitio conditiones præscribere, quibus Regnum susciperet, contendebat;

Non tam magnificat Principem multa pecunia, & auri pondera, quàm vnus bonus Consiliarius.

Tacitus Ann. 13.

Seneca.

2. Reg. 15. 32.

Lubienscius.

debat; verùm salutare prudentis Senatoris Tarnouij consilium, præuenit Caroli cupiditatem: Cognitâ quippe fraude Caroli, eâ intentione arcem ascendentis, vt cædis initium faceret, ait ad Lascium item Senatorem Polonum. Pereundum, inquit, nobis est omnibus, nisi fraudem virtute præueniamus. Carolus & Regi, & nobis, vel mortem, vel tetrum carcerem machinatur, paratior est quàm nos, & in suo nido audacior: sed non desunt rationes, vt vel saluâ dignitate, nec inulti moriamur, vel certè Regem nostrum, & nos ab omni dedecore vindicemus. Ingredienti itaque Carolo arcem cum Proceribus, militibus eius, quorum numerus ad duo millia erat, arcem ingredi non est permissum, portæque clausæ, & munitæ, maioribus bellicis tormentis suâ fraude se circumuentum agnoscens, pallere, trepidareque cæpit, maximè cùm Tarnouius intrepidè illum allocutus est, dicens: An putas nos tuas fraudes ignorare, & quo spiritu huc armatus ingredi præsumpsisti? Mox Deo, innocentiæ Regiæ vindice, tuo capite litabis. Atque sic perterritus æquioribus conditionibus, quàm initio voluerat, consensit, & Regnum (pro quo acceptando Rex venerat) eâdem horâ detulit, & Coronationi dies prima mensis Martij assignata est, etiam mutuarum obliuione iniuriarum. Tantùm potuit vnius viri prudentis consilium. Nec minùs eruditum consilium, elegans & salutare fuit datum, à quodam viro Politico, eidem Regi laboranti, in adipiscendo prædicto Regno, vt habet Piasecius. In motu quoque ciuili, salus conturbatæ Reipub. Polonæ, per consilia optimorum Senatorum, Sæcularium & Ecclesiasticorum restituta est.

Piasecius refert prædictum consilium.

3\. *Plurimis Cõsiliarijs opus habet Princeps, neque enim solùm ad bonitatem cõsiliorum attẽdendum est, sed etiam ad numerum.*

Quòd si vnius prudentis Consiliarij consilio Principes, & Regna conseruantur, quantò magis dum plures? Pluribus enim oculis plura & meliùs cernuntur, nam & arx faciliùs à pluribus, quàm ab vno defenditur; ideo Salomon inquit: *Ibi salus, vbi multa consilia*; & hinc communiter dicitur; quid debeat fieri, cum multis tracta, quid facturus sis, cum paucis, quid autem volueris, ipse tecum: Non solùm igitur ad bonitatem consiliorum attendendum est, sed etiam ad numerum. Quantus autem numerus Consiliariorum pernecessarius sit Reipub. varij, varia: Chrystophorus Varsauicius vult non maiorem, nec minorem, quàm septemplicem differentiam Consiliariorum esse necessariam in Repub. Atque inprimis Consilium ærarij, ad quod spectat omnium prouentuum Regis, tam descriptorum, quàm extraneorum cura: & quomodo congregare, custodire, tueri, amplificare, prouentus oporteat. Alterum vult esse consilium pacis, seu administrationis status, ad quod spectat circa ciuiles, & legum res, siue actiones occupari, rationes sumptus subducere, eo modo, quo ille proponit. Præterea Consilium belli: Huic, inquit,

intererit, quomodo arces rectè muniendæ, erigendæq; munitiones, quomodo tuenda sint confinia Regni, & alia, quæ ibi fusiùs pertractat. Item Consilium de comeátu, & prouisionibus, illudq; vocat consilium comeatus; cuius, inquit, cura prouidere, de victu, atque comeátu, pacis & belli tempore, &c. Adhæc Consilium Legum, cuius curæ erit, quibus functionibus, quibus Magistratibus, quibus Rectoribus, & quali auctoritate Principatus indigeat, videre. Tandem Consilium pœnarum, vt ferat decretum de omnibus criminibus, secundùm illius vrbis leges, vbi committuntur. Denique septimum Consilium præmiorum; nam si inflictæ sint pœnæ malis: suo honore & præmio, minimè etiam defraudare virtuosos expedit.

4. Verùm compendiosiorem modum diuisionis, & numerum Consiliariorum proponere licet. Sunt quippe in Repub. Consiliarij inferioris gradus, & maioris authoritatis. Inferiores sunt Consiliarij priuati: item Consiliarij conscientiæ, & tandem Consiliarij mortui: & de Consiliarijs quidem maioribus infra agemus, nunc cæteri expediendi sunt; Primum autem, quod suadent Politici, est, ne sexus fæmineus cõmuniter admittatur ad consilia: tum quòd, vt inquit Tacitus: *Fœminarum sexus, non imbecillis tantùm, & laboribus impar, sed si licentia adsit, sæuus, ambitiosus, & potestatis auidior: tum quòd vt plurimùm, consilia illius sexus, sunt in ruinam Regnorum,* vt referunt Chronistæ de Christiana Cæsare Henrico genita, vxore Vladislai, cuius elatior animus magis veterem, quàm præsentem spectabat fortunam, effecitque, vt Vladislaus primo tributo fratres grauare vellet, mox cùm id negabatur, arma sumpsit, sed ab illis victus, fugatusque, dum aliena appetijt, sua amisit.

Compendiosa diuisio, & numerus Senatorum in Repub.

Tacitus.

Dubienscius in vita Goslai Episc. Ploc.

Iuuenum etiam consilia nociua sunt, testis est Vladislaus Rex Vngariæ, & Bohemiæ, qui dum sub tutela Sigismundi Regis Poloniæ Patrui sui esset, feliciter regnauit: postquam autem adhæsit consilijs Iuuenum, præsertim Vngarorum moribus, luxu, fastu corruptorum, à Turcis cæsus interijt.

Miasecius in enarrationibus fol. 40.

5. His à munere consiliandi explosis, Consiliarij priuati, moribus & vitâ conspicui, atque ex animo Principi addicti, & Reipublicæ fauentes: Consiliarij (inquam) tales priuati, non sunt denegandi Regibus, si enim nullus in rebus priuatis est adeò sufficiens, vt minimè consilio egeat, medicorum ægrotantium more, qui alios sibi adhibent medicos, quilibet enim in suo negotio hebetior, quàm in alieno; quantò magis in ijs, quæ spectant ad Reipub. negotia? Diuinissimi hominis est, non hærere inflexibiliter proprio consilio, sed aliorum quoque expectare consilium, quippe infidus Consiliarius, est cor propium: *Quis enim vnquam sibi ipsi, verum dicere ausus est?* inquit Seneca.

Cõsiliarij priuati non sunt denegandi Regibus.

Seneca.

Cùm

Cùm igitur boni gubernatoris sit, non velle omnia suo nutu gubernare, non expectato aliorum iudicio, eorum præcipuè, qui idiomate Hispanico Priuati vocantur; nos sodales, vel potiùs personas familiariores Regum dicimus: bonum est eos audire, modò tales sint, quales fuerunt Christi Domini dilecti, Petrus, Ioannes, Iacobus: *hinc hos tres elegit, & in montem Thabor assumpsit, alijs relictis.* Petrum quidem, quia syncerè diligebat Christum; Ioannem, quia syncerè diligebatur à Christo; & Iacobum tanquam animosum, ad hauriendum calicem Passionis Christi. Et licet reliqui Apostoli fuerint quoque virtuosi, ne tamen confunderet Iudam, qui ineptus erat ad seruandum secretum, quod est anima consilij, dum remaneret solus Iudas sub monte, & reliquos ibidem reliquit Christus Dominus. Si itaque tales priuati Regum fuerint, vt illi tres, qui sunt secuti Christum Dominum, hi consulendi sunt; licet adminicula consiliorum eorum, non semper Rex sequi debeat, quod docuit Christus, quia ex istis tribus, consilium præcipui, scilicet D. Petri, quia non in publicũ commodum deseruiebat, à Christo fuit reprobatum, tanquam non ex Spiritus Sancti instinctu procedens, sed sathanæ afflatu. Neque tamen id mirum alicui fieri debet: nam vt dicit Diuus Ioannes: *Spiritus Sanctus, nondum erat datus Apostolis, quia nondum erat Iesus glorificatus.* Vbi Diuus Augustinus: *Nondum erat glorificatus faciens Diuina, & glorificatus passurus humana.*

Matth. 17.

Ioan. 7. n. 39.

6. Itaque præstantissimæ gubernationis exemplum reliquit Christus Dominus, dum & priuatos, & amicabiliores personas ad mysterium, quod nulli reuelandum voluit ante mortem, assumpsit, & ab illis sæpiùs consilium exquisiuit: Vnde & turbis subuenire volens, dignatus est à Philippo interrogare, eiusque consilium expectare; estò minùs cæteris ingeniosus fuerit, ne id Principes afficeret, quòd ab inferioribus consilium petant: *Nam & Moyses* (inquit Origenes) *qui erat homo mansuetus, super omnes, accepit consilium ab inferiore, eiusq; consilium secutus est, aliàs hominis barbari Iethro, vt formam humilitatis Principibus daret.* Et Diuus Petrus, clauum Ecclesiæ tenens, poterat per seipsum perficere electionis Apostoli negotium in locum Iudæ subrogandi, nihilominùs tamen consilia Fratrum, & vota expectauit: *Viri fratres*, inquit, &c. plùs fidens consilio Fratrum, quàm eminentiæ, & sapientiæ propriæ. Cæterùm prudentiores Principes (vt aiunt Politici) etiam inter priuatos delectum habent, Aulicorum consilia minùs tuta putant; quòd scilicet plùs iusto Regibus assueti, omnia Regibus siue honesta, siue non, collaudare facilè possunt; & dum placita loquuntur, rem suam quærunt. Necessarios quoque minùs candidos esse, in dandis consilijs, ait Sacra Scriptura: *Noli consiliari cum sodali amico tuo.* Hæc de Consiliarijs priuatis. Consiliariorum verò conscientiæ consilia, adeò sunt necessa-

Præstantissimæ gubernationis exemplum reliquit Christus Dominus.

Origenes.

Actor. 1.

Eccles. 37. n. 7.

necessaria, vt in periculo sit Principis conscientia, si ea spernat: tum
7. quòd etsi omnis ordinis viros, consilia abijcere minimè deceat, sacros
Consiliarij conscientiæ quàm sint necessarij, & quales esse debeant. sæpiùs consulendos suadent & Politici, & sacræ literæ: licet enim sint minùs experti ciuilis administrationis, spirituali tamen consultatione opus habent, cùm diuersa sunt consilia: Spiritualia, & Politica, alteri corpora commissa sint, alteri animi; altera cogat, altera hortetur; altera necessitate vtatur, altera consilio; altera arma ferrea, altera verba tractet; quia tamen cùm Princeps caro sit, & carnis facta non nisi spiritu refrenare possumus, conscientiarum directores, Deo Principibus irato, sese opponere possunt, & eius iræ cuspidem supplicationibus obtundere. Præterea in rebus scientiâ dubijs, nullo authore remedio, æstuantem animum possunt temperare Reges, quàm spiritualis conscientiæ directoris consilio, qui quasi è specula sedens, clariùs extra aleam videt, quod in lusu ipso, vix turbidè ipsi discernere possunt. Modò in omnibus attendant Consiliarij conscientiæ, ad illa sola, quæ sunt secundùm beneplacitum Dei.

Imitentur horologium solare, vbi virgula visum vmbræ non aliter indicat, nisi vt cursus solaris luminis perficitur; ita, vt de illa possit dici illud: *Aspicitur, si aspexerit*: aspicitur ab hominibus, si sol aspexerit: ita, in-
Ecclesi. 37. 18. quit Spiritus Sanctus per Ecclesiast: *Anima viri sancti, enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores, sedentes in excelso*: aspiciente Deo, & dirigente
8. ac inspirante bona consilia. Non absque mysterio adiectum est (aliquando vera) vt intelligat Princeps illorum audiendorum gratiâ, non esse o-
Senatorũ dignitate maiorum consiliũ non est prætermittendũ. mittendum consilium Statuum Senatorum, & Ordinum, Patrum Reipub. quippe ad eos pertinet solùm in ijs, quæ ad æternam vitam spectant, ac animæ salutem, & conscientiæ directionem consulere. Nec obstat, quòd de æternis nullum consilium esse, docuit Aristoteles: *De æternis autem*, in-
Aristoteles. quit, *nemo consultat*; vt de mundo vel diametri, laterisque incommensurabilitate: sed loquitur vt alienus à fide, & in Philosophia de æternitate non rectè sentiens. Cæterùm Principibus Christianis, de æternorum posses-
Matt. 16. sione, maxima ratio habenda est. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quare fortunata, & secura est Respub. cuius Princeps directione optimi Consiliarij conscientiæ, est vir probatæ mentis. Nec vlla est Respublica felicior, quàm quæ à sinceræ conscientiæ Principe administratur, & gubernatur; talis quippe Princeps timetur à multis, amatur ab omnibus, eò quòd præcipuè insudat, vt vir bonus habeatur coram Deo, & hominibus; & deinde vt habeatur, vt bonus Princeps: nam si malus vir esset, noceret sibi, si malus Princeps, ingens damnum afferret Reipub. Quare in difficultatibus consci-

entiæ, inquirere tenentur Principes, bonos & prudentes Consiliarios, qui sint vehiculum, non in æternam damnationem, sed in beatitudinem perennem animas eorum deferentes, non blandientes, sed veritatem dicentes, non affectu commodi, vel proprij interesse, sed ex charitate cautè monentes: vt & Principi debitam deferant reuerentiam, & Deo ex bonitate conscientiæ illorum, deferant honorem.

Imitentur Diuum Ioannem à turbis, à publicanis, à militibus, consultum: quid cuique faciendum esset in ordine ad salutem. Hic sanctus vir non studuerat Aulæ, à puero interfuerat solitudini, & contemplationi tantùm se dedisse legimus: tamen secundùm ius, & aulæ incrementum, & felicitatem militibus intrepidè consuluisse nouimus. 9. Viri Spirituales & Religiosi quandoque cõsulendi sunt à Principibus exemplo Regis Dauid.

Dauid Rex in rebus grauioris ponderis decernendis, conuocauit non solùm sæculares Consiliarios, sed & ipsos Eunuchos. Qui ij fuisse exponuntur, qui ab omnibus sæculi alieni artibus, orationi tantùm & lectioni vacabant, ab vxoribus abstinentes. Hi religiosi apud Hebræos erant, de quibus Dominus ipse: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerant, propter Regnum Dei*; hos tanquam Deo sacratos consuluit Dauid, eò quòd essent beneuoli, & fidem seruantes, atque bonam mentem habentes; tales decet esse Consiliarios conscientiæ, quibus Reges concredunt conscientiam suam, illorumque consilijs acquiescunt. *Paral.* 28. *n.* 1. *Matt.* 19. 12.

Tandem Consiliarij mortui (Alphonsus Rex Aragonum intellexit libros & Annalium codices) sunt apprimè necessarij: tum quòd ad actiones instruant, in illis quippè condita est lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis, posteritatis præcursor, testis temporum; nempe historiarum, & antiquitatum relatione. Cùm mortalium plerique, vel metu, vel adulatione impediantur, ne verum suggerant: mortui prædicti consulendi sunt, qui candidè, quod conducibile est, monent, & in duobus præcipuè instruunt Principes, in doctrina, & veritate; quibus etiam voluit instructum esse olim Deus Summum Pontificem, ideoque in Rationali iudicij, tanquam in libro, prædicta descripta gestabat: *Pones autem*, inquit, *in Rationali iudicij, doctrinam & veritatem*, Regibus, scilicet, & Principibus communicandam. Sanè nihil vtilius Principi doctrinâ, nihil magis decet Reges, quàm sapientia, quæ ex libris hauritur, & illa sola hominem facit. De Rege Nabuchodonozor, quam ob causam cœlesti iudicio castigatus fuerit conuersione in belluam, inquiunt Doctores: Et alij quidem volunt, quòd propter peccatum superbiæ: *Quia*, inquit, *elatione cogitationis se super homines extulit.* Alij ob crudelitatem, quia, inquit Theodoretus, *in sibi subiectos ferinâ mente, & animo fuerit, meritò forma vitæ agrestis damnatus est.* Libri etiam qui dicuntur Consiliarij mortui, consulendi sunt. *Exod.* 28. 30. *Gregor. in lib.* 5. *Moral. Theodoret. in Daniel.*

Franciscus Feuardensis in cap. 1. Ruth.

Franciscus Feuardensis affirmat, quòd propter odium doctrinæ, & librorum legis. Quia, inquit, *Satellites, & Ministri Nabuchodonosor Regis, libros legis combusserant, septem annos quasi immanis bellua, Regno, hominum consortio, menteque priuatur; & iuremeritò, vt qui pabulum mentis doctrinam spreuit, ipse quoque ab hominibus sperneretur, & inter belluas constitueretur, atque pabulo eorum vesceretur.* Quare Consiliarij mortui, eâ ratione vtilissimi sunt Regibus, quòd aliorum casu, cautos faciunt Principes, & quod vitent, seriò admonent.

10. Præterea Consiliarij mortui, absque vllo metu, excusâ omni adulatione Principes monent, vt veritatem super omnia colant, eamque in omnibus actionibus obseruent, siue publicis, siue priuatis, instituendo, iudicando, præcipiendo, priuatim cogitando, conuersando, videndo, audiendo, faciendo.

Quænam illa sunt, in quibus Principes instruuntur à Consiliarijs mortuis?

Instituendo, docent Reges omnes, Diuinæ legi conformes mores habere. Iudicando, vt Rex à iusto nō recedat, sed sit verax, acsi oracula proferat. Præcipiendo, vt nihil inhonestum præcipiat. Priuatim verò cogitando, vt nil fictum in mente teneat, Deum inspectorem, & testem, atque cogitationum exactorem præ oculis habeat. Conuersando, vt his tantùm assuescat, qui bonitatem eius augere possint, flagitiosorum, malignorum, impudentium, crudelium conuersationem fugiat, ne, sicut corpora pestilentia inficit, sic animum nequitia eorum. Loquendo etiam, vt non hoc dicat, illud faciat. Videndo, vt ne quid mendax inspectet, mendax autem quodcunque vanum, vanum quodcunque vacuum, vacuum quodcunque non plenum, solus Deus omnia implet, cætera vana, à quibus oculorum auersionem, enixiùs à Deo postulabat Rex Sanctus. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Quid gloriosius Regiâ Maiestate? accidit tamen quandoque Regibus, vt morientes videant illam vanitatem, quam viuentes reputabant Maiestatem. Audiendo quoque, ne aures eius pateant, & mens adulatoribus, qui coruorum instar corporis oculos effodiunt, animi cogitatus hebetant.

Psal. 118. v. 5.

11. Denique faciendo, vt quod semel dixerit Princeps, annuerit, promiserit, re ipsâ efficiat; atque ita priùs, quàm promittat, consultè deliberet, & tandem quod deliberat, faciat citò; nam veritas odit moram.

Consiliarij mortui sunt libri sacri, sed præcipuè liber S. Crucis.

In his instruunt Principes Consiliarij mortui, codices, & libri, sed super omnia codex, & liber ille Diuinus, Christus crucifixus, qui est ipsa veritas, magni consilij Angelus, hunc Deus genuit Filium veritatem, de quo Diuus Hieronymus. *Nunquam de manibus, & oculis tuis recedat liber hic, ibi disces puritatem animi*, teste Nazianzeno. *Ego* (inquit) *Diuinis oraculis euoluendis, mentis puritatem collegi. Ibi ardorem mentis in Deum hauries.* Nulli dubium, quin Sacris voluminibus incendium salutare reperies, inquit D. Hieronymus. Ibi non solùm homines priuati discent, quæ necessaria sunt ad salutem, sed & Reges,

D. Hieron. Epist. ad Rust. Monach.

Nazianz. de Silen. Orat. Quadrages.

S. Hieron. Epist. 142.

ges, quæ rectam gubernationem spectant: nam vt inquit Iustinianus Martyr. *Non efficit Poëtas, non Philosophos reddit, sed ex morti obnoxijs immortales, & Deos ex mortalibus facit.* Et Clemens Alexandrinus: *Verè Sanctæ literæ, quæ Sacros faciunt, & deificant, scilicet, vulnera, & guttæ sanguinis Christi.* Hic liber nunquam de manibus, & oculis Regum Christianorum amouendus esset, exemplo Philippi Secundi Regis Hispaniarum, qui, vt fertur, cùm sæpiùs ante crucifixi imaginem, ante filium Dei, qui est veritas, orare enixiùs in more haberet, atq; osculis pedum crucifixi oblectaretur, fraude inimicorum pedes crucifixi, dum osculari tentaret veneno inunctos, crucifixus pedes auulsit, eique osculum denegauit. Vnde Rex sapientissimus facilè intellexit, beneficio crucifixi, non solùm, quod ad regimen Regni spectat ei concessum esse, sed & vitam, quam ei terrum virus à nefarijs hominibus subministratum auferre conabatur, conseruatam intellexit. Hæc de Consiliarijs priuatis.

Iustinianus Martyr in Orat. 2. ad Græcos.

Cæterùm Consiliarij Senatores viri eminentissimi in Republica, Optimates adeò sunt Reipublicæ necessarij, vt ea omnia, quæ de necessitate Consiliariorum supra dicta sunt, vel illis solis deseruiant. Priuatorum Consiliariorum consilia sunt licita, sed horum Principum vota adeò sunt necessaria, vt rectè quidam dixerit. Fundamentum euersionis Regnorum est, euertere consilia Senatorum. Consilia priuatorum licitum est Regibus ad placitum sequi: at Senatorum vota examinare, diiudicare, atq; acceptare Regum officium est, imitando Deum, de quo Sacra Scriptura: *Deus stetit in Synagoga Deorum, & in medio eorum Deos diiudicat.* Non minùs necessarij sunt Reipublicæ Senatores, quàm oculi capiti; Sol, & Luna Orbi: Ideoque sicut oculi eminentiorem sibi locum vendicant in capite; ita & Senatores in Regno, ac Principes coronati imperio.

12\. Splendor Senatorum præcipuè in Regno Poloniæ ex authoritate insinuatur.

Psal. 81. n. 1.

Porro in tam eminenti ordine, duo vel maximè consideranda veniunt, Authoritas, & dignitas. Authoritas, partim ex nomenclatura, partim ex origine. Dignitas verò, partim ex eo, quòd sint luminaria Regni, atq; Reipublicæ, partim, quòd sint fulcra eiusdem ex officio. Olim apud Romanos Senatores dicebantur, & appellabantur, tum Senatores, tum etiã Patres conscripti: Senatores quidem, Etymologia nominis desumpta à senectute, quæ tanti habebatur apud Romanos, vt non dubitauerint statuã senectuti erigere, quam tanquam Deum adorabant, & tanquam ad rem Sacram liberationis causâ rei confugiebant: & iuremeritò, quippe senectus est portus virtutum, anchora stabilitatis, quercus annosa, quæ frustra flatibus tunditur. Vnde Cicero ait: Magnam gratiam habendam esse senectuti, quæ efficeret, vt non libeat, quod non oportet. Neq; tamen existimandum est solos senes ætate mereri nomen Senatorum, etiam iuniores

13\. Senatores nomen accipiũt à senectute, cui multa debét mortales, propter beneficia, quæ illis confert.

ætate,

ætate, & senes animo, vitâ immaculata, virtute, experientiâ ornatos, Sacra Scriptura inter Senatores collocat, eosque Senatores appellari vult, desumptâ appellatione à senectute, & canitie morum. *Senectus* (inquit) *venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.* Senectus venerabilis est, vbi cani sunt sensus hominis, & non solùm capilli, & ætas senectutis vita immaculata: sed, vt corpori, ita & animo senectus est, inquit Aristoteles. Appellabantur item apud Romanos viri Senatores, Patres conscripti, quia nomina & cognomina eorum auro conscripta erant. Et quod maiorem authoritatem prædictorum insinuat, in Sacra Scriptuta dicuntur Patres Regum; sic in Palatio Regis Tyri Hiram dicebatur Pater Regis. Sic enim ad Salomonem scripsit Rex Tyri. *Misi tibi virum prudentem, & scientissimum Hiram Patrem meum.* Ne autem quis putaret Hiram fuisse Patrem naturalem Regis Tyri. Septuaginta interpretes legunt. *Misi tibi Hiram seruum meum, & Patrem per officium, qui paterno affectu Regnum, & Regem venerabatur*; & hinc facilè elucescit magna authoritas, omni veneratione digna Senatorum.

Sap. 4. 8. — *2. Politicorũ.* — *2. Paral. 2. 13.*

Sed nec minor ex origine, & antiquitate, de qua illud solum affero, quod habet Lubienscius de origine Senatorum in Polonia. Hic asserit, quòd inductâ in Poloniam Religione Christianâ, atque adhuc in cunis existente, vix vllum Senatus, aut consilij publici vestigium erat. Princeps vnus, & solus omnia poterat, eius voluntas, lex non scripta, sed iussa; Episcopi primi aliunde huc acciti, qui ex vsu aliorum Regnorum, & ex præscripto Sacrorum Canonum, hâc conditione se esse non posse ostenderant. Sed postquam Principum nostrorum pietate, non solùm omnem à Regia iurisdictione exemptionem collatam acceperunt, verùm etiam viros illos graues, eruditos, & sanctitate illustres, vt Patres venerati sunt, ac ex eorum deinceps sententia, & consilio Rempublicam se gesturos professi sunt: & illis, vt leges ad formandum Ecclesiasticum, Politicumque statum scriberent, ius dicerent, permiserunt, in Senatum acciti sunt. Tandem viri graues, & eruditi sæcularis status, illis coàptati sunt, qui vnà cum ipsis consilijs Politicam Christianam firmarent, & corroborarent. Quippe, vt inquit idem. Soli Episcopi primitùs Senatoriâ dignitate fulgebant, & vtrumque latus Regium tenebant.

Lubienscius.

14. Splendor eorundem Senatorum ex origine & antiquitate.

15. Splendor eorundem Senatorum ex dignitate illustratur.

Dignitas porro Senatorum manifesta ex eo, quòd sint lumina Reipublicæ, propterea enim luminibus corporeis, oculis scilicet, comparantur; deinde quòd sint fulcra eiusdem, præterea, quòd senectutis gloriam præ cæteris obtineant. Absit à Senatoribus, quòd caligine habeant obductos oculos; lucidi, & vigilantes, ac veritatis amantes esse debent, &c. hæ quippe sunt pupillæ oculorum proprietates, inepti ad lucendum, & illumi-

illuminandum sunt oculi caliginosi. Auertat Deus tenebras ab optimis Senatoribus, quin potiùs clari, atque lucidi adsint obtutus illorum. Christus Dominus restituit oculos, & visum cœco nato diuinâ potestate, id, in quo natura errauit, corrigens, vt non ampliùs ambularet in tenebris, sed in lumine viueret. Simile lumen per Senatores Reipublicæ communicat, ad abijcienda opera tenebrarum sole intelligentiæ, ne Respublica erret à via veritatis, & iustitiæ.

Verum lumen intelligentiæ plura requirit in Senatoribus, ex sententia Christophori Varsauicij, tum ex parte corporis, tum ex parte animi. Requirit enim, vt ingeniosus, eloquens, linguarum cognitor, virtuosus, politicus, peregrinationibus edoctus, & plura alia, quæ ipse multiplicat. Hyppolitus à collibus, adhuc plures conditiones adijcit: vult enim, vt sit prudens prudentiâ Theologicâ, & prudentiâ humanâ, speculatiuâ, & practicâ, iurisprudentiâ eruditus, &c. Compendiosiùs alij tria in Senatoribus desiderant, doctrinam, beneuolentiam, liberalitatem, &c. Verùm vt paucis multa comprehendamus, eos dixerim optimos Senatores, qui lucidos habent mentis, & animæ oculos, intellectum, & sinceram voluntatem, conscientiam puram, atque vitæ sanctimoniâ claram, & animam intemeratam: nam dum in rebus temporalibus tot manent contingentiæ, non sufficit prudentia humana; Spiritus Sanctus inuocandus est, quo mediante datur donum consilij, quo mediante eleuatur intellectus ad rectè consulendum, de medijs ad finem, qui non habitat in anima subdita peccatis. 16.

Ad augendum splendorem Senatorũ plura requirunt Politici.

Tales igitur Senatores cùm sint ipsi lucidi, Spiritus Sancti gratiâ facilè lumen in Reipub. negotia ardua influet. Cùm etiam sint optimis moribus, & vitæ sanctimoniâ exornati, atque splendidi, facilè in Rempublicam splendores morum diffundent. Hoc est, quod olim Rex Sanctus postulabat à Domino. *Bonitatem, & scientiam doce me*; hoc idem desiderandum est in Senatoribus, bonitas, & scientia. Bonum verò est duplex: Diuinum, & humanum, illud tantò hoc melius, quantò Deus homine, & tantò magis amandum; hoc autem vt via ad illud, quod rursus est duplex: Publicum, & priuatum; hoc eatenus amandum, quatenus ad illud dirigitur; qui igitur in bonum contendunt magis, in illis maior bonitas cernitur: *Et bonum quidem Diuinum summo amore prosequendum est, ab eo, qui bonus dici desiderat, quoniam bonus vir sine Deo nemo*, inquit Seneca. Et quòd ab illa Diuina bonitate reguntur omnia, ideoque recta inspirare consilia, in eius voluntate est roborare, & dissipare, cùm enim homines caro sint, & carnis facta, non nisi Spiritu refrænantur, ideoque dubijs in rebus nullo tutiore remedio consilia roborari, & clarificari possunt, quàm Spiritu Dei, & gratiâ suâ 17.

Psal. 118. n. 65.

Requisita in Senatoribus ad duo puncta reducuntur.

Seneca ad Luciũ lib. 5. 44.

sufficienter præueniente, quæ conceditur omnibus, qui diligunt Deum. Hoc igitur primum attendendum est, vt bonum Diuinum, & honorem Dei in summo pretio habeant Senatores, religionem, & pietatem promoueant, & nouitates in religione, & moribus introduci non permittant; nam rebus in omnibus semper periculosum est, innouare sæpiùs perniciosum, inquit Aristoteles, quod olim cauebant maximè pientissimi Reges. Sigismundus Primus Vladislai Iagellonis filius, rigorosè in quosdam pro hæresi, & seueriùs animaduertit, dum concionatores hæreticos in medio fori, vnà cum tredecim alijs capite mulctari iussit, vt refert Piasecius. Bonum quoque publicum, cùm quodam modo sit Diuinum, si in ordine ad illud bona priuata dirigantur, est bonitatis sufficiens argumentum, neque enim prohibetur dilectio boni priuati Senatoribus optimis, si illud in bonum Diuinum, & bonum publicum dirigant. Quod si prædictâ bonitate exornati fuerint Senatores, eam gratiam à Deo obtinebunt, vt intellectum quoque habeant illuminatum à Patre luminum, quo lumine accepto omnem literarum eruditionem, aut augebunt, aut superabunt, ad destinatum sibi munus exequendum, sufficientem, nam qui boni, illi communiter eruditi, vt bene consiliari, & omnia rectè disponere valeant, adeò vt dici possint luciferi agendorum, & consiliandorum in bonum Reipublicæ. Siquidem consilia in manu Dei sunt, qui dissipat consilia gentium: erunt quoque eruditi in sapientia Politica consiliatiua, quæ in eo consistit, vt rectè calleant, (præsupposito, quòd consilium non sit aliud, quàm ratio aliquid faciendi, vel non faciendi, per discursum firmata) de quo consiliandum sit, quod nimirum consilium non sit de his, quæ determinata sunt, aut quæ fieri non possunt, aut de fine, sed de his, quæ sunt ad finem. *Consulendum* venit, inquit Aristoteles, *quidquid fieri poßit, non vt finis, sed vt medium, & via ad finem, finis enim vt certus, atque necessariò intenditur, deliberatus, non deliberatiuus proponitur.*

Arist. 2. Polit.

Piasecius Enarrationum Europæ seu gestorum fol. 48.

18.

Qui Senatores boni, ij quoque communiter eruditi Deo inspirante, quem nosse illis oportet.

Prou. 21. n. 30.

Nôrunt item prædicti Consiliarij, quòd sicut medicus non deliberat, sanandusne sit æger, sed hoc fine præfixo de sanandi ratione disquirit; sic & Senatori consulendum non est, Regnumne in pace, & rerum copia conseruandum, sed quâ ratione firmum teneri, atque impauidum, & beatum esse possit. Perspectum tandem habent, instinctu Spiritus Sancti, quòd custodia Regni adeò vigil esse debet, vt insperata pericula non sentiat, ne fortè attonitos, pauidos, & prorsùs stupidos faciat negligentia; ita, vt quid agendum sit, in insperato casu prorsùs ignorent, tam proceres Regni, quàm incolæ eius, quemadmodum accidit imperio Turcico: nam cùm Cosaci Zaporouienses ex Boristhene centum myoparonib⁹ Pontum Euxynum, mare nigrum vulgò dictum ingressi, vsque in prospectum Constanti-

stantinopolis venerunt, & ibi prope vno milliari, in littus descendentes, Oppidum insigne Iangikoic expilârunt, ac incendio immisso vastârunt. Tantus terror fuit in ea Vrbe Constantinopolitana, vt intra sex horas, quibus tales hospites illi portui imminebant, nullæ vires, vel ad defendenda littora, vel ad eos inuadendos expediri potuerint, demum verò aliquanta triremum classis egressa, spectauit tantùm cum præda optima ipsos abeuntes, confligere non ausa.

19. Senatores nō solùm sunt luminaria Regnorum, sed & fulcra.

Iam verò non minor splendor, & dignitas Senatorum est ex eo, quòd sint fulcra Reipublicæ, quibus sustentatur Regnum tanquam domus sapientiæ. *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam, excidit columnas septem, &c.* dicit Sacra Scriptura Sap. 9. Felicissimum Regnum est, quod domus sapientiæ nuncupari meretur, in quo vinum temperatum, & mensa frugalis proponitur. *Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* (*Eccles. 10. n. 17.*)

Præter temperaturam vini, & mensam frugalem, talem, qualem sapientia exposuit, & exponi desiderat. *Excidit sapientia columnas septem, in quibus ædificauit domum:* (*Prou. 9. n. 1.*) Columnæ, & fulcra Reipublicæ sunt Senatores, sustentantes Regnum, & firmantes Rempublicam in fide Romana Catholica, zelo, potentiâ, doctrinâ, cultu diuino, &c. siue illi sunt Sæculares, siue Ecclesiastici. Pater sustentat filium, Dominus seruum, & Senator Rempublicam, quæ etsi, ob inconstantiam in fide vicinorum, ruinam minabatur, & omissionem nociuam eorum, quibus fidem Catholicam fulcire debitum erat, vigilantiâ tamen Senatorum firmata est. Vnde Episcopi vigilantes, & de fide Catholica Romana prospicientes, facti sunt, quasi stellæ matutinæ, & astra in medio nubium. His zelosi, & pietate clari Senatores sæculares, in diebus suis, pulsis in fide nebulis vicinarum gentiũ, luxerunt vt luna, dum plena est in suo lumine, & horũ zelo fact⁹ est thronus fidei sanctæ gloriosus in Polonia. Horum prudentiâ, & deuotione factum est, vt Regnum in plures ducatus diuisum, sub vna corona còálesceret, Deo meritis eorum correspondente, atque merito inclyti Martyris Sancti Stanislai, Senatoris sanctissimi; vt enim corpus eius in plures partes dissectum fuit, & tandem Diuini numinis virtute, absque vlla nota cicatricum, fuit reintegratum: sic & corpus Reipublicæ Poloniæ, in plures ducatus diuisæ, in vnum Regnum còáluit, refert Chronista Poloniæ Miechouita. (*Miechouita.*) Vnde tantâ potentiâ hoc Regnum, Diuinâ gratiâ, & sapientissimorum Senatorum prudentiâ erectum est, vt quibuscunque potentissimis Tyrannis, Deo auxiliante, & bene propitio, resistere valeat. Non quadrat prædictis Senatoribus id, quod Deus ad Senatores Isráël locutus est. *Væ Prophetis insipientibus, qui non ascenderunt ex aduerso, neque opposuerunt se murum pro domo Isráël,* (*Ezech, 13. n. 3.*)

20. Senatores, præcipuè viri Ecclesiastici, fidem Catholicam conseruârunt, & firmârunt in Regno Poloniæ.

Israël, sed liniebant parietem cum luto, absq; temperatura, ideo dic (inquit) *ad eos, quòd casurus sit paries propter ventum procellæ dissipantem, & Spiritum tempestatum in indignatione.* Fortissimus paries, & munimentum Christianitatis est Regnum Poloniæ, quòd spiritus robustorum potentiâ Turcarum, quasi turbo impellens parietem, ad nihilum redigere multitudine exercitus attentabat; sed opponentes se murum prudentes proceres, strenui bellatores, exercitus Polonorum portam Christianitatis firmârunt, exercitum Turcarum attritum à finibus suis confusissimè pepulerunt, effeceruntque, quòd Osmanus à suis vitâ priuaretur, & in inferno sepeliretur; Regnum autem Poloniæ gloriosissimo triumpho exornaretur. Vtinam tantæ sanctitatis, & dignitatis Senatoribus gaudeat Regnum Poloniæ, reflorescеret sanè in temporalium abundantia, fama, ac reputatione. Firmaretur in fide, & obedientia erga sanctam Romanam Ecclesiam, & tandem in Dei fauore, & gratia perenniter permaneret.

CAPVT II.

Splendor potestatis Iudiciariæ seu Tribunalitiæ, quòd sustentet Regnum, sicut brachia corpus humanum.

21. Respublica Polona præ cęteris Regnis est adeò bene ordinata, vt & Rex sit potentissimus, & Respublica inexpugnabilis.

Piasecius in Chronica Gestorum in Europa fol. 58.



Rdinatissimam, & bene moderatam esse Rempublicam Polonorum, & Historici, & res ipsa testatur. In illa enim præest Rex, summo contentus dignitatis gradu, & censu fisci sui, à primordijs Regni præfinito, quem minuere, vel augere lege prohibetur. At ille abundè ad omnes sumptus aulæ Regiæ, perquàm magnificos (splendori cuiusuis opulentissimi in Europa Regis æquales) sufficit, & ad munificentiam quantumuis excelsi animi, Principe dignam. Nec aliunde, nisi ex isto censu fisci proprij Rex Poloniæ, liberalitatem exercet penè profusam, in tantùm, quòd in tam vasto imperio, & populorum multitudine, paucissimi sunt ex nobilioribus, & militaribus melioris notæ, qui non participent ex gratia Regis aliquot alimenta fisci Regij, & plerique tam ampla, vt inde opes non mediocres comparent, vt fusiùs id deducit Piasecius. Et quod maioris considerationis dignum est, ex tam profusa liberalitate, & huiusmodi largitionibus, non exhauritur Regiæ munificentiæ thesaurus, immò vires inde acquirit, ad vsum continuum. Hic idem Rex potentissimus est arbiter virtutum, & meritorum, atque pro qualitate illarum, diuersarum dignitatum temporalium, & spiritualium collator est, vnde authoritatis neruus consistit. Etsi prædictus Rex

Rex tantæ ſit poteſtatis, nihil tamen incommodi Regno, & populo inde ſequitur; nam & tributa nulla valet imponere Rex, niſi quæ ordines Regni, vnanimi conſenſu concedunt, & ex eis collectis, in Regis priuatum commodum nihil cedit: verùm per quæſtores publicos, ad vſum, ad quem ſunt inſtituta, applicantur. Ex his eſt Rex armis, & opibus adeò potens, vt primi Poloni Turcas vinci poſſe oſtenderint, illius audaciæ frænum obduci, crudeliſſimum impetum cohiberi poſſe, vt de facto accidit ſub arce Chocim, vbi ille, qui neminem niſi fugatum, victumque in acie videre aſſueuerat, Polonis arma tenentibus, primus ex acie cedere coactus eſt.

Hoc decus, ea gloria eſt Regni Poloniæ; ſed illud præcipuè hoc Regnum glorioſum efficit, quòd in eo recta iudiciaria poteſtas, ac tribunalitia vel maximè viget, vnde prouenit, quòd & Rex ſit armis potentiſſimus, & ſubditi meritorum præmia percipiant, ſed offendi non poſſunt, quòd alios in officio, & obſequio metu, alios honorum, beneficiorumque diſtributione contineat. Quia verò, teſte Plutarcho dicente, veteres, inquit, ita loquuntur, & ſcribunt, & docent abſque iuſtitia principatum rectè gerere, nec Iouem quidem ipſum poſſe. Ideo laude, & memoriâ perenni dignus eſt Stephanus Rex Poloniæ, qui ſtatim à principio Regni ſui, normam iudicij, quòd cauſis equeſtris ordinis, vice Regis manum ſupremam apponeret, componi curauit, & feliciter perfecit, in comitijs Regni Generalibus Varſauiæ celebratis Anno Chriſti 1578. Cuius conſtitutionem Tribunalis Regni, ceu parlamenti Regni Poloniæ, fuſiùs refert Piaſecius: vbi & Eccleſiaſticorum in Iudicijs publicis Poloniæ authoritatem explicat, & quæ iudicio Regio reſeruata ſunt, ſubnectit, concluditque Regem Stephanum ſeipſum, & Reges futuros graui leuaſſe onere.

Plutarch. de doctri. Principum Tomo 2.

22.

Præcipuus ordo cernitur in Regno Poloniæ, in norma exercitij Iudicij Regij, & Tribunalitij.

Non fuit hic Rex ſurdus auditor verborum, & admonitionis Diuinæ per Salomonem, dum diceret: *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Et ſanè digna eſt iuſtitia, vt ab omnibus mortalibus diligatur, non ſolùm, quia vbi non eſt iuſtitia, ibi regna ſunt latrocinia: verùm etiam, quia & ipſum nomen iuſtitiæ amabile eſt. Seduli ſemper fuêre Poloni in iudicandis cauſis, & litibus forenſibus componendis, maximè dum à minorum iudicum ſubſellijs ad ipſum Regem prouocabantur rei, ita vt relictis palatijs, ſub papilionibus etiam iudicia exercerent: ſed pronioribus in dies hominum ad lites naturis, cauſidicorumq; garruloſâ eloquentiâ, in iſtis partibus creuit numerus litigantium, vnde grauantur Reges varijs curis diſtenti, dum aſſiduè examinandis controuerſiarum ambagibus, & reddendo iuri præſidere debent. Vnde Henricus Gallus Rex, pertæſus aliquando tanti laboris, aiebat. Per meam fidem (inquit) Poloni iſti faciunt, vt agam Iudicem Legiſperitum, in breui volent, vt agam etiam cauſidicum.

Sap. 1. n. 1.

Piaſecius.

Nec expectauit (inquit Piasecius in sua Chronica.) Fieri potest vt prædictus Rex Henricus dilexerit iustitiam, labor tamen nimius ei tanquam Principi, alijs negotijs distracto displicuit, cùm tamen vel ipsum nomen iustitiæ nos inuitet, in proprijs, & alienis humeris hoc onus portandum.

23. Nuncupatur enim iustitia, quasi iuris statio, & potestas, iuxta illud Sacræ Scripturæ. Isa. 22. 22. *Dabo clauem Dauid super humerum eius*: nimirum iudiciariam potestatem. Hæc sanè iustitia ita commendatur Regi, quòd, si eam præcipuo honore, & obseruantiâ prosequatur, quasi Deus fiet: nam & ideo illa de cælo prospexit, vt oscularentur se inuicem cum pace bonæ voluntatis de terra orientis.

Iustitia vnde deducitur, huius primus Iudex Rex, deinde Tribunalistæ.

Primus itaque Iudex in terra est Rex. Vnde Sanctus Dauid exorabat Deum. *Deus iudiciũ tuum Regi da, &c.* Et ipsa veritas inquit: *Honor Regis iudicium diligit.* Deinde per commissionem ij, qui ad iudicia tribunalitia spectant, his præcipitur, vt diligant iustitiam singulariter; signum autem dilectionis est, exhibitio operis. Operibus ergo prædicti declarare debent, quantùm diligant iustitiam, quæ quidem vt non solùm sint iusta, sed & iustè facta, monet Spiritus Sanctus per eundem Salomonem. *Qui* (inquit) *custodierint iusta, iustè iustificabuntur*: qui scilicet rectè iudicauerint; nam qui legem iustitiæ non custodierint, secundùm voluntatem Dei, illud deseruiet ipsis, quod idem Salomon subdit: *Quoniam data est potestas à Domino vobis, & virtus ab Altissimo, & interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri Regni illius, non rectè iudicastis.*

Psal. 71. n. 1. *Psal. 98. n. 3.* *Sap. 6. n. 11.* *Sap. 6. n. 4.*

24. Vt igitur in hoc Regno iustitia solenniter à prædecessoribus inducta splendeat, duo vel maximè videntur necessaria: vnum est, vt Iudices secundùm voluntatem Dei iudicent. Alterum verò, ne ministos iustitiæ vituperabiles habeant. Porro illi rectè iudicant, qui secundùm Dei voluntatem ambulant; illi secundùm voluntatem Dei ambulant, qui in intentione, & fine administrationis iustitiæ cum Deo conueniunt, deinde, qui modum iudicandi & assiduitatem Dei in iudicando imitantur, quod hîc illustrandum est.

Iudices rectè iudicant, si conformentur ad iudicia Dei.

Res certa est, quòd dum Deus exercet iudicia sua, non intendit absolutè pœnam, sed vt per pœnam ordinetur culpa, & vt alij corrigantur, vel satisfiat iustitiæ Dei, ideoque nullâ ratione, etiam grauissimè puniendo, est crudelis. Qui Anathomiam exercent, & in corpus humanum ita sæuire videntur, vt ne vnam quidem venam, aut neruum relinquant, quin illud dissecent, aut diuidant: sed quoniam eâ intentione id faciunt, vt corporibus viuentium infirmantium rectè subuenire valeant, crudeles non sunt. Vnde Aristoteles docet; *Pœnas esse medicinas spirituales.* Spirituales, inquit, non corporales, quia corporalia emplastra ei sunt proficua, cui applicantur;

cantur, non alijs: sed medicina spiritualis, quæ applicatur alteri, scilicet punitio, prodest alijs ad emendationem, & fugam peccatorum: quæ maior pœna esse potest sicut illa, quam exercuit in Hebræos Dominus? Impletum est enim, quod olim minabatur per Prophetam. *Dispergam eos in omnem ventum.* Et per Isaiam. *Donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montium, & quasi signum super collem.* Vnde Diuus Paulus monet Christianos, vt cauti sint. Si enim non pepercit ijs, quos adeò dilexerat, vt ex eorum sanguine nasceretur, quid sentiendum de alijs? *Hierē. 49. n. 32. Esaia 30. n. 17.*

In hac igitur sancta intentione Iudices imitari debent Deum, vt insinuare voluerunt Græci, referente Aristotele in illo adagio. *Iudicem & Aram idem esse.* Quod sane difficile intellectu videtur: iudicium enim non est absque strepitu, & disceptationibus; Ara vult quietem in sacrificijs offerendis Deo: iudicia communiter spectant ad sæculares, ara & oblatio ad sacerdotes: quomodo ergo ita conueniunt, vt iudicium, & ara idem sint? 25. Conueniunt in intentione, quia sicut ara per oblationes liberat homines à culpis & pœnis, ita iudices & tribunalia à persecutione, & inquietudine latronum, homines pacificos tuentur. Si enim Iudices in Republica puniunt aliquem pœnâ colli, non eâ intentione id faciunt, vt vitam ei auferant, sed ne alios inquietet. In eo solùm differunt Iudices & Ara, quod Iudices intendunt liberare à damnis innocentes, dum puniunt nocentes: Ara autem liberat communiter etiam nocentes, & peccatis obnoxios. Hoc igitur primum est, in quo Deum imitari debent Iudices, scilicet in intentione.

Aristoteles.

Iudicium & Ara partim conueniunt, partim differunt.

Deinde in modo puniendi. Deus quippe non punit vt perdat, sed vt corripiat, & emendet, ideoque iustitia Dei ita seuera est, quòd etiam misericordiam annexam habeat, vt testatur Regius Propheta Dauid. *Semel Deus locutus est hæc, duo audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* In hoc igitur imitari debent Deum Iudices, & præcipuè supremus, & præcipuus Iudex, Rex in suo Regno; propterea enim Dei benignitate, in tantam dignitatem euectus est, vt faceret iudicium, & iustitiam, quemadmodùm ad Salomonem locutus est: *Posuit te Deus super thronum Israël, & constituit te Regem, vt faceres iudicium, & iustitiam.* Videant ergo Reges, an imitentur Deum in administratione iustitiæ, & inprimis in rectè iudicando? *Psal. 61. 12. 3. Reg. 10. 9.*

Tribunalitium iudicium sanctum est, si imitentur Deum Tribunalistæ. Diligenter tamen inuigilandum, ne serpat malum, quod affirmat Lubienscius, causam præcipuam malorum in Polonia, corrupta, inquit, iudicia esse: enumeratque corruptelas omnes & defectus, quos etiam legere absque horrore vix aliquis potest. Quare satagendum est, vt neque dilectis *Lubienscius dissertatione de statu rerum Polonorum.*

ob bene-

ob beneuolentiam gratificetur, neque exosis, ob indignationem resistatur; paris enim turpitudinis est, vel scelestum iustificare, quòd amicus sit, vel innoxium damnare, quòd inimicus. Malum vtrinque simile licet in contrarijs inuenitur: deinde, ne nimis seuerè, aut nimiùm remissè iudicent, sed in omnib⁹ iudicijs iustè non ad personas attendendo, sed ad iustitiæ causas. Neque enim absque seueritatis, & asperitatis suspicione esset, si nimius cultor iustitiæ haberi quis velit: Sacrâ Paginâ monente Eccl. 7. 17. *Noli esse multùm iustus*, quia qui magnus iustitiæ cultor haberi velit, hic in paruis aliquando ius violet, oportet. Sanè parua aliquando eâ ratione concedenda sunt, vt eo maioribus resisti possit: & qui ad peccandum sunt paulò propensiores, faciliùs coërceantur, & quia in opinione hominum, id & Regibus, & peccantibus nocet; Regibus quidem, quia asper, & inexorabilis putabitur, nulli vnquam cedere, nihil prorsùs condonare, hoc nil aliud est, quàm esse sæuum: peccantibus etiam, vt qui parua commiserint, indigni prorsùs omni remissione iudicentur. Non hoc tamen dicere volo, quod omninò modica spernenda sint, quia ipsum Sacrum oraculum ait: *Qui spernit modica, paulatim decidet*: vnde nec contemnenda parua, sine quibus magna constare non possunt: à scintilla vna augetur ignis adeò, vt parua neglecta sæpè magnum excitet incendium: si etiam paruum paruo addas, magnus cumulabitur aceruus: ideo ex paruis, sæpè magnarum rerum momenta pendent. Fluuij ex multis riuis, riui ex multis guttis, ex multis granis vnus aceruus conficitur, non sunt ergo contemnenda parua, si in corruptionem morum vergunt; neque tamen nimis seuerè aduertenda, sed diligenter remedia adhibenda, monente Christi exemplo, & visione, de qua D. Ioannes in Apocalypsi. *Vidi* (inquit D. Ioannes personam supremi Iudicis, & Præsidis Tribunalitij,) *in medio candelabrorum aureorum, & de ore eius gladius, vtraq; parte acutus exibat.* Mirum alicui videri posset, quidnam est, quòd Christus gladium ancipitem, non in manibus gestet, sed in ore, & stellas in manibus, vt idem Apostolus testatur, cùm habeat claues mortis, & inferni? non est sanè aliud, nisi quod insinuat Regibus, aliter parua delicta, & aliter magna crimina punienda esse, labijs percutienda sunt leuia peccata, & labiorum gladio; secùs magna, more medicorum, qui vt docet Hippocrates, extremis morbis extrema sunt adhibenda remedia. Præmijs etiam auocandos à malis peccatores insinuat, dum stellas in manu gestat.

26. Iudicandũ est prudenter, nec nimis rigorosè, nec nimis remissè.

Ecclis. 19. 1.

Apoc. 1. *n.* 13.

27. Simulachrum recti iudicij Christus in medio candelabrorum aureorum.

28. In assiduitate, & diligentia iudicandi, Iudices imitari debent Deũ.

Tandem in assiduitate, & in diligentia iudicandi, imitandus est Deus, qui ad id continuò attendit, vt iustitia semper & in omnibus exerceatur: assiduus itaque esse debet primus iudex terrestris in exercendo iudicio, siue modus illius sit solennior, siue simplicior. Solennior, qui certis annis

pro

pro Tribunali, sedentibus Iudicibus Senatoribus grauioribus, de rebus eorum sententias audiat, vt fieri solet in Comitijs Generalibus. Simplicior verò, qui fieri solet certis diebus. Hac assiduitate iudicandi, & alios inferiores Iudices commouebit, & excitabit, ad non negligenda iudicia, & à dilationibus deterrebit, atque efficiet, vt Dei alumnus esse censeatur, dicente Homero de Regibus. Iouis, inquit, Deorum Principis alumnos esse Reges, non naturæ quâ præditi sunt ratione, sed propter officium, quo administrant iustitiam. Verum ne Reges quotidiano labore cōsumantur, voluit Christus apparere Diuo Ioanni, in medio candelabrorum aureorum, per quos significantur Tribunalistæ, in subsidium Regibus, tam ardui negotij concessi, qui essent còádiutores ipsorum, iuxta consilium Iethro soceris Moysen, dicentis: *Prouide viros ex omni plebe, viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* *Exod. 18. 21.* Singula verba magnâ consideratione digna sunt: dicit primò; *Prouide ex omni plebe,* quoniam electio Magistratus, Iudicum, & Consiliariorum, cum maxima prudentia, atque aduertentia facienda est, ex hoc enim pendet vtilitas, vel damnum Reipub. & ipsius Regis, qui si in hoc errat, in omnibus deuiat, sicut qui originem aquæ tollit, flumina exsiccat. Inde reputatio Regis, fama, fides, reuerentia apud proprios, timor apud inimicos. Subdit vlterius, *sapientes, & timentes Deum*: Vbi enim maiori sapientiâ opus est, & timore Dei, sicut in iudicijs? vbi hostes veritatis, aureis, vel argenteis armis, pugnant contra iustitiam; ideòque vlteriùs subdit, *in quibus sit veritas*, qui scilicet pro nulla re mundi veritatem deserant: *& qui oderint auaritiam*; non sufficit enim, quôd ipsi longè sint ab auaritia, sed quòd etiam in alijs eam odiant, opus est.

Iudices itaque, qui imitantur Deum in intentione, in modo puniendi, in assiduitate exercendæ iustitiæ, persimiles sunt in Repub. brachio dextro, & sinistro, vtroque sustentantes iusta, & recta iudicia; ac perconsequens Regni felicitatem, ac beatitudinem. Dicere solebat Augustus Cæsar: duo sunt brachia Imperatoris. Iustitia, & Misericordia: sed brachium dextrum est Misericordia, brachium sinistrum est Iustitia. Vnde sicut homines sæpiùs vtuntur operâ manus dextræ, quàm sinistræ: ita Iudices magis debent propendere ad misericordiam, quàm ad iustitiam. Cùm Iudicium Tribunalitium audimus seueritatem, & rigorem in iudicandis criminibus expauescimus. Cæterùm, sicut in Tribunali conscientiæ, ita & in Tribunali iustitiæ seu legali, cū seueritate adesse debet clementia: & hæc est Dei voluntas, quam insinuauit per Prophetam: *Indicabo tibi*, inquit, *ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam.* 29.

Iudices assimilantur brachijs in Reipub. corpore Politico seu Mystico, ideo debent esse temperati, iusti, & misericordes, & nullâ ratione remissi.

Michea 6. n. 8.

At inquies, lex est Diuinæ voluntatis lingua, ideoque ab ea recedere non licet, sed secundùm illam iudicare, maximè, quia lex, lux & via vitæ dicitur simulachrum, cuius constitutionis author est Deus, vel homo, vel Respub. Verùm sicut lex dicitur anima Reipub. (quòd sicut corpus anima destitutum, sic & Rempub. legibus destitutam, cadere sit necesse) ita anima legis est iudex prudens, & salutaris arbitrij. Vnde & quæstio est inter Politicos, num meliùs gubernetur Respub. per leges, an verò per Principes, & viros prudentes? Quare non iuxta corticem legis pluries decernere licet, cùm lex vniuersaliter definiat, quæ vniuersaliter non sunt; cùm & prudentia in singulos extendi debeat, in multis deficiat, opus est. Quare si Respub. sine lege esse non potest, ita & lex sine arbitrio boni viri; quod non eo animo dicitur, vt atrocium criminum rigorosa punitio vituperetur (nam & maiores nostri reliquerunt exempla iudicibus rigorosæ iustitiæ: vt refert Lubienscius citans Cromerum: quòd Boleslaus Crispus Bolestam virum potentem, sed violentum Castellanum Visnensem, ob interfectum Episcopum Plocensem, motus & atrocitate facti, & interdicto Archiepiscopi, comprehensum, iussit ex vinculis causam apud se dicere, condemnatumque in foro Gneznensi, extructo rogo cremari iussit:) sed eo animo, ne remedia sint grauiora, quàm delicta; vt inquit Tacitus: Quin potiùs nihil peius Iudicibus remissis, & meticulosis, diligentes enim & animosi esse debent in puniendis delictis. Nimiâ remissione Pilati factum est, quòd condemnetur reus mortis Christi: defendebat quidem Christum, nam propterea dixit, *Flagellatum dimittam*, propterea inhumanè, & ferali pene rabie tractatum à Iudæis, atque sanguine perfusum, crudeli turbæ præsentauit, vt eos ad compassionem moueret, dicens: *Ecce Homo.* Quasi vellet dicere, inquit D. Augustinus: *En qualem Regem molimini, quæ vtilitas si hunc occideritis, qui hominibus ne in minimo quidem nocere potest.* Nihilominùs tamen reprehenditur, & reus mortis Christi iudicatur; quia inquit idem: *Fuit mollis, & meticulosus, magis quàm asperis moribus, neque enim Christum condemnauit, neque Iudæos manifestè confutauit.* Molliter rem agit homo, (inquit Aristoteles) vbi inquirit: Cur homo, qui à Deo eruditione præditus est, omnium animantium sit iniustissimus? & respondet: an quia ingenio, cogitationeque plurimùm valet; voluptates igitur & felicitatem rimatur, maximè perpensat, quæ, nisi cum iniuria, nemo assequi potest, itaque acerrimum iudicem faciunt cupiditas gloriæ, opum, amicitiæ, & similium: & cupiditas amicitiæ Cæsaris Pilatum crudelem effecit.

Lubienscius. *Tacitus Annal. 3.* *D. Augustin.*

30. Verùm non satis perfectâ dilectione complectuntur Iustitiam Iudices, si ipsi solùm sint intentionis rectæ, in executione iustitiæ temperati,

ti, atque in iudicando diligentes, ministros autem iudiciorum, qui quandoque sunt hostes iustitiæ, vituperabiles habeant. Sanè nihil se egisse ducant, nisi & cum iudiciorum ministris diligentiùs egerint. Geminæ hìc insidiæ, auaritiæ, & ignorantiæ, gemino à Tribunalistis telo, seu potiùs bissulco, quasi Neptuni fuscinâ transfigendæ: Auaritiæ, & ignorantiæ. Auaritiæ primùm, in hac omne periculum, & discrimen ingens, nullum enim est officium tam solenne, nulla mens tam sancta, quæ hac pollui, violarique non possit. Ferox bestia est, quæ quò minùs mandit, eò plùs vorat, quæque cùm vesci non videtur, deglutit. Etenim inquit D. Ambrosius, *dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupiunt, præstare diuitijs iustitiæ formam exuunt, beneficentiam communem amittunt.* Aduocati, Procuratores, Notarij, particulares Iudices, & alij his similes sunt fulcra Tribunalium, si longè fuerint ab auaritia, suumque officium laudabiliter exerceant, ne fortè applicetur eis illud solenne dictum: *Litigatores esse aues; forum seu Tribunal, aream; Procuratores, Notarios, Patronos, &c. aucupes; qui & aues, & victum eorum comprehendant,* conformiter ad illud Sacræ Scripturæ: *Venatio Leonis Onager in eremo:* sic pascua ministrorum Tribunalitiorum, pauperes litigantes. Ad supremum Iudicem Christum Dominum dictum est: *Reges eos in virga ferrea:* non quantùm ad seueram correptionem, siquidem mitissimè arguebat peccatores, sed quantùm ad integritatem, quia trahente auro, aliisque muneribus, inflexibilis erat in iudicando. Virga piscatoris non inclinatur, si hamum piscis non tangit, quod si pisces tangant escam, à sua rectitudine virga inclinata recedit: Sic supradicti Aduocati, & muneribus corrupti procuratores, sicut pisces tangunt hamum, si litigans offert mercedem, ideo inclinantur ad patrocinandum, aliàs non: de ijs in populo continua lamentatio, qui si iustam habet causam, verendum, ne Deus de cœlo prospiciendo, gemitus eorum exaudiat, & totum Regnum, propter illorum auaritiam, puniat.

Non satis est, quòd ipsi Tribunalistæ & Iudices sint recti: sed necesse est, vt & Ministros Iudiciorum habeant bonos, & præcipuè, ne sint ignorantes & auari.

D. Ambrosius in libro Officiorum.

Eccles. 13. n. 23.

Psal. 2.

31\. Quare procurandum est Præsidibus Tribunalium, vel inprimis vt numerum, & qualitatem prædictorum aduocatorum instituant. Sicut & olim ad quodlibet Tribunal præscripti legantur: deinde vt sint contenti suis salarijs, & honorarijs, illis scilicet, quæ honoris causâ dantur: non tamen pecuniæ, ne quasi mercede conductus videatur Aduocatus. Vnde honorarium non dicebatur merces pensio illa. Apud Græcos Antipho quidam Rhamuntius primus omnium, ob defensum negotium mercedem accepisse scribitur, cuius sordidæ mercedis pœnæ à subsequentibus assignatæ fuêre, vt in quadruplum restitueret. Ad hoc igitur Tribunalistis attendendum est, aliàs, vt dixi, audient luctum in Regno cum eiulatu magno, dicente Salomone: *Vidi iniquitatem sub sole,* hominem mortalem, in litem immortalem

Procuratores, Aduocati, Scribæ, qualiter ab auaritia comprimendi?

lapsum, & expilationi venditos, pro re certissima habentes, quòd

Auro venalia iura,
Aurum lex sequitur,
Mox sine lege pudor.

Scilicet in expilandis, aucupio capiendis, venatione acquirendis pecunijs & diuitijs, abiectâ conscientiâ, iuxta illud Senecæ: *Facilis ad diuitias via, quo die bonæ mentis pæniteat. Si auaritiæ occurrerint,* iustitiam & bonum commune diligentes Tribunalistæ, ignorantiæ quoque occurrere debent; quòd sicut auaritia est perditionis pater, sic ignorantia mater sit: ignorans enim in tenebris vel nolens ambulat, qui in tenebris ambulat, offendat oportet, qui offendit, raró quin cadat, qui cadit, raró quin frangatur, qui frangitur, raró quin pereat: Optimum contra ignorantiam remedium, si continuò libris assideant, ex illisque, quæ ad officium eorum spectat, hauriant.

Seneca nat. Quæst. lib. 4.

32. Qualiter occurrendum, ne Ministri Iudiciorum sint ignorantes?

Qui nihil legit Iudex vel Procurator, nunquam studijs incumbit, nunquam librum vllum inspicit, nunquam domi est, de die circumuagatur, de nocte ludit, qui fieri potest, vt iustitiam contra hostes eius, auaritiam, & ignorantiam protegat, & defendat? Deinde opus est, vt cum bonis & doctis conferat negotia. Nihil ipsi Iudici turpius, nihil Regno perniciosius, quàm Iudicem vel ministrum Iudicij, qui iudicare, & punire in alijs vitia debet, vitiosorum semper secum trahere sodalitium.

33. Ad Iudices & Ministros Iudiciorum spectat, reuoluere Statuta, & illud præcipuè: *Statutũ est hominibus semel mori.*

Qui bonus Iudex, vel haberi, vel esse, vel perhiberi cupit, non alibi, quàm vel domi studijs intentus, vel pro Tribunalibus ius dicens, vt inueniatur, par est. Reuoluant itaque statuta, leges Diuinas, & Regni, & ad illud præcipuè statutum Diuinum attendant. Hebr. 7. 17. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium:* Si statutum fuisset non semel, sed iterum atque iterum mori, minus malum esset, quia daretur locus emendationi, & vna mors esset dispositio ad alteram: verùm semel tantùm mori permissum est, quantâ igitur præparatione opus est ad bonam mortem?

Præterea id, quod sequitur mortem, terribilius est, nempe Iudicium: si solùm statutum esset, vt homo moriatur, minus malum esset: sed quia post mortem reddere debet rationem anteactæ vitæ, hoc est quod maximè terret; Inter ea, quæ sunt à natura, terribilissimum est mors, & inter supernaturalia, quæ fides docet, est iudicium: hoc statutum sæpiùs ruminandum est, etsi omnibus hominibus, præcipuè tamen iudicibus, & ministris iudicij, memoriâ tenendum, & reuoluendum, ad inculcandum timorem, ne in iudicijs errent, ne ex passione cupiditatis iudicent, ne sint remissi & negligentes. Nihil enim dæmon magis procurat, quàm obliuionem huius statuti; ideoque & primis parentibus persuadere conabatur,

batur, ne timerent mortem. *Nequaquam*, inquit, *moriemini*: vt sic securos, & intrepidos redderet, atque ad peccandum faciles, abiecto fræno memoriæ, iudicij, & illius quod post iudicium sequitur scilicet pœnæ, vel præmij.

Videant ergo & considerent Iudices, quid à Christo sperare debent. Videant qualiter nonnulli ministri Iudicij, pro re leuissima vendunt, & deserunt iustitiam, & veritatem. *Et pro buccella* (vt inquit Salomon) *panis deserunt veritatem.* Chaldaica legit: *Et pro buccella panis peccabitur.* Septuaginta: *Buccella panis vendet virum.* Pagninus: *Et propter buccellam panis præparabitur vir.* Vatablus: *Propter frustum panis præuaricatur vir.* Huiuscemodi omnes prædictæ lectiones in eo conueniunt, quòd veritas, quæ est pretiosior cunctis rebus, nec totum aurum ex Tyro allatum, valet illi comparari; pro re leuissima, pro munusculo exiguo, honore, dignitate, &c. venditur: cùm tamen solus Deus iustum iudicium remunerari valeat. *Regnum cælorum*, (inquit Christus) *non esca, aut potus, sed iustitia, & pax*: acsi vellet dicere, non comparatur esca, aut pane, qui non satiat, nec potu, qui non extinguit sitim honorum, diuitiarum, dignitatum; nam prædictæ, quò plùs potæ, plùs sitiuntur aquæ. Sed iustitia, & pax, iustitiâ atque veritate comparatur. Regnum cœlorum, & pax opulenta, cum omnium bonorum aggregatione. 34.

Iustitiâ & veritate nihil pretiosius, quæ tamen venditur pro buccella panis.

Prouerb. 28. n. 21.

Felicissimum est illud Regnum, vbi Iudices & Tribunalistæ sunt brachia Corporis Politici, adeò fortia, vt de illis possit dici illud Diui Ambrosij: *Aduentante Christo erigebantur tam super humeros hominum vexilla iustitiæ, & insignia triumphorum.* Et illud Iob. 40. 4. *Si habes brachia sicut Deus*, (scilicet dextrum, & sinistrum iustitiæ, & misericordiæ) *& voce simili tonas.* (si decreta tua sunt decretis Diuinis similia,) si iustitiæ, & speciebus, seu partibus eius ad portandum brachia supposueris. Quid aliud te expectat, nisi vt circumdet te Deus decore, in sublime erigat, & gloriosum, atque speciosum reddat: nec te solùm, sed propter te, totum Regnum resplendeat, maximè si ad omnes species iustitiæ iustè exequendas attendas. 35.

Felicissimum est illud Regnum, vbi Iudices & Tribunalistæ sunt brachia corporis Politici, brachiũ dextrum misericordiæ, sinistrum iustitiæ.

Iustitia quippe altera est legalis, altera æqualis, altera politica, altera ethica. Legalis quidem iustitia est, quæ in seipso existit, quatenùs commune respicit bonum, veluti proprium obiectum: in Rege principaliter veluti in Architecto ædificij exigitur; in subditis verò secundò, quasi in ministrantibus.

Est autem hæc quid generale, omnes comprehendens virtutes, quòd lex omnium virtutum actus iubeat, vel bello, vel pace exercendarum. Bello, vt ne quis aciem relinquat, arma ne abijciat, fugam ne arripiat, quod fortitudinis est. Pace, vt ne quis mæchetur, non crapuletur, quod tempe- 36.

Iustitia alia est legalis, alia æqualis, alia Po-

litica, alia Ethica, alia Dominica, alia Paterna.

temperantiæ est; ne quis alium contemnat, contendatque, quod mansuetudinis; neque alium vexet, nec in ius temerè vocet, quod prudentiæ & eiusmodi reliqua.

Quapropter hæc sola quodammodo omnis virtus est dicta, quòd in ea aliarum imagines, quasi magni cuiusdam signi effigies, paruo in sigillo videantur expressæ: adeò vt ipsa remota, & reliquarum imagines remoueri necessariò contingat; veluti multorum omnium in vno speculo apparentium multitudinem, si speculum auferatur. Et hinc sequitur, vt Regnum non ampliùs ciuium constitutio publicam ad vtilitatem: sed prædonum potiùs Monopolium, ad vniuersi perturbationem sit, cùm maximè priuatum quodque latrocinium, nil sit aliud, quàm prauum Regnum.

Æqualis verò iustitia est, quâ redditur vnicuique, quod suum est, id est, quod naturali æqualitate cuique debetur. Hæc rursùs duplex, Politica, & Ethica, seu distributiua, & permutatiua: illa Politica distributiua præcipuè in Principe: hæc, scilicet Ethica, in subditis consideratur, consequenter autem vtraque in vtrisque. In Rege, vt omnibus æquè ius distribuat: in subditis, vt æquè secum inuicem agant.

Iustitia itaque Politica est, quam Princeps in subditos maioritatis iure exercet, præmia & pœnas, pro cuiusque bene, maleué meritis, proque personarum dignitate dispertitur.

Iustitia Ethica altera est distributiua, altera commutatiua: Distributiua, quâ Magistratus ciues, secundùm aut scriptas leges, aut receptos mores, iurisdicendi propositos, regunt. Commutatiua verò, quâ ciues ipsi secum, in commercijs bonum, æquumque seruare iubentur.

His adijcitur iustitia Priuata, Dominica, quâ vtuntur Domini in seruos. Paterna, quâ Patres in liberos. Coniugalis, quâ coniuges in coniuges; de quibus infra fusiùs.

Tract.4. cap.5.

37. Simulachra iustitiæ diuersa, & cognomina, atq; similitudines.

Splendidissimæ sunt prædictæ omnes Iustitiæ, ideoque brachia illis supponenda sunt. Vnde pluribus encomijs, similitudinibus, ac simulachris eam efferunt Politici, & alij quidem eam idem esse dicunt Reipub. quod basis præclaro ædificio: alij Præsidem virtutum, & Reginam, quòd ei omnes in lege sua continere ius est, cuius solius veneratio, optimos Reges fecit, & perpetua fama commendauit, eò quòd sine ipsa nil posset esse in Repub. laudabile, nil durabile. Est enim

Gens sine iustitia, sine remige nauis in vnda.

Alij volunt esse idem quod Sanctitas, quòd salus animæ in iustitiæ sanctitate sit sita. Nam sicut salus corporis in proportione humorum, sic salus animæ in proportione morum, quæ nonnisi per iustitiam custoditur.

Cicero 2. Offic.

Cicero non absurdè dixit, quòd sit sol imperij, sicuti clementia luna, quasi

quasi hæc duo illa luminaria sint in firmamento posita, vt præessent diei & nocti, id est tum secundo, tum aduerso tempore. Quod conformiter dici potest ad illud Prophetæ: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ,* *Malach. 4. n. 2.* id est, Sol, qui est iustitia, secundùm constructionem intransitiuam: & sanitas in pennis eius, scilicet animæ: non mors, sed sanitas, quoniam pennæ illius sunt, reliquæ omnes virtutes ei annexæ: Religio, Pietas, Gratia, Vindicatio, Obseruatio, Veritas, Innocentia, Amicitia, Concordia, Affectus, Humanitas, Obedientia, Disciplina, Æqualitas, Fides, &c. & quicquid actus, ad quamlibet istarum spectans agatur, radij huius solis sunt: & pennæ quibus volandum est, ad obtinendam pacem populorum, Patriæ tutamen, immunitatem plebis, munimentum gentis, hæreditatem filiorum, inquit Diuus Cyprianus. *Cyprianus de 12. abusibus.* Et in summa, iustitia in Regno est, quasi anima in corpore, adeo, vt sicuti recedente animâ, corpus dissolui est necessarium, sic & recedente iustitiâ, Regnum destrui. Patet hoc tum ex parte Principis, tum ipsius iustitiæ, tum ex bono à iustitia, tum ex malo ab iniustitia enascente. Ex parte Principis quidem, nam lex & Princeps æquè agendorum regula sunt, adeo, vt & Princeps lex dicatur corporea, & lex Princeps incorporeus.

Quod si iniustus sit, is iniustas regulas tradat oportet, perinde ac sigillum pro sculpturæ forma imaginem imprimit. At verò sicuti Regula nisi iusta sit, opus dirigere non potest, sic & neque Princeps Rempub. nisi iustus. Ex parte iustitiæ quoque, nam ipsa quoddam magnum est & præclarum, quæ hominem in Ordine ad alios ita perficit, vt absque eius perfectione, hominum cætus durare non valeat, quòd Ordine suo non constet, eaque ablatâ, & perfectionem auferri, & humanam societatem disiungi sit necesse. Ex bono enascente, nam ex sola iustitia perfecta bonitas innotescit, quæ sola ciuibus præponitur. Ex malo autem; nam hac amotâ, nequitiam longiùs serpere, & inde Rempub. incurabili morbo affectam interire, necesse est.

Concludendum est, nullam virtutem latiùs patere, & plures effectus producere, sicut iustitiam, ad omnes quippe publicas, priuatasque actiones se diffundit, vt egregiè deducit Lubienscius. Hæc honores dignis, hæc præmia meritis, hæc coronas immortalis gloriæ largitur fortibus, hæc bella definit, hæc pacem moderatur, hæc Principem intra præscriptos regiminis cancellos, hæc subditos in officio, socios in fide continet hæc sontes punit, innocentes absoluit, excidit latrocinia, Regna conseruat, Principes & Reges cælo inserit. Romanos olim rerum Dominos, nihil magis nobilitauit, quàm iustitia; eam autem non ciuibus tantùm, amicis, & socijs, sed hostibus quoque suis semper seruandam esse cen-

38. Nulla virtus magis patet, sicut iustitia, ideoque dicitur omnis virtus.

se censuerunt: eâ domi, forisque, tempore omni constanter eminere contenderunt. Mirari sanè licet tanti virtutem in illa vrbe æstimatam, vt ei latere non liceret, ab aratro & ligone euocabantur viri fortes: ijs summa imperia, ijs Dictaturæ deferebantur, amplissimi & clarissimi victoribus triumphi decernebantur, veteranis & emeritis militibus, ea, quæ ad senectutem cum honore traducendam, necessaria erant, publico sumptu abundè suppeditabantur, ijs, qui in acie pro Patria vitam profudissent, honores, laudes, statuæ, monumenta æterna deferebantur, proponebantur, consecrabantur. Hi sunt egregij iustitiæ fructus virtutis, & encomia, quam in humeris suis Iudices, Tribunalistæ, pro honore Dei, & publicæ vtilitatis causâ gestare tenentur.

CAPVT III.

Aulicus splendor, quòd lateribus in corpore humano assimiletur.

39. Aulicorum splédor, quòd astant Regibus à lateribus eius, ideoque assimilantur lateribus corporis.



QVI ad latera Regis astant, Proceres, Magistratus, & Aulici, congruenter assimilari possunt, ad latera corporis humani, quoniam latus dextrum, & sinistrum, in corpore humano, dignitatem personæ exprimit. Sic enim & Filius Dei in dextera Patris cœlestis collocatus est, quod est Diuini decoris fulgentissimum signum: & Deus olim gloriabatur, quòd futurus esset gloriosus in medio populi sui, stipatus à latere dextro & sinistro. Ego (inquit) ero illis murus, ignis in circuitu, & in gloria in medio eorum; alij legunt in gloriam, quoniam qui astant à latere dextro & sinistro Principis, id vel maximè procurare debent, vt Princeps in medio eorum sit in gloria: itaque Princeps Deus præpotens astantib⁹ ad latera sua, est in gloria, & in gloriã iuxta illud. *Sanctificabor in his, qui appropinquant mihi.* Hoc idẽ exoptandũ est Regib⁹, vt sint Aulicis, & subditis suis murus ignis in circuitu, hostes vrendo, & armis ignitis iniurias suorũ vindicando: ad Aulicos verò spectat splendidos esse, atq; in splendore suo Maiestatẽ Regiam illustrare: si enim in multitudine populi honor Regis, multò magis in multitudine Procerum, Magistratuum, & Aulicorum.

Leuit. 10. n. 3.

Attendendum est itaque vel maximè, quales ad latus sint Regum Aulici, non obscuri, non vitijs immersi, sed splendidi: quale enim fuerit in Aula Principis sodalitium, talis erit illius inter exteros, subditosque existimatio. Siquidem ex integritate Ministrorum, & circumspectione Consiliariorum, ex recto ordine, ac dispositione Aulæ, vniuersum pendet bonum

num Reipublicæ. Neque enim poteſt fieri, ſi radices arboris aridæ ſunt, vt virides ramos videamus & folia, ideoque Rex Dauid dicebat: *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat.* *Pſalm.* 100.

40. Monitum itaq; volunt Politici Principem, ſi Aulam vult habere ſplendidam; ne errores aulæ diſſimulet, ſed pro ratione corrigat, exemplo Chriſti; qui eſtò dilexerit Petrum Apoſtolum, tamen ſatis rigorosè illum correxit, dum dixit: *Vade poſt me Sathana.* Et iterum, dum inquireret paulò curioſiùs, quid futurum eſſet cum Ioanne Apoſtolo, dixit ei: *Quid ad te? Tu me ſequere.* Maximè verò prouidendum eſt in aula Principis, vt ambitionis ſitis inter Aulicos extinguatur: quia ambitio vnanimes & pacificos eſſe non ſinit. Inuidiæ ſunt arma dolentium, de proſperitate aliorum, quæ tollendæ ſunt, ne eis inter ſe pugnent. Errores Aulæ non ſunt diſſimulandi. *Matt.* 16. *n.* 23. *Ioan.* 21. *n.* 22.

Improbos verò, nullâ ratione ad latus ſuum admittat, quoniam improbi homines, nihil aliud ſunt, quàm Procuratores, quos mundus habet, vt inſtitoriam vitijs nauent operam. Quare homines vitioſi, nedum cum Principibus familiariter conuerſari, verùm nec in aulis Regum ferendi ſunt. Miniſtros enim & familiares Principum, adeò numeris omnibus abſolutos eſſe oportet, vt nihil ſit, quod demi, aut de virtute apponi debeat.

41. At verò in particulari ſuſurrones, & adulatores omninò ab aula, & lateribus Principis relegandi ſunt, vt pote, qui in tantùm odiuntur à Deo, vt illud ipſum, quo peccant, adulatio ſit illis in pœnam, & laqueum: exemplo poteſt eſſe Ioannes Czapla, qui, vt refert ex Cromero Lubienſcius, tantùm potuit ſuſurrationibus, & oblocutionibus ſuis, apud Conradum Ducem Mazouiæ, vt Chryſtinum Palatinum Plocenſem, virum prudentem, & bellicoſum, qui conſilijs ſuis Ducem tuebatur, in ſuſpicionem traderet, de vſurpando imperio, proptereaque in vincula coniectum Dux excæcauit, & tandem necauit. Sed non diu exultauit ſcelus in victoria: nam idem Ioannes Czapla in ſuſpicionem venit apud eundem Ducem, quaſi noua conſilia moliretur, cum filio eiuſdem Ducis Conradi, & Henrico barbato contra Ducem; ideoque captum in carcerem coniecit, ac mox quæſtionibus ſubiectum, in patibulum egit, quem depoſitum ex patibulo à Religioſis Dominicanis, vxor Conradi iterum ſuſpendi iuſſit. Verùmtamen non eſt paſſus Deus, propter tam horrendum crimen perire Conradum Ducem, ſed Dei auxilio in ſe reuerſus pœnitentiam egit, & Archiepiſcopo Gneſnenſi, donauit Louicium, alijſque Epiſcopis multùm largitus eſt, & abſolutus. Ad Aulam nō ſunt admittendi ſuſurrones, adulatores, auari, libidinoſi, & alijs vitijs obnoxij.

Homines quoque inuidi, iracundi non debent viuere, nedum ex intima ſodalitate Aulicorum eſſe: nam ſi inter Miniſtros Principis regnet inuidentia, vel ira, perpetua tum in aula, tum in Republica erunt diſſidia.

Neque item ferendi sunt, nedum inter intimos amicos, tenendi in aulis Principum, homines auari, inexplebiles: magna enim causa est, vt minùs amentur à subditis Principes, si illorum Ministri, semper apertas ad accipiendum habeant manus.

In aula quoque Principum, gratiæ locum occupare non debent homines libidini, luxuriæque dediti. Tantùm enim abest, vt libidinis speranda sit emenda, vt officiarius, qui cum infamia totum se illi dedit Principi, semper & debeat esse suspectus.

Non ferendi sunt præterea inter Aulicos, nedum in propiorem locum lateris Principis promoueri, gulæ, crapulæque dediti. Cùm enim eorum, qui circa latera Principis sunt, munus sit præcipuum, bonis illum iuuare consilijs, profectò ab homine nimis saturo, ac repleto, citiùs ructus indigestus, quàm maturum, & vtile expectabitur consilium.

Tandem ad latera Principum nec viuere, nec amicorum proximi esse debent, homines in Deum blasphemi. Minister enim, qui Creatoris sui nomen ignominiâ palàm audet afficere, multò faciliùs Principem suum clanculùm criminabitur.

42. Deniq; nec ad latera Principum, nec inter Ministros, nec inter cohortem amicorum, recipiendi sunt nimis ignaui, vel voluptarij. Nam secundùm prouidentiam Diuinam, ad amplificandam Principum potentiam, nihil magis fauet, quàm Ministrorum, intimorumque fidelitas, & industria, quâ carent nimiùm ignaui. Nihil quoque magis nocet, & bonam Principum æstimationem labefactat, sicut illi, qui omnia in suum commodum dirigunt, quales sunt voluptarij. His tanquam vitiorum labe obscuris, à lateribus Regijs abiectis, splendidis Aulicis stipatum Regem esse debere, docent Politici; qui vtrumque latus Regium occupent, & condecorent. Rex cœlestis minùs attendit ad splendorem Aulicorum suorum extrinsecum. (duplex enim splendor aulæ fulgeat, necesse est.) In aulis Regum, splendeat externus nimirum, & internus, & externum quidem minùs curat Maiestas cœlestis, nihil diminuitur de reputatione eius, quòd splendidis, aut humilibus aulicis, ad negotia sua peragenda vtatur: hinc ad pascendum Danielem in lacu leonum, & dapes deferendas, ordinauit Angelum. Ad pascendum verò Heliam viliori ministro, nimirum coruo vsus est. *Coruis* (inquit) *præcepi, vt pascerent te.* Cæterùm Maiestas terrena splendidis Aulicis, & officialibus, ac seruis innotescit. Splendidis, inquam, ornatu extrinseco; nec mirum, quia non solùm in multitudine, sed etiam in splendore aulæ, honor Regis terreni est, & eorum, qui sunt à latere eius.

Voluptuosi in aula non sunt tolerandi, maximè verò blasphemi, & voluptarij.

Obseruanda tamen in eo genere est modestia, & luxus tollendus, & æmulatio, ne inducat ruinam in Rempublicam, quemadmodum de Regno

Galliæ

Galliæ teſtatur Tacitus. Galliarum (inquit) ciuitates ob magnitudinem æris alieni rebellione extinctæ ſunt. *Cauendum, ne muliebris ſexus inſania viros ſubijciat, terna patrimonia auribus perpendendo*, inquit Seneca. *Cauendum quoque, vt dum viri auro textis veſtiuntur, ne eorum luxus, non ſolùm ipſos, ſed & Rempublicam hoſtibus ſubijciat. Video veſtes ſericas* (ſi veſtes vocandæ ſunt) *quibus nihil eſt, quo defendi, aut membra, aut corpus, aut denique pudor poſſit*: inquit Seneca de veſtibus ſericis: quid diceret de auro textis? Cæterùm honeſtus ſplendor decet Aulicos. Ineptè ſatis Iulius Bellus Regis Poloniæ aulam ex Coſacis conſtare falsò aſſerit: Regale Poloniæ Regum decus eſt ex aula ſplendida, ex viris ornatu extrinſeco, & interno corpore, & animo fulgidis, vt cernere licuit in aula Regia, quâ Elector Brandeburgenſis, priuſquàm Varſauiam ingrederetur, receptus fuit à Sereniſſimo Vladislao IV. vbi non cum quingentis Coſacis, vt iſte calumniatur, ſed bis mille equitum ſplendidiſſimorum latera Regia circumſtantium, ſtipatus, extra vrbem obuiàm progreſſus, Electorem in campo ſalutauit, vt refert Lubienſcius. Spernenda eſt igitur huius oſoris friuola narratio, & aſſertio, quin potiùs adminiſtratione dignâ tanti Regis potentia, quæ ex tam ſplendido externo Aulico apparatu colligitur.

Tacit. 3. Annal. *Seneca lib. 7. de benef.* *Lubienſcius in Cenſura Iulij Belli.*

43. Cæterùm flos nobilitatis ſplendorem Regno inducit, literis, ac induſtriâ pulcherrimus, ſi aulicæ vitæ inſtitutum ſequatur: quoniam ex eo in Regem honor reſultat, ſalus & propugnacula publica, ac munimenta conſurgunt, præterquam, quòd generis claritate lucidi, opibus excellentes, extrinſeco ſplendore fulgidi ſint: ſplendore quoque interno, coram Deo fulgere debent, nam ſi exorbitent, & Regi, & Reipublicæ confuſio funeſtior ſequeretur.

Aula Regum Poloniæ, non eſt ex gente vili, ſed ex viris ornatu intrinſeco & extrinſeco ſplêdidis.

Quare ad ſplendorem internum, vltra externum inuitandi ſunt, & dulciſſimus naturæ ingeniorum impetus propellendus eſt, inueſtigando præcipuè, in quo ille ſplendor intrinſecus conſiſtat, & qualiter comparari debeat.

44. Porro inter ſplendores internos, præcipuum locum ſibi occupat; *Pietas erga Deum.* Hâc virtute differt Chriſtianus ab Ethnico; ſi in Dei gloriam negotia gerenda ordinet. Aulicus, & Chriſtiano ſenſu ad animæ ſalutem, ſerióque decernat, nihil prorſus admittere, quantumuis honorificum, & ſplendidum, quod Diuinis præceptis, & legibus non aptè cohæreat. Pietatem itaque pro ſcopo præfigat, & quæ pietati ſubſeruiunt, potiſſimùm eligat; pius videlicet ac prudens, huius finis gratiâ operatur, ſtultus autem finis neglector, opes, honores aucupatur. Porro pietatis ſcopo præfixo, hæc boni Aulici cura ſit, vt pietatem comparet, & alat Sacramentorum frequentiâ, orationis ſtudio, præſentiæ Dei contemplatione, virtu-

Pietas magnũ eſt Aulicorũ ornamentum, & inter ſplendores internos præcipuum.

tum splendore, actibus internis & externis, exercitatione scilicet fidei, spei, & amoris Dei. Et primùm quidem internis, quia priore loco debet ponere Aulicus æternitatem, ac deinde desideria ad cœlestem Ciuitatem procurare, mundique vanitatem aspernari.

Sed quo fructu inquies? Reuerà pietatem in Deum sequuntur plurima, illaque peroptima munera. Et inprimis, quòd in talibus Spiritus Dei amplior reperitur, & consequenter superat omnes æquales honore, & dignitate; sicut dicit Sacra pagina de Daniele: *Superabat* (inquit) *omnes Principes, & Satrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo.* Ioseph quoque, secundum post Regem Ægypti locum obtinuit, & tantum dignitatis culmen assecutus est, vt diceret Rex Ioseph: *Ego sum Pharaò, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra.* Quod pluribus exemplis domesticis facilè est illustrare.

Daniel. 6. n. 3. & 4.

Gen. 41. 44.

Hieronymus Rozdrazeuius ex Pij V. Pont. Max. institutione, cùm ab Henrico Rege euocatus ad aulam venisset, ac vt in illa pietatis officina didicerat, & assueuerat, quotidie Sacrosanctum sacrificium offert: primo quidem apertis pietatis osoribus, id mirum visum, sed nonnullos etiam Ecclesiasticos viros ægrè tulisse, illum vnum reliquis alijs eminere velle: verùm postquàm solida magni viri patuerunt pietatis fundamenta, tunc demùm non Aulici modò, sed ipse Rex Stephanus, plurimi eum facere cœpit, adeò, vt mox multis, qui annorum, & meritorum prærogatiuâ præstare videbantur, prælatum eum, Episcopum Cuiauiensem enunciauerit.

Tylicius Episcopus Varmiensis Regni vice-Cancellarius, vel Italiam, vel Germaniam vidit vnquam, non studia, vel Philosophiæ, vel Iuris, vel Theologiæ, primis (quod aiunt) attigit labris, totus quantus fuit, creuit in aula Regia, & tamen pietate, & priuato, eoque diuturno studio, in eum euasit virum, & eum, vel in Senatu sententiam dicentem, vel nomine Regio responsa dantem, nemo non miraretur; grauis, & dignitatis plena eius oratio, ita placidè in aures hominum fluebat, vt solus decorum illud dicendi, & persuadendi, in quo omnis vis orationis consistit, tenere videbatur.

45. Amorem in Deum, & pietatem sequitur amor in Regem, nec est impossibile simul diligere, & metuere, amare, & reuereri. Princeps, qui subditis pacem, & quietem, & tuta, quietaque commercia præstabit, qui in perturbatores boni publici animaduertet, qui noua tributa, & onera non imponet, qui vt ius vnicuiq; reddatur, iudicia iustè, & incorruptè vt exerceantur, curabit; quis dubitat, quin beneuolentiam ciuium, & subditorum sibi comparet? Charitatem verò vltrò sequetur metus: nam

Amor in Regem, post amorem in Deum, requiritur in Aulicis.

simul

ſimul & perſpectum erit, illum ius ſincerè, ſeuerèque dicere, non pretio, aut gratiâ, aut vllo alio affectu corrumpi: non nimis lentum eſſe in Republica in viris leniendis, non molli, diſſolutâque indulgentiâ criminum, & ſcelerum gratiâ facere, niſi vbi ratio, atque æquitas iubet: non ſuos tantùm iſte, ſed etiam externos in ſui verecundiam, & formidinem adducet. Exempla ſatis multa ſuppeditant veteres egregij Principes. Auguſtus, Traianus, Adrianus, Antonij duo, & cæteri, quos ſubditi officiales, & Miniſtri amabant, & diligebant.

Suppeditant, & annales Poloni antiquorum, & modernorum Regum Poloniæ exempla; celebre eſt illud, quod recenſet Lubienſcius de Sigiſmundo III. dicendi initio ſumpto à pietate, & religione, à conſtanti augendi, & promouendi cultus Diuini ſtudio, quæ eſt baſis virtutum omnium, ſuper quam erigit parietes cunctarum aliarum, & actionum illius Principis, fortitudinis, iuſtitiæ, tam diſtributiuæ, quàm punctiuæ: Prudentiæ, magnanimitatis, &c. ob quas ab omnibus in magno honore habitus eſt.

Lubienſcius in laudatione funebri I. Sigiſmundi III. ibi Chriſtiani & Catholici.

Verùm vt amoris ſinceritas percipiatur, attendendum eſt ad motiua, ſi enim mouentur ad amorem Principis bono commodi, hi ſunt ſimiles foſſoribus auri, & argenti, qui ſi aliquem theſaurum inuenerint, aliquam venam auri, aut argenti in terra repererint, omnes vnanimiter concurrunt ad aurum, & effodiunt, quòd ſi vena defecerit, ipſi quoque deficiunt, & recedunt: ſunt hi ſimiles lichno in lampade, qui trahit oleum, & quàm diu oleum abundat, lucet, ſed poſtquàm illud deficit, obſcuratur.

Quid enim aliud pleroſque trahit ad aulam, niſi ſpes habendi, niſi Principis diuitiæ, quibus ex liberalitate eius ditari ſperant? vel ſaltem in curia diteſcere nititur, emungendo ſanguinem pauperum, ſed & tales ſunt feri venatores auri, qui quotidie dicunt: Date, dabitur vobis, cùm tamen Chriſtus non ita docuit, *ſed pulſate, & petite, & dabitur vobis.* Apud tales venalia omnia, nec aliud facere videntur, niſi auro congerendo laborant, tales carent Diuino amore, carent amore in Regem, & Rempublicam, dum munia ſua, ſolius turpiſſimi commodi intuitu, obeunt. Carent & amore in proximos, cuius ſanguinem abſorbent, vnde nec Deo, nec Regi, nec proximis, nec ſibijpſis ſeruiunt, ſed cupiditati, excæcati. Comparatur autem amor in Regem per hoc, quòd ſit fidelis ſeruus Dei: hæc euidenter declarauit Darius Rex, nam proiecto Daniele in lacum leonum, cùm Rex acceſſiſſet ad os laci, ſurgens diluculò exclamauit: *Daniel ſerue Dei viuentis*: nonné potuit dicere; *Daniel ſerue meus fidelis?* cùm Aulicus, & Secretarius eius fuerit: Pluris quippe faciebat, quòd fuerit ſeruus Dei, quàm ſeruus Regis: ſed quia ille, qui eſt ſeruus Dei verus, eſt quoque fidelis,

Dan. 6. n. 20.

 delis,

delis, & esse debet Regis seruus, non auri, aut argenti: ideo ille verus seruus Regis est, qui pluris facit honorem Regis, quàm proprium, illumque propugnat, qui non quærit, quæ sua sunt, sed quæ boni communis, & illius, qui est caput eius, sicut discernere inter solem, & stellas, inter Dominum, & seruum; recognoscit in comparatione ad Regem, se esse stellam, non Solem: hic imitatur D. Ioannem Baptistam, *qui confessus est, & non negauit se non esse Christum* verbis, & operibus. *Ego* (inquit) *baptizo aquâ, ille autem baptizabit Spiritu Sancto, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere.*

Marci 1. n. 8. Lucæ 3. n. 6. Ioan. 1. n. 20.

46. Ille est verus seruus Regis, qui sequitur Christum, exemplo Apostolorum, qui secundùm voluntatem Regis ambulat, eique propriam voluntatem subijcit, non præponit. Ille amorem erga Regem declarat, qui in tam arduo, & laborioso Regali officio, est illi fidelis auxiliator, in disponendis audientijs, in porrigendis memorialibus, in reuoluendis monimentis iuxta voluntatem Principis, atque in supportandis molestijs. Exemplo Diui Pauli, qui cùm esset liber, voluit se facere seruum omnium, vt plures lucrifaceret Deo, vtque salubriùs seruiret, dixit se nullam formidare molestiam, aut tribulationem. *Et ecce* (inquit) *alligatus Spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans, &c. sed non facio animam meam pretiosiorem, quàm me, &c.*

In quo manifestatur amor aulicorum in Regem, declaratur.

Act. 20. n. 22.

47. Tertius splendor in Aulico, quo nouit saluti, & decori suo consulere, atque prouidere, est amor in proximos. Hic comparatur per hoc, quòd inuidiâ non laboret, ideo memor esse debet, qualiter Christus Dominus respondit Diuo Ioanni dicenti, *se vidisse quendam, qui in nomine tuo eijciebat dæmonia, & prohibuimus ipsum*; respondit Christus: *Non prohibeatis, qui non est contra vos, vobiscum est.* Non debet ergo Aulicus inuidere, estò aliqui honorentur, qui Regi non deseruiunt: Non debet item inuidere, quòd eidem æqualis ante dies paucos, nunc ad altiorem gradum, & dignitatem euectus est. Ex hac enim graui animi affectione multiplex oritur malum. Detractio siue tecta, siue detecta, quæ arguit animum minimè generosum, & pungit animum, vt omnia promoti peruersè interpretetur, & vix vnquam loquatur, nisi quod ad reprehensionem eius deseruiat, bonum nomen eius mordaciter discerpat, vt de illo dici possit: *Filij hominum, dentes eorum arma, &c.* Quare potiùs charitatem Christi imitetur, atque merita laudibus efferat, qui de Diuo Ioanne, estò ad dignitatem Messiæ eum Iudæi assumere volebant, testimonium nobile perhibuit. *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptistâ.* Ex eadem labe inuidiæ pullulat captiosus agendi modus. Sic Saul inuidiæ stimulis, & aulici eius vrgebant, his verbis: *Ecce places Regi, & omnes serui eius diligunt te, nunc ergo esto gener Regis*: cogitabant autem Dauidem de medio tollere, si expeditionem faceret contra Phili-

Etiam Aulici debent esse seduli in procuranda salute: & in quo consistit prædicta sedulitas.

Marci 9. n. 39.

Psal. 56. n. 6.

Luc. 7. 28.

1. Reg. 18. n. 22.

Philistæos, & sic laqueum tendebant, & insidias parabant non Philistæis, sed Dauidi: sic similiter procedunt illi, qui honores, aut gratiam Regis inuident, quæ tamen vas vitreum esse certum est, vnde plurimos vidimus, quia vno, vel altero verbo à Principis sententia discrepârunt, cecidisse.

Amor etiam proximi requirit, vt Ministri Regum, humaniter tractent pauperes, & pupillos, & quodcunque genus hominum; memores, quòd propter duritiam eorum, qui profuerunt operibus in Aegypto, Deus ex captiuitate liberauerit populum suum.

Tandem splendor Aulicorum est eruditio, & doctrina, atq; prudentia. 48.
Vilis, & contemptibilis est illa Respublica, quæ doctrinam, & prudentiam spernit, similiter curiæ, & aulæ Regum, ornamentum est lux, atque splendor doctrinæ, & in sapientia, maximè Christiana eruditio, quæ cùm sit sacra, sacros facit, & deificat, vt ait Clemens Alexandrinus, & Iustinianus Martyr. Hæc nos non efficit Pòëtas, non Philosophos reddit, nec Oratores excellentes, sed ex morti obnoxijs immortales, & Deos ex mortalibus facit. Hæc porro sapientia est mortis meditatio, negari non potest, profanas scientias esse maximo ornamento vitæ aulicæ, quinimò vltra generis claritatem, opum abundantiam, præneceſſariæ sunt, vt non solùm natalibus splendeat, verùmetiam ingenio excellens aulicus appareat.

Comitas, affabilitas, eruditio, prudentia, in Aulicis Regum necessaria est, vt sic Princeps in medio illorũ sit gloriosus.

Et hæc sunt, quæ efficiunt, vt Princeps sit gloriosus in medio aulicorũ, & è conuerso, vt aulici sint gloriosi splendore Principis: comparantur autem prædicta omnia meditatione mortis præcipuè, quæ omnibus in vniuersum & Regibus, & cunctis seruis eius vtilissima est; si nimirum imitentur Sanctum Iob, qui dicere solebat, *quòd Pater eius putredo & vermis.* *Iob. 17. v. 14.*

Vtinam his temporibus, & Reges, & Administratores Regnorum dicant
quoque cum Iob. *Putredini dixi, Pater meus es tu.* Si enim recordetur Rex se 49.
nihil aliud esse, nisi putredinem, & saccum terræ, non superbiet, nullum opprimet, Deum timebit, & ea faciet, quæ in beatitudinem suam, & salutem Reip. vergant. Nihil etiam adeò sagacem præpositum domus, officialem, &c. efficere potest, sicut memoria mortis, vt patet, discurrentiâ per officia, quæ ad domum Regiam gubernandam, & Reipublicæ inseruiendum pertinet, quæ mente reuoluenda est ab omnibus, qui ad latus Regium resident: & à Principibus, ac Præpositis domus Regiæ, ad quos pertinet ordinare domum, disponere familiam, vt cuncta in laudem Dei, & honorem Domini feliciter succedant.

Mors mente reuoluenda à Regibus, & Officialibus, ac Magistratibus Regiæ Aulæ.

Hoc autem docet mors; exemplo sit vel ipse Ezechias Rex, qui postquam audiuit Isaiam dicentem. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues:* sicut pullus hirundinis, sic clamabat ad Deum, postulans adhuc vitæ prolongationem, vt in terra meliùs domum suam ordinare, & disponere posset. *Isaia 38. v. 1. & 14.*

Fide-

Fidelis autem camerarius est, qui mortem pro cubiculario habet. Camerarij officium est, custodire thesauros concreditos sibi. Si mors habet claues ad cubiculum memoriæ, ita vt sæpè illuc ingredi ei liceat, impossibile est, quin cubicularij admoneantur, ad rectè sua officia obeunda, quòd si prohibeatur ingressus morti eorum, seu vt alia litera habet: *Non est clauis mortis eorum*: Non habet mors claues ad memoriam eorum, semper clausæ sunt fores memoriæ: *ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate suâ. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis, cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt.*

Psal. 72. v. 4. *Ibidem v. 6.*

50\. Secretarium quoque docet memoria mortis, suum exercere officium. Docet quanta cum diligentia memorialia Principi porrigere, quanto animo ad dignitates dignos promouere debeat, non eos, qui per se, vel per alios eas ambiunt; memor illius doctrinæ D. Bernardi: *Pro quo rogatus, sit tibi suspectus, qui pro se rogat, iam iudicatus est.* Et illius Sancti Cypriani: *Dignitas oblata periculosa est, quæsita verò peremptoria.* Docet audientias non esse denegandas, docet negotia citò expedienda, exemplo illius de Ezechiele Propheta: *Ecce vir, qui erat indutus lineis, habebat atramentarium in lumbis suis.* vbi litera Hebræa & Chaldæa: *Et tabella atramentum, & calamus*, & sic omnia necessaria ad expediendos sine procrastinatione litigantes. Præterea quis melior præceptor consiliariorum, quàm mors? de qua inquit Ecclesiasticus: *O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti*, id est, iuueni, qui eget consilio propter defectum experientiæ, & defectâ ætate, id est, sene: cui ætas nimia discursum debilitauit.

Mors erudit Officiales, Regum Camerarios, Iudices, Thesaurarios.

Bernard. lib. 4. de considerat. ad Eugen.

Eccl. 41. v. 3.

Hæc instruit Iudices, qualiter castigare debeant, iustè, & modestè, sicut instruebat Dauid dicentem: *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Alia translatio habet: *Qui transire me facis ab atrijs mortis ad atria Sion*, id est, à Tribunali mortis ad Tribunal iudicij Hierosolymitani; nunquam enim sedit pro Tribunali in monte Sion, nisi memor Tribunalis mortis.

Psal. 9. v. 15.

Deniq; nullus bene fungi potest officijs thesaurarij, nisi qui sciat Arithmeticam, artem numerandi horas, & dies suos, quos mensurabiles, seu numerabiles posuit Deus. Certè qui numerat dies ætatis suæ, non errabit in còáceruandis thesauris, non augebit noua tributa, nouos reditus cum oppressione, & lachrymis pauperum: sed dicet cum quodam sapientissimo Rege: *Plùs timendæ sunt lachrymæ pauperum, quàm arma inimicorum.* Non permittet vt thesauri Regij aliter expendantur, quàm sit intentio Reipublicæ, nec vt exhauriantur in luxus, vnde euenire attenuatio Regni possit, quia recordatur, quòd iusto Iudici rationem de omnibus redditurus sit.

Salutare itaque consilium est ab omnibus aulicis amplectendum memorari,

morari, *quòd omnis honor, omnis potentatus vita breuis.* Ad aulam varij homines reperiuntur, diuites, & minoris fortunæ, prudentes, & minoris scientiæ, nobiles, & plebeij: Mors istas differentias non curat, nihili facit hos humanos respectus, solùm attendit, quòd prædicti omnes sint homines, & omnes includantur in definitione hominis. *Homo breui viuens tempore.*

Eccli. 10. 11.

51.

Immò multoties mors, optima rapit, & deteriora relinquit, relinquit pauperes, per plateas eleémosynas quærentes, & rapit potentes aulicos, diuites, complexione robustos, fortunatos. *Hedera amplexu necat arborem: ita fortuna dum prosperè blanditur, strangulat, & pellit*, inquit Seneca: *Et sicut ramus onere frangitur, cùm ad maturitatem venit: sic nimia fæcunditas.* Et Cicero: *Sapienter agitant, qui temporibus fæcundis, casus aduersos reformidant.* Potentia, abundantia, fortuna, & superbia sunt sorores vterinæ. Pharao, Rex Tyri, Reges superbissimi, quos humiliauit mors, sed ab increpatione Dei, Iacob dormitauerat: Æquè moriuntur equites, ac pedites, & si moriuntur potentes, vno lapide duo feriuntur, & potens, qui moritur, & pauper, qui corrigitur, atque vt paueat, admonetur. Itaque *omnis Potentatus vita breuis*, siue potentatus proueniens ex abundantia diuitiarum, fauore Principum, siue ex potente, & viuida complexione.

Mors optima rapit & deteriora relinquit, rapit diuites, relinquit pauperes, rapit robustos, relinquit infirmos.

Seneca.

Periculosa est bona corporis valetudo. Multoties robusti complexione, citiùs moriuntur, & debiles diutiùs viuunt. Decipit complexio, tormentorum militarium explosio plùs nocet muro forti, quàm terræ molli. Videre est plures senes podagricos, infirmos, debiles, diutiùs viuere, quàm iuuenes robustos. Berzellaus, cuius mentio est in libro Regum, erat senex valde, octuaginta annos iam compleuerat, erat quasi omnibus sensibus priuatus, ita quòd videbatur mors eum superare non posse. Itaque prædicta memoria splendidos faciet aulicos, splendore intrinseco, doctos, & eruditos in ijs, quæ spectant ad decorem, & splendorem Aulæ, & conscientiæ, atque animæ eorum: Etsi enim ad eruditionem, trames sit literarum notitia, quæ operatur, vt eloquentes fiant, quòd maximè desideratur in aulis: memoria tamen prædicta efficiet, vt attentiores sint ad destinatum ijs munus perfectiùs exequendum.

Et tandem inde eueniet, vt ad Magistratuum functiones, citiùs, & faciliùs præ alijs admittantur, absque vllo errore, qui communiter accidit in electione Magistratuum. *Est* (inquit Spiritus Sanctus) *malum sub sole, quasi per errorem egrediens, à facie Principis positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum*, quod quantùm noceat Reipublicæ, fusè, & eleganter Lubienscius, vt solet, exaggerat, commendans Sigismundum III. quòd nunquam in scopo intentionis suæ, & Reipublicæ, aberrauerit in eligendo Magistratu.

Eccl. 10. 5.

Lubienscius in Oratione Funerali Sigismundi III.

CAPVT IV.

Splendor militum, quòd ſunt manus fortes Reipublicæ, quæ triumphum parant, ſi mortem non timeant, & à voluptatibus abſtineant.

D. Thomas de Regim. Principum lib. 3. cap. 21. & 22. & lib. 4.



Nter nomina dignitatum, & cognomina ad altam dignitatem faſtigij euectorum, de quibus D. Thomas in pluribus locis fusè diſcurrit, quædam ſunt, quæ competunt ijs, qui ſubſunt Imperatoribus, & Regibus, & annexis ſtatui, & dignitati eorum: Qui ſubſunt dominio Regum, & Imperatorum, (vt inquit D. Thomas) ſunt, & vocantur Comites; quod quidem nomen aſſumptum fuit primò à populo Romano, poſt exactos Reges, eligebant enim, vt tradit Iſidorus, duos Conſules, quorum vnus rem militarem, alter verò rem adminiſtrabat ciuilem, & iſti duo Conſules, primùm vocati ſunt Comites à comeándo ſimul per veram concordiam; poſtea hoc nomen translatum eſt ad gradum dignitatis, & deducitur à comitando: quia Reges, & Imperatores, ſiue in rebus bellicis, ſiue in alijs quibuſcunque gerendis, pro totius Regni vtilitate ſequi tenentur. Aliud nomen, quo viri eminentiores condecorantur, eſt nomen Ducis; ſic Ioſue, ſeu Ieſus Naue, qui pugnauit bella Domini, vocatus eſt Dux. Ieſus dum implet verbum, factus eſt Dux in Iſràél: & ſic hoc nomen accipitur ab excellentia regiminis, præcipuè in caſtris; eſt enim officium illorum exercitum dirigere, & ipſum in pugna præire.

Iſidorus II. Ethymologiarū.

52. *Vnde originé ſumpſerunt nomina dignitatum in Repub. & quæ ſint nomina propria Regum?*

Sunt & alia duo nomina, quæ prædictis competunt, nempe Marchio, & Baro. Marchio æquipolet, inquit D. Thomas, dignitati comitatus: in eo tamen differt, quòd aliundè ſortitur, & accipit originem, ſic enim dicitur Marchio à marca, quod eſt ſingulare diuitum pondus, eò, quòd eorum eſt, ad rectam, & rigidam attendere iuſtitiam. Baro autem, inquit D. Thomas, eſt nomen à labore dictum. Bara enim Græcè, vocatur grauis Latinè, ſiue fortis: & quia ad omnes Principes laboris exercitium pertinet, ideo iſtud nomen extenditur, ſiue ad Principes, ſiue ad Comites, ſiue ad alios ſub Regali dominio exiſtentes.

Iam verò nomina Regum, atque Imperatorum communia ſunt, Maieſtas, Regalis poteſtas: & hi quoque varijs titulis condecorantur; vocantur enim Sereniſſimi à ſerenitate mentis, inuictiſſimi à nullo vincibiles: verùm de hoc Regum, & Imperatorum titulo controuerſia eſſe poteſt, videmus enim nullam ſub cælo potentiam reperiri, quæ ab alia maiori ſuperari,

rari, & vinci non possit. Quæ potentia maior Rege Tyri fuit? nihilominùs & hic superatus, & humiliatus decessit. Alexander Magnus victorijs celebris, diuiso imperio è vita migrauit. Proinde vnde proueniat Regum inuincibilitas, discurrendum est. Primùm à crebris victorijs; Stephanus Rex Poloniæ in re militari insignis, cæteriq; Reges solertiâ, & celeritate victoriosi, nullius auxilio à Principibus Christianis adiuti, multa bella feliciter egerunt: præcipuè Sigismundus III. contra Turcam Christiani nominis hostem, postquam enim intellexerat Turcæ apparatum belli contra Polonos ingentem comparatum, & finibus Regni appropinquantem, Legatos suos ad Principes Christianos transmisit subditorum gratiâ, cùm æquè de ipsorum salute, atque de Regno Poloniæ ageretur. Nihil tamen prorsùs operæ, vel auxilij, in tam graui periculo laborantibus conferre voluerunt, solus Angliæ Rex Iacobus Quartus, Legatum Regium Georgium Ossolinski, cum aliqua spe auxiliorum, si bellum durâsset, dimiserat. Quare Rex Sigismundus vanâ illâ de externis auxilijs fiduciâ sepositâ, proprijs Regni sui facultatibus omne instrumentum bellicum, magnâ copiâ conquiri, & validum exercitum conscribi iusserat, atque contra exercitum Turcicum, cum Vladislao Principe, animoso, industrio, expediuit; in quo Osmanus Turcarum Imperator ipsemet præsens adfuit: vtriusque exercitus numerum, stationes, castra, oppugnationes, numerum item cæsorum, refert Piasecius, & totum belli illius seriem; eò tandem deuentum est, vt primi Turcæ pacem postulauerint, atque primi item solutis castris abiêrant à Chocimo, amissis à tempore congressûs cum Polonis sexaginta millibus Turcarum, & in reditu multò pluribus, cùm mox solutis castris, imbribus, & niuibus, sæuiente autumno, plurimi in itinere interierint. Tali belli exitu Rex Poloniæ inuictissimi nomen iuremeritò obtinere debet. Prouenit autem tanta Regum Poloniæ potentia, & inuincibilitas ex suauibus modis imperandi, præest enim subditis, vt beneficia distribuât, non pœnas: Siquidem Poloniæ Rex in vitam subditi sui nobilis potestatem non habet, præter paucos casus, non nisi mella suis subditis exhibet, aculeo, vt Rex apum, prorsùs caret, nec vitâ priuare, nec tributa exigere, nisi quæ ordines Regni, vnanimi consensu concedunt, imponere valet: nihilominùs tamen Rex adest armis, & opibus potentissimus, à quo subditi meritorum præmia percipiunt; & licet ab eo offendi non possint, retinet tamen eos in officio, & obsequio suo, non metu, sed honorum, beneficiorumque distributione, & supremæ authoritatis Maiestate moderatur consilia gubernationis publica, & continet concordes ordines vniuersos.

53. Potentia Regum Poloniæ manifestatur, & insinuatur.

Piasecius in gestis Europæ Anno 1621.

Prouenit item hæc inuincibilitas ex multitudine populorum timentium

tium Deum, qui lachrymis, & obſecrationibus tanquam fortiſſimis armis
54. deuincunt hoſtes, etiamſi inuincibiles videantur. Quatuor ſunt præci-
cipuè, quibus competit nomen inuictiſſimi, & inſuperabilis: Natura, ſeu proprietates naturæ. Tempus, mors, & Deus. Proprietates naturæ ſuperare impoſſibile eſt: quis enim etiam potentiſſimus efficere poteſt, quòd lapis, & quodcunque graue non deſcendat, ſed aſcendat, è contrario leue, vt ignis deſcendat, non aſcendat, ignis frigefaciat, non frigidum calefaciat? Tempus etiam inuictiſſimum, ſeu inuincibile eſt. Tempus quippe eſt menſura motus, id eſt, quo omnes motus, & actiones noſtras metimur, quàm veloces, vel tardæ ſint. Tempus non eſt aliud, quàm motus ſolis, cuius motu metimur noſtras operationes: & dicimus, tantum temporis conſumpſi in loquendo, ſcribendo, &c. Cùm igitur nulla virtus poſſit detinere ſphæram ſolis, ne moueatur, nulla virtus tempus vincere poteſt. Mors item inuincibilis eſt: quis enim adijcere poteſt ad vitam ſuam cubitum vnum, horam, vel momentum? nec ſapientia, nec diuitiæ, nec fauores Regum. Deo etiam, nemo eſt, qui reſiſtere poſſit.

Illa quatuor ſunt inuincibilia: Natura, Tēpus, Mors, & Deus.

55. Hoc tamen non obſtante, vbi adſunt lachrymæ precantium, prædicta vinci poſſunt, Sacrâ Paginâ teſtante. Elizeus oratione fecit, *ferrum graue natare ſuper aquas*. Elias fecit *ignem deſcendere de cælo*. Tres pueri in camino ignis ardentis prædicatione ſuâ, ignem in temperamentum refrigerans transmutârunt. Daniel *concluſit ora leonum*. Tempus etiam, quod eſt motus ſolis, Ioſue deuicit, detinendo motum ſolis, & dicendo: *Sol contra Gabàón ne mouearis; & Luna* contra vallem Aialon: & ſteterunt Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Mors item, quæ inuincibilis videbatur, deuicta eſt ab Ezechia Rege, dicente: *Obſecro Domine, & adiecit Dominus ad vitam eius 15. annos*. Iſa. 38. n. 3.

4. Reg. 6. n. 5. 3. Reg. 18. n. 38 Dan. 31. n. 51. Dan. 6. 22. Ioſue 10. 12.

Illa quatuor, quæ inuincibilia videbantur, vincuntur oratione, ſcilicet Mors, Tempus, Natura, Deus.

Deus quoque, qui ſuper omnia eſt inuictiſſimus, nonné à Moyſe deuictus refertur à Sacra Scriptura? cùm enim oraret dicens: *Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui*; & reſpondit Deus: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos*. Litera Græca habet: *Tene me*. Et Iacob obtinuit oratione nomen Iſràél, quod interpretatur vincens Deum. Si igitur tantæ virtutis ſunt lachrymæ deprecantium, vt vincant inuincibilia, ſanè etiam poterunt vincibiles facere inuictiſſimos, ſicut de facto Dauid Regē inuictiſſimū reddiderūt. Sunt enim deprecationes arma offenſiua, & defenſiua, vincunt, & offendunt contrarios, & defendunt præliantes. Vnde de illis dicitur: *Omnis armatura fortium*. Vbi Chryſoſtomus: *Deprecationes arma ſunt inexpugnabilia, quibus pari facilitate eſt, vel vnum repellere militem, vel innumerabilia hoſtium millia ſuperare*; & exemplificat de Rege Dauid: Magnus ille (inquit) Dauid ſanctus, precibus vicè mænium ſuum cinxit exercitum, nequa-

Exods 32. ℣. 12. Exods 32. ℣. 10 Gen. 32. ℣. 28.

Cant. 4. 4. Chryſoſtomus Tom. 5. lib. 5. de Orat.

nequaquam respiciens Imperatorum, Tribunorum, ac Centurionum ferociam, nec pecunias, nec arma comparans, sed orando, Diuinam armaturam è cælo deportans: intelligit autem, vt credo, per Diuinam armaturam Crucem Sanctam, & insignia Passionis.

Hâc armaturâ Constantinus Magnus munitus, inuictissimus fuit, & milites, militari robore insignes, fortitudine militari excellentes, quoniam robur Crucis militiam superat humanam, & de cælesti exercitu spem habet: & ideo Cruce armatus Constantinus, atque milites eius, cunctas superârunt phalanges, atque bellorum fulmina virtute Sanguinis Christi, quo Crux Sancta fuit aspersa. Vnde gloria militaris clarissima prodijt, & triumphi gloriosi: quippe Crux Sancta est vexillum, quo extenso terrentur inimici.

56.

Inuincibilitas bellica prouenit faciliùs ex robore militum, quàm ex multitudine exemplo Polonorum, quorum proprium est non numerare exercitum in campo. *Lubienscius.*

Prouenit tandem inuincibilitas, & potentia bellica, non tam ex multitudine, quàm ex robore militum: Maiores Polonorum, propterea selectam militiam habuerunt, nec eam genti rusticæ vnquam communicare voluerunt Equitatu potiùs, quàm peditibus in bellis vtebantur, ipsa nobilitas armorum insigne militare tenebat, rei agrariæ curâ aduocatis, scultetis, & rusticis relictâ, ita quòd primùm sub Casimiro Magno vltima Domus Piastanæ progeniei, exauthorandi militis ratio mutata est, vt habet Lubienscius. Nouerant quippe, *quòd præstantior est fortitudo paucorum, quàm remissio plurimorum*, vt inquit D. Ambrosius.

Hi milites robusti iuremerito ad manus fortes assimilari possunt, quibus victoria paratur, manus in homine sunt instrumenta instrumentorum. Manus victoriam possident, tanquam instrumenta triumphorum. Cætera tanquam manuum digiti ad victoriam disponunt. Hinc inuictissimus Rex Dauid edoctus à Deo, conserere manus cum hoste, efferre arma è vagina, concutere acres equos, & armis subijcere hostes, eidem gratias referens dicebat: *Benedictus Dominus Deus, &c. qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Vtrumque beneficium magni faciebat Rex militaris, & quòd ei manus robustas dederit, & quòd eius digitos ad bellum direxerit. Vtraque manus in homine dextra, & sinistra est instrumentum instrumentorum: in re quoque militari, vtraque manus trophæum parat: hæ verò sunt, dolores ac mortem sustinere, & à voluptatibus abstinere, & quælibet illarum, habet suos quinque digitos, nimirum industriam, diligentiam, robur, vigorem, audaciam. Sub Corona Regni Poloniæ, quinque præcipuè nationes militant fortissimâ manu strenuè, cuius digiti sunt: nimirum industria, quæ communiter attribuitur Germanis, diligentia Lithuanis, robur Polonis, vigor Roxolanis, audacia Mazouitis. Omnibus autem animi magnitudo, & rerum gestarum gloria.

57.

Robur militum ad manus in Corpore Politico comparatur, cætera, quæ victoriam parant, digitis assimilantur.

Habet & manus sinistra suam fortitudinem, & digitorum robur, quibus præparatur victoria, nimirum disciplinam militarem, frugalitatem castralem, modestiam in vestitu, magnitudinem animi in despiciendo viles delitias, frænum à detinenda nimia cupiditate prædæ, de quibus fusè Starouolscius. Robur itaque manus dextræ in eo consistit, vt finem militiæ attingat, qui quidem non sunt diuitiæ, quas sibi proponunt omnes artes mechanicæ, nec Imperia aut Principatus, qui interdum comparantur artibus pacis, aut per electionem, aut per successionem, aut per matrimonium, sed assecutio victoriæ, partim dexteritate manuum, partim scientiâ conserendi manus cum hoste, quæ vt plurimùm vsu & fortitudine comparatur; partim occultâ Dei voluntate, in cuius manu & felicitas, & victoria, & cor strenui militis est, ne horreat mori pro gloria Dei, & Republica. Hic finis, inquit Aristoteles, iucundus est, verùm ab euenientibus doloribus obfuscatur: vt & in certaminibus fieri solet: nam pugilibus finis quidem ipse iucundus est, gratiâ cuius certant, coronæ, inquam, atque honores, sed & cædi molestum est, cùm sint è carne, doloresque affert, & omnis omninò labor molestus est. Mors quidem, atque vulnera forti viro molesta erunt, feret tamen, quòd honestum sit ea ferre, vel turpe non ferre, atque honestatem, quæ est in bello, his anteponit.

Starouolscius Polonus.

58. Primus igitur splendor Militis est, qui ad manum dextram comparatur, mortem non formidare, & dolorem ferre. Omnibus proprium est mortem timere. Omnium est semper & vbique formidare, toties vitam periculo exponere, existimationem labore partam periculis obijcere, oculis detrahentium obnoxijs existimationem ventosis hominum iudicijs subijci, maximè tamen in negotio belli, vbi omni momento crudelis mors ob oculos volitat, vbi multo labore, & periculis reputationem acquisitam, vna muliercula ludibrio habet, dum temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem, mulier nens in domo. *His tamen malis illi magis subiecti sunt*, inquit Aristoteles, *qui & nobilitate generis, ingenio, & virtute excellunt. Atque* (inquit) *quò magis omni virtute pollet, & felicior est, eò magis ob mortem sanè dolebit.* Vir enim talis maximè dignus est vitâ, maximisque bonis priuatur: his tamen honestatem, quæ in bello est, anteponit. Et hoc est quod obijcit Doctor subtilis de forti Politico, quâ ratione honestati, quæ est in bello, fortis Politicus postponit vitam tot virtutibus ornatam, maximè, si de præmio tantæ honestatis, & virtutis bellicæ ignoret? Nam Christianus miles fide illuminatus, vltra illam honestatem, quæ est mori in bello pro Repub. & bono communi; & splendori, quem inde habet, (splendidior enim est miles in pugna prælio amissus, quàm in pugna saluus, inquit Tertullianus,) vitam postponit.

Splendor militum primus est mortem non formidare.

Doctor Subt.

Verùm

Verùm ex his oritur difficultas. An licet fugere ex bello, præcipuè, quòd ab infidelibus attentatur contra Ecclesiam? cui respondere, ex mea 59.
sententia, minimè videtur. Profero Doctorem solennem Gandauensem, qui dum prædictam ambiguitatem resoluit, sic ait: Puto fore distinguendum diuisione trimembri, quia, aut tale bellum est imminens tantùm, & timetur venturum, aut est iam instans, & comprehensus est populus fidelis ab aduersarijs, aut est deficiens, aduersarijs obtinentibus iam victoriam. Si imminet, subdistinguo iterum diuisione trimembri, quia aut omnes possunt fugere, & simul rationabiliter desperant de victoria, si persistant; aut nec potest, nec debet aliquis illorum rationabiliter desperare; aut aliqui eorum sperant, & aliqui desperant, vel non possunt fugere. Si primo modo, tunc omnes adinstar vnius, cuius exitium quæritur, de quo iam erit sermo, fugere tenentur, nec se periculo exponere. Si secundo modo, tunc nullus debet fugere, sed vnanimiter se hostibus opponere, pugnando pro patria, & Republica, vt enim dicit Vegetius, qui ante congressum recedit ex acie, suis fiduciam minuit, & inimicis addit audaciam: & cùm hoc conuincitur plùs diligere seipsum, & vitam suam, quàm Rempublic. quod esse non debet, dicente Tullio in oratione populari ad Senatum. Sic ab initio fui animatus, vt me non tam mea causâ putarem esse natum, quàm Reipublicæ procreàtum. Et in quarto libro Inuectiuarum in Catilinam. Si quid obtigerit, æquo animo, paratoque moriar. Neque enim turpis mors, viro forti potest accidere, neque immatura consolari, neque misera sapienti.

Quæstio, an liceat fugere in bello, quod ab infidelibus attentatur cōtra Ecclesiam? *Gandauensis Quodlibeto* 15.

Vegetius lib. 3. *cap.* 24.

Contra Catil. Orat. 4.

Si tertio modo, tunc si omnes possunt fugere, & si maior, & sanior pars desperat, & indicat fugiendum illis, qui sperant, licet possint fugere cum alijs, sic licitum est omnibus fugere, sed illi, qui sperant, non tenentur cum alijs fugere: immò si velint persistere, & hostibus se opponere, hoc licitum est eis, & tunc alij tenentur cum eis, contra hostes stare, & esse parati, aut cum alijs hostes deuincere, aut simul mori cum illis. 60.

Cæterùm, ne milites strenui præliaturi fugâ sibi consulant, animandi sunt ad fortiter agendum, & inprimis fide certificandi de præmio æterno, atque participatione priuilegiorum à Deo Martyribus concessorum. Si enim illi, qui passionibus iræ, & concupiscentiæ resistunt, qui Spirituali bello hostem deuincunt inuisibilem, Martyrij participes sunt, reuerâ & illi, qui mortem cum vita commutant pro Republica. Iuuabit quoque ad reddendos milites animosiores, memoria præmiorum temporalium conferendorum, & alimentum honoris, quale est inter alia balteum militare.

Milites ante prælium inuādi sunt exhortationibus, commemoratione præmiorum temporalium ac æternorū: tum quoque præteritarum victoriarum.

Sic Boleslaum in iuuenili ætate animosissimum, & ad labores sustinendos

dos militares, etiam in tenera ætate, promptuosissimum multùm acuit. Vladislaus parens ipsius, militari balteo eum cingens, cùm vix ætatis annum decimumquintum ageret, vt eo animo in Ecclesia Plocensi, curiam solennem pro conferendo militari Sacramento congregauerit, in adolescentis, & Patris honorem. Interea opportunitate temporis, Pomerani castrum Santhoc tunc expugnare intendere rati, Polonos, & Boleslaum celebritate militaris baltei impeditos, ne castro subuenirent. Verùm aliter accidit, nam Boleslaus animosus iuuenis neglecto honore, quò insigniendus erat, quo illi iucundior esset, celeri cursu ad Santhoc peruenit, & Pomeranos in tabernaculis quiescentes, soporeque in diluculo grauatos inuadit, & inopinato aduentu territos prosternit, & tandem à sene Patre, & balteo cinctus, & Sacramento militari addictus est, & dies illa cum sequentibus, pro geminata lætitia cum iusto gaudio traducta. Nec mirum, quòd præmia moueant milites ad strenuè pugnandum, cùm nec Christus voluit mori, quousque sanguineorum meritorum videret præmium. Iuuat quoque multùm ad animandos milites, exhortatio sapientis Ducis exercitus, quemadmodùm iuuit cohortatio Iudæ Machabæi, & intantum animauit, vt exercitus Nicanoris cæsus fuerit.

2. Machab. 15. 17. n. 17.

Iuuat, & ad pugnā præparat prædictio futuræ victoriæ, per somnia Sancta: sic Iudas Machabæus, vt animaret milites, retulit militibus se vidisse per somnium Sanctum Pontificem Oniam, qui expansis manibus orabat pro populo Dei: & Hieremias Propheta accedens ad ipsum dixit: *Accipe Sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israël.* Septuaginta legunt, *in quo franges aduersarios.*

61. Varia exempla miraculosæ victoriæ referuntur.

Dum Carolus Imperator mouisset exercitum contra Fridericum Saxoniæ Ducem Electorem, transmittere cogitabat Albim fluuium, fortuitò rusticus quidam obuius equitatui vadum ostendit, quo tansmisso, Electoris Saxones vicit, & cepit, militibus prodigio excitatis, fortiter agentibus. In Regno Poloniæ huiusmodi prodigia acciderunt. Ex turri Crusphicensi visus est descendere iuuenis speciosus, qui antecedebat exercitum contra hostem, quo animati milites fuêre.

Piasecius fol. 136.

Casimirus Monachus Poloniæ Princeps cum Iazygibus, & Lithuanis conflicturus, vidit per somnium speciem S. Michäëlis Archangeli, victoriam sibi pollicentis de hostibus: Narrauit somnium militibus in crastinum, & animauit eos, victoriâque obtentâ, Templum, Lublini in arce, in honorem Sancti Michäëlis erexit. Boleslaus verò Chabrus, in obsidione vrbis Kiiouiensis longo tempore defatigatus, tandem gladium in somnis, ab Angelo in excidium vrbis porrectum accepit, & militibus monstrauit, qui in hodiernum diem in thesauro Regni Poloniæ asseruatur, etsi fractus

ab co-

ab eodem illo Rege, tempore oppugnationis, cùm portam vrbis, quæ aurea vocabatur, effracturus illo gladio excinderet. Nec somnia solùm læta militibus relata, sed & prodigia futuri euentus insignia, animum eis adijciunt ad strenuè pugnandum, & mortem contemnendum. Dlugosius etiam de Casimiro Rege scribit, quòd dum in Bohemiam contra Vratislaum Ducem castra moueret, Tribunus eius quidam, nomine Niezobia, aquilam nigram supra caput Regis volitantem conspicatus, dum varij varium inde futuri belli omen coniectarentur, præ cæteris respondit ille. Si aquilam hanc, ô Rex, sagittâ transfigam, habebis prosperæ victoriæ signũ, si verò non occidero eam, signum cladis tui exercitus, atque sic arcu extenso caudam aquilæ tetigit, quæ nihilominùs integra auolauit; subiecit ille: Ergo ô Rex non omnes inimicos tuos interficies, sed dissipabis eos, sicut ego istas pennas. Euentus rem comprobauit: ideo militi ad insignia illius Vladislaus Iagello, exposito militibus fauorabili somnio, potentissimum Crucigerorum exercitum prostrauit, & deuicit. Prodigijs itaque & somnijs animari milites certum est: Christianis tamen aruspicum, & ariolorum vanis prædictionibus vti, & credere, prohibitum est, & ridiculo habendæ sunt. Tandem id, quod super omnia animosos facit milites, & ad tolerandos dolores, ac pericula sustinenda, est securitas conscientiæ: fraude diabolicâ factum est apud gentiles, vt sacerdotes in militiam ire prohiberentur, quod colligitur ex expeditione Asiatica Vietri Consulis, qui in itinere templũ adijt Delphicum, vbi cùm Apollinem oratione prolixâ obsecrâsset, vt, an victor esset ex Asia rediturus, sibi reuelaret, oraculum respondit. Si victor hostium, Vietre, esse vis, fac abscedere Sacerdotes, restitue, quos à templis nostris abduxisti. Nolumus enim Dij viros, quos nostro tantùm seruitio delegimus, ad tumultus mundi à vobis duci. Fraus dæmonum est. Cùm enim nulla sit durior pugna, eâ, quam conscientia propria infert, etiam viris sanctitate eximiâ claris, qualis fuit Iob: nihilominùs tamen offensiones Dei, quas illi præsentabat conscientia, considerans dicebat: *Signasti quasi in sacculo delicta mea, desperaui, nequaquam vltra iam viuam.* Tædio affectus, recuso viuere perpetuò. Et iterum: *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse pateris?* Vbi sanctus Gregorius prædicta verba sic explicat: *Si culpam venia abstulit, cur hanc à memoria non detersit?* Et D. Paulus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum;* quantò magis conturbat conscientia hominem peccatis obnoxium? atq; ideo ante prælium hæc interior pugna sedanda est, vt timor mortis, peccatorum timore in conscientia propulsetur, operâ Sacerdotum, in castris eam ob causam permanentium: est enim illorum munus, non quidem armis pugnare, (nam clericatus reddit clericos inhabiles ad pugnandũ,)

Dlugosius.

62. Maximè attendendum, vt milites præliaturi muniantur bonitate conscientiæ.

Iob. 14. n. 17.

Iob. 10. n. 14.

S. Gregorius.

1. Corin. 4. n. 4.

sed conscientias quietare. Delectus tamen faciendus est, & illi, qui se ingerunt, repellendi, nam qui non electus seipsum militiæ ingerit, in se gladium prouocat, quem propriâ temeritate vsurpat. Tales quippe vagabundi plùs sibi, & exercitui nocent, quàm prosunt. Cæterùm Sacerdotes probi à Principibus destinati in castris Deum lachrymis placare, & saluti militum deseruire vtiliter possunt, atque tales in militiam ducere, nec periculosum, nec scandalosum est, maximè si ex Regula illis permittitur; non solùm sibi viuere, sed alijs proficere.

63\. Quare sic animatus miles strenuus, dicat cum militari Rege Dauid: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Docet animosè agere, & à voluptatibus milites abstinere. Et primum quidem, scilicet animosè agere, instruit per quinque digitos manus dextræ, nimirum æmulationem, spem victoriæ, contemptum hostium, Religionis memoriam, ac tandem virtutis bellicæ considerationem, de quibus fusè Starouolscius.

Psal. 143. v. 1. Digiti manus dextræ militaris, qui à Deo diriguntur ad bellũ, quinam sint? *Starouolscius lib. 6. cap. 2. & lib. 8. c. 16. Idem lib. 3. Institutionum rei militaris.*

Aliud autem, scilicet abstinere à delitijs, per alios quinque digitos manus sinistræ, scilicet cauere ab otio, frugaliter viuere, Imperatori promptè obedire, castè viuere, & disciplinam militarem obseruare, de quibus item fusè Starouolscius.

64\. Itaque alius militum splendor est ex doctrina Aristotelis, à voluptatibus, delitijs, luxu abstinere, hic manui sinistræ comparatur, quæ etiam habet digitos, quibus victoria paratur. Nil debiliorem efficit militem, atq; petulantiorem, sicut delitiæ, & impudentia: Milites delitijs dediti ante prælium, verbis leonum more præliantur, templa spoliant, tumultus concitant: hi fores effringunt, illi vestes furantur; hi liberos capiunt, illi captiuos soluunt, noctem ludis, diem blasphemijs transigunt, & cùm pugnandum est, vel more leporum fugiunt, vel ad hostes transfugiunt. Rapere properant, quâ Sacrum, quâ publicum, vt luxui satisfaciant: ante discrimen feroces, in periculo pauidi, & alia innumera damna luxus, & delitiæ, in victu, & amictu, castris, & Reipublicæ afferunt. Contra hanc militum dissolutionem, remedia optima per digitos manus dextræ insinuantur: valde enim turpe est, vt militem, quem non vincit homo, vincat libido, vt obruatur vino, qui non vincitur ferro.

Splendor Militum alius est, à voluptatibus abstinere.

Primus itaque huius manus digitus est, ne sint in otio, sed in continuis militiæ exercitijs, cætera postponere debent, & soli militiæ attendere. Duo Duces exercitus Græciæ contendebant inter se, quænam ciuitas plures milites possit conscribere? & tandem determinatum est, illam ciuitatem, quæ exercet milites, pluribus militibus abundare. Eapropter Vegetius monet tyrones edocendos in arte militari, & suadet, vt assiduo exerci-

exercitio ambulent celeriter, & qualiter discant, vt militari gradu viginti millia passuum, horis quinque duntaxat æstiuis, conficiant, pleno autem gradu, qui citior, totidem horis, viginti quatuor millia peragant: ad hunc cursum, inquit, assuefaciendi sunt iuniores, vt maiori impetu in hostem procurrant, vt loca opportuna celeriter occupent, vel aduersarios idem facere volentes præoccupent, fossas faciliùs transiliant. Hæc quò ad pedites, vt sint mobilitate celeres. Quâ etiam celeritate debent esse ornati velites, qui sic vocantur à volitando, propter suam agilitatem. Similiter milites leuis armaturæ.

Equitum autem exercitium est continuum, hastiludium armorum. Romani, cùm vbique victores extitissent, in secundo bello Punico Hannibali pares esse non potuerunt, inquit Vegetius, ob defectum exercitij militaris: tot itaque inquit Consulibus, tot exercitibus amissis, tunc demum ad victoriam peruenerunt, cùm exercitium militare condiscere potuerunt: & postea concludit: Semper ergo legendi, exercitandique sunt iuniores. Vtiliùs enim constat suos erudire armis, quàm alienos mercede.

Vegetius in fine libri de arte militari.

65. *Digiti manus sinistræ militaris explicantur.*

Secundus sinistræ manus digitus est frugalitas militum, & vitæ austeritas, inediæ, inclementiæ cæli tolerantia, eam forsan ob causam Sacra Scriptura militem illum timentem Deum, vocat virum Religiosum, quòd milites, & vita eorum debet esse persimilis vitæ Religiosorum, quòad victus frugalitatem, sobrietatem, parsimoniam, ne fortè prædâ eos viuere necesse sit, sed stipendio proprio contentari, ne, dum sumptus quæritur, præda grassetur: inquit Diuus Augustinus. Hoc primùm cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua, & fortitudo corporalis donum Dei est, &c. Frugales igitur debent esse milites, paucis contenti, aquam locò vini bibant, pane agresti vescantur, pro lecto solum, lapide capiti subiecto, vestes rarò spolient, sub papilionibus quiescant, si ditiores sint, vel tuguriolis ex ramis arborum, si inopes; tempore hyemis frigus, & tempore æstatis æstum tolerent, sæpius armis, quàm taxillis ludant, nunquam securi quiescant; semper pericula suspicentur, ideoque armis accincti quiescant; nam & Saul Rex erat, & tamen semper hastam fixam in terra ad caput habebat, quia vt inquit Tertullianus: *Nemo miles ad bellum venit cum delitijs, nec de cubiculo ad aciem.*

Tertius digitus manus sinistræ, est obedientia militaris. Sunt qui requirunt in militibus scientiam, & eam fortassis ob causam, Iulianus Apostata, Scholarum ac literarum vsum Christianis interdixit, quoniam doctrina, & scientia præstantissimos producit effectus, nam iudicium acuit, prudentiam auget, animos desiderio honoris, gloriæ, victoriæ, nutrit:

trit: verùm hæc in Imperatore potius, quàm in milite requiruntur: præ-
66. cipua virtus militis est obedire, & iussa Imperatoris promptè exequi, Imperatori necessaria est consultatio, cautio, prouidentia, &c. Militis autem est imperium Ducis sine vlla consultatione exequi, arma arripere, & fortiter pugnare. Vnde Otho Imperator sæpiùs militibus suis dicere solebat: Vobis arma & animus sit, mihi consilium, & virtutis vestræ regimen relinquite: itaque obedire, & animosè pugnare, ad milites spectat; quia pulchrior est miles in pugna, prælio amissus, quàm in fuga saluus. Scientia tamen vibrandi arma, & cauendi pericula, non vituperatur in milite, quin potiùs à Græcis laudatur, qui sanxerunt, tuleruntque formidabilem pœnam in militem, qui scutum in prælio proiecisset, vel amisisset; qui verò gladium, aut hastam, nullâ afficiebatur pœnâ.

Virtutes Imperatorum, & Militum expanduntur.

Tertullianus.

Romani etiam non dextram militis annulo donabant, sed sinistram. Epaminondas Dux inclytus Thebanorum, cùm lethaliter vulneratus esset, diligentem inquisitionem fecit, an hostes eius clypeo potiti sint, quem cùm commilitones eius attulissent ei, lætus vitam finiuit, vt qui vitam æquiore animo amitteret, quàm clypeum. Verùm potiori iure scientia cauendi pericula spectat ad Imperatorem in bello, ad quem spectat, & totum exercitum, & seipsum conseruare, cogitando se vnum esse omnium, qui cùm suam tuetur vitam, tunc etiam alijs consulit, & illo in periculo existente, exercitum periclitari. *Non clausis oculis, vel fortunæ fauoribus, aut proprijs viribus fidens, pugnare debet, atque pericula præuidere, & strategemata hostium vitare. Facilior autem cautio est, vbi manifestior formido*, inquit S. Ambrosius.

D. Ambros. de Iacob. cap. 2.

Quartus digitus manus sinistræ, est Castitas, vt longè sint à fornicatio-
67. ne. Siquidem, vt insinuat Diuus Thomas, exercitus nomine castrorum vocatur, vel inquit ab exercitio, siue ab exercitando dictus; vel vocantur castra à Castitate, vt tradit Isidorus, quia subtrahebantur delitiæ à castris, vt scribit Vegetius. Vnde castra filiorum Israël deuicta fuerunt à Madianitis, propter fornicationem cum filiabus eorum. Propter quod etiam in Deuteronom. scribitur: quòd Dominus ambulabat in medio castrorum Israëlitici populi, vt nihil in eis esset fæditatis; vel dicuntur castra à clausuris, eò quòd vt Religiosi in clausuris suis, sic exercitus in aggeribus, & vallibus claudebatur.

Vndenam sumatur denominatio Castrorum?

Propter hoc etiam Israëlitæ castra metati sunt circa tabernaculum, ita, vt solùm vnum milliare interfuerit inter ea, tum reuerentiæ, tum commoditatis causâ: sicut etiam claustra Religiosorum, circa templum Domini ædificantur.

Quod si Tribunus, qui præest militibus, fuerit honestate ornatus, & longè à libidinum lue, & super omnia timore Dei præditus, multùm exemplo

emplo suo efficiet, vt milites virtutes eius sequantur, maximè, si mente ruminat sæpiùs, quòd insolentiæ militum Deus vltor sit, castigans similia crimina, & morte insperatâ, & (quod Deus auertat) morte æternâ, dicente Dauid: *Ab increpatione tua dormitauerunt omnes, qui ascenderunt equos.* Grauis est Dei increpatio, non liberat ab ea scutorum, aut equorum fortitudo. *Psalm. 75. 7.*

Quintus & vltimus digitus manus sinistræ, est disciplina militaris, de qua fusè Starouolscius. Et reuerà disciplinâ militari Rempub. contineri certum est, quæ si dilabatur, & nomen, & Imperium Romanum amissum, indicere solebat Alexander Seuerus: hoc idem & de cæteris Regnis dici potest, nec mirum, quia nihil magis impedit victoriam, quàm insolentia militum. Vnde Diuus Ambrosius dicebat: *Fortitudo parat victoriam, insolentia, & petulantia ruinam præbet. Quare plùs, inquit, timendum est Principi & Regno, ab insolenti militia, quàm ab hoste. Hostes enim vt plurimùm fines Regni deprædantur, at insolentes milites, totam debilitant Regionem; hostibus audemus, & possumus resistere, at nostris nec possumus, nec audemus, vel loqui.* Hostes vt plurimùm vno mense semel direptionibus grassantur, & discedunt; nostri verò singulis prædantur diebus, & manent. Hostes hostium metu timent, at nostri nec hostium metu, nec amicorum misericordiâ, & miseriâ mouentur. Hostes quò longiùs progrediuntur, eò remissiores, & numero pauciores redduntur; at nostri quò longiùs progrediuntur, eò magis illorum & crudelitas augetur, & numerus. Hinc continuæ querelæ pauperum, lachrymæ, & gemitus oppressorum, vsque ad aures Domini exercituum peruolant, ac proinde non solùm defensionem victoriâ, quàm potiùs iram Dei in se, in exercitum, & totam Rempub. prouocant.

Starouolscius lib. 3. Institut. rei militaris.

68.

Disciplina militaris quā sit necessaria.

Quod si milites in disciplina militari debitè conseruentur, & sub legibus militiæ contineantur, siue defendamus nostra, siue in hostes arma sumamus, si modesti, frugales, vestitu potiùs horrido, quàm pomposo ornati fuerint; horridum enim, inquit Liuius, militem esse debere, non velatum auro, argentoque, sed ferro, & animis fretum, quoniam armorum nitor in Castris, non vestium, aut gemmarum, quæ vilem animo reddunt militem, esse debet; tales, inquam, milites sunt clypeus Reipub. digni vt amplior illis in Repub. inter ciues honor debeatur, tanquam magis necessarijs ad conseruationem Reipub. & propter pericula, quibus se exponunt; tum pro pace ciuium conseruanda, tum pro incursu hostium euitando.

Porrò nihil magis dissipat disciplinam militum, & in periculis Rempub. constituit, sicut detentio stipendiorum. Cùm enim, vt inquit Aristoteles, illi qui armorum domini sunt, ijdem etiam sint domini statûs, vel mutationis: cùm etiam, vt inquit idem, vitam venalem habeant pro par- *Arist. 1. Ethic. cap. 2.* *7. Politic. c. 9.*

tuo emolumento, quoniam virtuti perfectæ nullus fit condignus honor; cùm, inquam, vitam venalem habent, si prædicto emolumento careant, fieri non potest, vt abstineant à furtis, periurijs, blasphemijs, alijsq; vitijs, quibus milites infici, & castra inficere solent. Secessiones etiam, vix ex aliqua causa fieri solent, nisi vt milites flagitent stipendia, neque etiam faciliùs sedari possunt, nisi solutione stipendiorum: Militis Prussici commotio periculosissima persimilis ei, quæ excitata fuit post bellum Moschouiticum, & Turcicum Chocimense, solâ solutione stipendiorum quietari potuit, & quietatione antesignanorum, atque Præsidum fœderis militaris à Sigismundo III. Rege Poloniæ, publicæ salutis curam gerente.

69. Non desunt in Polonia strenui milites. Robur totius Christianitatis, contra Turcicum Imperium, est miles Polonus, protegens, atque custodiens parietem Christianitatis, vtraque manu dexterâ, & sinistrâ, forti, & ab ipso Deo directâ atque edoctâ. Hinc satis mirati viri prudentes insolentiam, & impudentiam Iulij Belli, qui inuidiâ diabolicâ stimulatus, militiam Polonam in auxilium Imperatori concessam, ausus est dehonestare latronum nomine, qui Cæsarem in summis angustijs constitutum in sua opera conseruârunt, & pro eodem contra Hungaros, egregia sua facta declarârunt, & quasi diuinitùs delapsi, insperatum Cæsari præsidium, in suspecta Vienensium fide attulerunt. Lutherana secta effecit, quòd prædictus in nationem Polonam debacchatus fuerit, vt eos solos crudelitatis, & sæuitiæ argueret: quasi verò vel Dampierius, vel Bucquoius mitiores fuerint, & blandiùs cùm hostibus Cæsaris egerint, omnes quippe qui Cæsaris stipendia merebant, ad bellum, ad cædem, ad incendia, ad populationes conducti, euocatique fuerant, is rem egisse strenuè putabatur, qui plures Bohemos, & eorum socios occidisset, expilasset, fortunis spoliasset, latiùsque populatione extensâ, Cæsaris hostibus terrorem incussisset. Id cùm Poloni agerent, iubente, & volente Cæsare, se agere sciebant, cùm cæteri quoque Cæsaris militares Duces exemplo ijs præirent, & quâ parte poterant, hostibus damna inferrent.

Robur totius Christianitatis est miles Polonus.

CAPVT V.

Splendor Academiarum, & Præceptorum eruditorum, in instituendis iuuenibus in literis, atque scientia, saluandi animam, quod ori, & linguæ in humano corpore comparatur.

Imma-

Mmanes, agrestes, & malitiosi fuêre Tyranni, qui Scholas, Vniuersitates, Academias ex Regnis suis extirpare, & sapientiam exulare conabantur, siue illi fuerint Ethnici, siue Christiani, tum quòd falsò existimauerint sapientiam, & sapientiæ Professores, atque Academias eorum esse in ruinam Reipub.: tum quòd etiam nulla sit maior tyrannis generis humani, sicut est ignorantia, & cæcitas intellectus, quæ prohibet videre lucem veritatis, & tamen populum sibi subiectum, tam atroci pœnâ affecerunt. Talis inter Imperatores Christianos fuit sceleratus ille Apostata Iulianus, qui prohibuit, ne Christiani darent operam studijs Grammaticæ, Rhetoricæ, &c. Gentes item barbaræ Turcæ, conformiter ad Alcoranum, Academias abominantur. Moschouitæ studia flocci pendunt, & alij, atque aliæ feralis animi gentes. 70.

Agrestes sunt Tyranni, qui sapientiam à Regnis exulârunt.

Per oppositum Principes beneuoli, & qui optimè nôrunt, quòd optimum in homine est mens, in qua (teste Aristotele) ratio gignitur, culturam mentis per scientias procurauêre. Mens siquidem, teste eodem, distributa est in duas partes, quarum vna quidem consultatrix, altera scientiæ indagatrix, veritatisque parens: Principes igitur, qui mentem veritate excultam desiderabant, morumque probitate exornatam in Regnis plantare exoptabant, Academijs, & Vniuersitatibus fauebant, virosque doctrinâ præstantes, ac probitate insignes, honoribus, ac beneficijs afficiebant. Et prudentissimè, siquidem Academias, & Vniuersitates tollere, est Rempublicam in nihilum redigere, quippe, vt tactum est supra, Respublica, quæ est populorum congregatio, sub vno supremo Principe, præcipuè ob quatuor causas, est instituta: Ob victus comparationem, quòd cum cibo arte præparando indigeât, nec vnus ad omnia solus sufficiat, frumento scilicet, serendo, colendo, metendo, ac in panem tandem redigendo, societate indiget in adiutorium. Ob vestitus præparationem, quòd nudus à natura inermis productus sit, nec ipse solus arma sibi comparare potest: tandem ob animi institutionem, quòd non solùm naturæ instinctu, vt animalia cætera, sed mentis, & rationis ductu operans, alter ab altero instituatur, & erudiatur: atque ideo sicut ablatâ causâ aufertur effectus, ita & ablatâ institutione in scientijs, & moribus, Rempub. ruere necesse est: denique ob defensionem à periculis hostium. 71.

Tres præcipuè in Orbe Monarchias, & Respublicas splendidissimas esse voluit Deus: Romanorum, Græcorum, & Hebræorum. Romani secuti sunt Martem, Græci Mineruam, Hebræi legem Mosaicam. Romani excelluerunt armis, quibus totum Orbem suo subiecerunt Imperio, vnde poten-

Tres in orbe Monarchiæ præcipuè, & attributa earum.

potentia, opulentia, auri & argenti affluentia, triumphi, & victoriæ.
1. Corinth. 1. v. 22. Græci sapientiâ delectabantur, vt Diuus Paulus testatur: *Græci sapientiam volunt*, ibi fuerunt Athenæ, illuc ex toto orbe ad hauriendam sapientiam conuolabant populi. Hebræi autem sanctitate gloriabantur, eò, quòd Deus loquebatur eis per Prophetas, ipse per se ipsum tradidit eis leges, modum viuendi, Prophetas, Salomonis templum toto orbe celeberrimum, miracula, Sanctuarium, & reliqua omnia, quæ ad sanctitatem spectant, eisdem concessit. Nulla tamen ex his Monarchijs, Academias, vel scientiarum Professores abominabatur, quin potiùs Romani præter arma, eloquentiâ, alijsque scientijs delectabantur, & similiter Græci, atque Hebræi; nec solùm Martem, sed & Mercurium Deum scientiarum venerabantur Romani.

Poloni antiquitùs plùs militiæ, & armis dediti, estò non fuerint ita immanes, vt scientiam contemnerent, nouerant enim literarum cognitione, Imperio annexam esse gloriam, & robur Regni, & publicæ salutis, inexpugnabile quoddam propugnaculum, nouerant Regnum sine literis contemptui haberi, quippe hoc interest inter doctos, & ignaros, quod inter viuos, & mortuos. Nouerant innatum esse homini desiderium ad sciendum; homo quippe absque literis, veriùs est statua hominis, quàm

72. Quantùm vigeat eruditio in Regno Poloniæ.

homo. Verùm re militari nimiùm distracti, eruditioni attendere non poterant, venerunt tandem tempora, quibus in Polonia elegantioris literaturæ vsus vel maximè inualuit, & institutis, atque erectis à Regibus Academijs, scientiæ nitor inter Polonos adeò resplenduit, vt cuicunque alteri nationi, ingenio, scientiâ, eruditione æquari possint. Desiderium innatum scientiæ, hinc completum, & miraculis firmatum, vt refert Lubienscius, & Dlugosius de quodam Iacobo Albo Ecclesiæ Parocho, qui cùm se videret scientiâ destitutum, & humanis subsidijs priuatum, ad Diuina confugit; recurrens ad Sanctissimæ Dei genitricis auxilium, & subsidia miraculosè accepit, & in tantum virum euasit, vt Episcopus Plocensis esse mereretur, in schola Christi eruditus: de qua potest dici illud, quod ex Tertulliano colligitur: *Christus Dominus Magistros ordinauit, modum docendi edocuit, & materiam docendi subministrauit*: illustranda singula: Magistros ordinauit.

Lubienscius in vita Iacobi Episcopi Plocensis.

73. Nullus hominum naturâ sapiens, soli Deo, & Christo Domino id proprium est.

Nullus hominum naturâ sapiens est, cuncti Magistris, & Præceptoribus opus habent, à quibus scientiâ imbuantur, & moribus honestis exornentur, vt sic vtrâque alâ à natura animæ concessâ, intellectu, & voluntate, ad capessendam famam, & gloriam volare possint, & valeant.

Soli Deo competit sapientia naturæ, scire omnia, etiam cordis intima, & futura, & Christo Domino filio eius, adinstar solis, qui proprio, non mutuato

tuato, lumine coruſcat. Cæterùm omnis ſapientia à Domino Deo eſt, ſiue in illo ſuperno Beatarum mentium domicilio, ſiue etiam in toto orbe ſublunari, & quemadmodum Deus eſt naturâ ſapiens, ita & verbum eius genitum, fons ſapientiæ, verbum Dei in excelſis. Dicitur quidem in Prouerbijs, *quòd filius ſapiens doctrinâ Patris*, non tamen eruditione, ſed origine, dum enim à Patre proceſſit, vnà cum eſſentia accepit & ſapientiam, quam mundo promulgauit: atque ideo & Verbum humanatum Chriſtus, non habuit opus in terreſtri doctrina magiſtro, quin potiùs ab illo omnis eruditio, in vniuerſitate vitæ incarnationis, & orationis, in vniuerſitate Caluariæ, & ſanctuario Paſſionis, vbi ex lectione vitæ, & Paſſionis Chriſti, vniuerſa vitia hominum repurgantur, quod etiam experientia plures didicerunt Sancti. *Ego* (inquit D. Nazianzenus) *Diuinis oraculis euoluendis*, mentis puritatem collegi. Eapropter dixit Chriſtus Dominus; *mea doctrina non eſt mea*: Suam dicit, quia illam docuerat, *non ſuam*, quia emanatione Diuinâ eam à Patre accepit: non eruditione, quoniam Chriſtus Dominus nihil ab homine, vel ab Angelo didicit, *quoniam fuit Magiſter, & Doctor hominum, & Angelorum*, teſte Diuo Dionyſio: ſed Magiſter non docetur à diſcipulis.

Prou. 13. 1.

D. Nazianz. orat. de ſilent.

D. Dionyſius de cæleſti Hierarchia cap. 7.

Fuerunt etiam in Chriſto tres ſcientiæ creatæ ſine labore, ac induſtriæ acquiſitione. De habitibus, qui ſe tenent ex parte potentiæ, diſputant Theologi, verior tamen opinio eſt, habitus non eſſe acquiſitos proprijs actibus, ſed ad ſcientiam per accidens infuſam pertinere. Vnde mirabantur Iudæi dicentes: *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit eas?* ſcilicet in ſcholis ipſorum, & non ſolùm mirabantur, ſed & indignabantur, quòd non per ipſos doctus fuerit, exiſtimabant enim Phariſæi, nil extra ſcholas ſuas literarum eſſe poſſe: indignabantur ergo, quòd non per ipſos introiſſet, nolentes credere à Patre æterno in ipſum doctrinam Diuinam deſcendiſſe.

Ioan. 7. n. 15.

Cæterùm ſolus Chriſtus à natura tanquam Deus, & homo omni ſcientiâ præditus fuit, abſque labore, ſolus ſol non immutato lumine lucet. Verùm quidem eſt, Salomonem Magiſtro Deo ſapientiſſimum extitiſſe, abſque labore, & temporis mora, diſpari tamen ratione à Chriſto; ſiquidem ſapientia eius fuit infuſa certo tempore: Chriſti autem ſapientia, fuit in anima Chriſti ab inſtanti conceptionis. Cæteri homines naſcuntur, velut tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, ideo inſtructione opus habent.

74.

De illis, qui nati fuiſſent in ſtatu innocentiæ, ſi non peccaſſet Adam, quis dubitare poſſet, an ſicut ex vi generationis accepiſſent iuſtitiam originalem, ita & ſcientiam? ſiquidem ſcientia dirigit in agendis, quæ dire-

An in ſtatu innocentiæ homines fuiſſent naturâ eruditi?

ctio in ipsis fuisset perfectissima. Fecit enim Deus hominem rectum, scilicet in omni agili, & scibili perfectum. Verùm & hi scientiâ acquisita fuissent docti, speculatiuâ, & practicâ, quoniam naturale est homini acquirere scientiam per sensus, & eadem est natura animæ nostræ modò, quæ esset in statu innocentiæ; non fuisset ergo illis congenita, aut infusa scientia.

Duo autem ex vi originis, accepissent vniuersalia principia iuris ad dirigendos eos, in operibus iustitiæ, moralia, & speculatiua, & sic fuissent nati cum scientia habituali perfectiori, quàm nunc nascuntur homines: deinde quòd minori labore acquisiuissent scientiam actualem, quàm nunc, vbi puer sudauit, & alsit; dicens illud Dauidicum: *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei.* Rectè igitur dixit Tertullianus, quòad reliquos homines, quòd mutuato lumine luceant, tanquam stellæ lumine solis. His ergo Dominus magistros ordinauit.

Psal. 72. n. 17.

75. Neque solùm ordinauit, sed inter magistros ipse primus Magister esse voluit, non satis esse putabat Christus Dominus, vt esset Redemptor humani generis, sed etiam Magister, & Dominus; sic enim in vltima cœna Apostolos allocutus est: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: Sum etenim.* Ille idem assumptis in montem Apostolis, aperiens os suum, docebat eos dicens: *Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, &c.* & tandem eosdem Apostolos Magistros Ecclesiæ esse voluit, prouidit & Doctores eruditos, sanctitate conspicuos, qui discipulos Christi erudirent, de quibus infra. Hos Christus in discipulos coàdoptauit per se, & per Spiritum sanctum in omni sapientia instituit, & nobis Magistros ordinauit.

Christus Dominus Magister fuit, & Magistros Christianis ordinauit, & modum docendi edocuit, materiamq; sciendi subministrauit.

Lib. 2. Tract. 2.

Neque solùm Magistros ordinauit, sed & modum docendi docuit: instruendos nimium esse discipulos, sermone, & linguâ, nam aperiens os suum docebat eos. Scripto præterea. *Audiui*, (inquit D. Ioannes) *de cælo vocem dicentem mihi: Scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Dum dicit: *Audiui* linguam disertam, & eruditam ad docendum necessariam esse insinuauit, quæ ex ore Altissimi prodijt, sapientiam: dum verò ait: *Scribe*: etiam scriptis edocendos Discipulos voluit; siquidem memoria humana labilis est, & planè ipsa obliuio, ideo alterâ memoriâ, scilicet scripturâ opus est. Vnde per Habacuc Prophetam dicebat: *Scribe visum, & explana illum super tabulas, labilis enim est memoriæ hic populus.* Ideoque tradidit legem scriptam. Et Iob desiderabat, vt scriberentur, & imprimerentur sermones eius. *Quis mihi det, vt scribantur sermones mei?*

Apoc. 14. n. 3.

Habac. 2. n. 2.

Iob 19. n. 13.

Regibus quoq; præceptum erat, vt describerent sibi Deuteronomium Legis, vbi Philo dicit: *Legum compendium, describere manu propriâ, præceptum erat: vt sic inter scribendum in animam imprimerent, & menti Diuinos charactere,*

Philo de creatione Princip.

ctere inſcriberent, nunquam delebiles. Aliqui autem Hebræorū dicunt, & transferunt ſic: *Deſcribet ſibi iteratam legem, ita vt vnum legis exemplar penes ſe retineret, & aliud in theſauro deponeret.* *Deut. 17. 18.* Quod Deus præcepit, & Chriſtus Dominus edocuit: hoc eruditi præceptores imitantur, ſermone, & ſcripto erudiendo iuuentutem, ideoque ad os, & linguam in corpore humano rectè accommodari poſſunt. Os humanum ſublimem locum Dei gratiâ obtinuit, iuſtum eſt, vt & illi, qui aſſimilantur ori, ſublimiori loco, & honore gaudeant, *qui erudiunt cæteros*, inquit Sacra Scriptura: *Erunt ſicut ſtellæ* claritate differentes. Stellas in cæli firmamento Deus poſuit, non in terram depreſſit: iuſtum itaque eſt, vt qui ſtellis comparantur, ad eminentiores gradus promoueantur. Stellæ radijs micant, & viri, & magiſtri eruditi, ore, & linguâ Eccleſiæ, & Reipublicæ deſeruiunt, & lumen impendunt. Deſiderandum autem Eccleſiæ, & Reipublicæ, vt ſicut Chriſtus Dominus magiſtros ordinauit, ita ora, & linguas eorum erudiat, vt dicere poſſint cum Eccleſiaſtico. *Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, &* *Eccli. 51. v. 4.* *in ipſa laudabo Deum*, linguam ſcilicet ſapientem, & diſertam, quæ eſt merces laboris, quâ & proponere ſapientiam, & Deum laudare, alioſque ad laudandum inflammare, & erudire poſſim.

Talem linguam dare, ſolius Dei eſt. Talem tradidit Deus Iſaiæ Prophetæ. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui lapſus eſt* *Iſaia homil. 4.* *verbo.* Talem dedit Salomoni eloquentiſſimo, in precum ſuarum præmium. 76. Talem tradidit & Sancto Antonio Paduano; cuius corpus cùm inueniret reſolutum Sanctus Bonauentura in arenam puriſſimam, ſolam linguam reperit in nullo læſam, tanquam hominis viui, quam deuotè deoſculando, in eam vocem prorupit: O lingua benedicta, quæ Dominum benedixiſti, & alios benedicere feciſti, nunc clarè apparet, quanti meriti ſis apud Deum.

Chriſtus Dominus Diuo Antonio præ cæteris tradidit linguam eruditam, quod miraculis cōfirmauit.

Perſimili linguâ vniuerſitates Chriſtianæ, ad capeſſendam ſcientiam, eos, qui eſuriunt, & ſitiunt ſapientiam humanam, & Diuinam, conuocare cum Eccleſiaſtico debent, dicendo: *Appropiate ad me indocti, & congregate vos* *Eccli. 51. 31.* *in domum diſciplinæ*: congregate vos in gymnaſia, in quibus ſalutaris, & recta inſtitutio traditur, *comparate vobis ſine argento*, accipite gratis, non vos deterreat labor, *Num. 33.* *quia modicum laborabitis, & inuenietis multam requiem*, omnibus diuitijs *Num. 35.* præponite ſapientiam, quia ſapientia pretioſior eſt omnibus opibus mundi.

Tandem ſi quis quærat, in quo erudienda ſit iuuentus, de mente Chriſti Domini? Reſpondet Tertullianus, cùm inquit. *Omnia vtique docturos, qui dicit omnia. Nihil excipit. Maximâ tamen laude digni ſunt illi, qui erudiunt diſcipulos in eo, in quo poſſint deſeruire Deo, Reipublicæ, & ſaluti animæ ſuæ.* Illi docent Deo deſeruire,

uire, qui duplici cultu, interno, & externo Deum colere docent. Interno quidem, qui est verè sanctitatis genitor, & consistit in mentis deuotione, & coniunctione interna ad Deum, per intellectum, & affectum, quo in animo, & ex animo Deo vero, preces, laudes concipimus, vt eum purâ, integrâ, incorruptâ mente, & voce veneremur. Externo etiam per ritus, cæremonias, sacrificia, oblationes, explicitè hîc cultus Diuini numinis vocantur, religio, sanctitas, pietas; sanctitatem quippe parit Religio pietate consolidanda, pietas Religionem, Religio sanctitatem edit, & rursùs sanctitas pietati, tanquam suo principio connectitur, hinc catenam pulcherrimam efficiunt, estò Religio in alios diffundatur, sanctitas autem, & pietas sit ex seipso, & in seipso.

Itaque pietatem dicimus scientiam colendi Deum, iustitiam erga
77. Deum reuerentiam, quæ Deo tanquam omnium Creatori, Amplificatori, Seruatori fit, per quam & officium Regi, & diligens tribuitur cultus, sine quo nil sanctè in Republica geri potest; quoniam in illa sola omnis virtus est posita, ita, vt quidquid sine ea possideatur, turpe sit, quippe omnis sapientia hominis, *Deum timere, & mandata eius obseruare, hoc est enim omnis homo.*

Pietas est scientia colendi Deum, cultu interno, & externo.

Eccles. 12. 13.

Omni laude digni sunt perfecti, & consummati Magistri, qui in honorem Dei, & honorem, atque subsidium Reipublicæ, producere discipulos satagunt, Diuinis, & humanis literis edoctos, in hoc tantùm præcipua, & tota cura eorum sit, vt in pietate, & timore Dei erudiant eos. Quia sine Deo nemo bonus, & sicut nihil est, quòd tam miseram faciat Rempublicam, quàm impietas, & scelus, ita nihil est, quod firmiorem, & digniorem reddat, atque ab hostibus tutiorem, sicut pietas. *Non enim saluatur Rex per multam virtutem, nec gigas*, quantumcunque viribus constans: *sed oculi Domini super metuentes eum*, nec de se præsumentes, *vt eruat à morte animas eorum.* Similiter laude digni sunt, quòd post pietatem in eloquentia, & scientia eos instituant; vt sic Reipublicæ prodesse possint, aliosq; regere, si ad hoc assumpti fuerint, non ignorent. Porrò scientia, vel est Diuina, vel humana, in vtraque erudiendi sunt, vt Diuinarum rerum, humanarumque, notitiâ polleant.

Psal. 32. v. 16.

Quare in Theologica sapientia bonum est esse instructos, vt non solùm ipsi nouerint Deum reuereri, & colere, verùm etiam si opus fuerit, prouidere sciant, ne populus in Religione fluctuet: quomodo sectarum radices euelli possint: ideoque sacrarum literarum scientiâ eos imbuant, vt sic vniuersitates dicantur fulcra fidei, ne de illis possit dici illud Senecæ: *Postquàm docti prodierunt, docti desunt.*

Seneca Epist. 96.

Tandem in prudentia humana, claros, & eruditos producere disci-
78. pulos, non postremus est splendor virorum eruditorum, quoniam, vt inquit

quit Cicero eloquentiæ Parens. In omni arte, & scientia, peritus esse debet Orator, vt persuadeat, vt sic, quod arma explere nequeunt, orationis dulcedo efficiat. Quamuis autem, cùm de vera Philosophia est sermo, ea communiter intelligatur, quæ in actionibus consistit, qualis est moralis tractans de virtutibus, quarum præclara facinora mentem acuunt, & Politica, quæ rectè populos instruit: optimum tamen est etiam in Philosophia speculatiua eruditos esse in Regno, scilicet in Philosophia naturali, vt omnium rerum nôrint reddere causam. Vnde illa corpora proueniunt, quæ elementa vocamus, quis finis eorum, quæ mixtio, quæ vtilitas, quæ discordia, & concordia, vnde fulmina, & tonitrua, vnde ignes inusitati accenduntur? quæ causa, quòd arcus cœlestis tam varijs coloribus distinguatur, vnde ventorum prælia, quæ ita terram concutiunt, terras aquis aperiunt, vnde terræ motus, quales animæ operationes? quæ etsi inuisibilis sit, cadit tamen sub aspectum nostrum officijs, & sese aspiciendum præbet, dum omnia vitæ ornamenta ab ea excogitantur, & disponuntur, dum eius beneficio viuimus, ac domos, & vrbes possidemus, inquit Aristoteles.

In eloquentia enim docendi sunt discipuli & Philosophi, atq; prudentia, alijsq; scientijs practicis, & speculatiuis.

Mathematicis autem disciplinis eos instructos esse, vtilissimum est, quæ siue pacis, siue belli tempore, in multis deseruire possunt Reipublicæ. Astronomia, quæ Physicæ proxima est, dat exquisitam solis, & lunæ cursus notitiam, atque omnium rerum cœlestium cognitionem, illa, quæ iudiciaria est, atque diuinatoria, ex astris futura prædicans, exclusa Arithmetica, acceptorum, expensorumque rationem intelligere: ideoque pernecessaria est in magnis Reipublicæ negotijs, & priuatis ratiocinationibus. Geometria, sine qua, nec historiæ intelligi, nec agri rectè diuidi, nec castra locari, vrbes ædificari, arces muniri possunt. Ædificationes præterea templorum, ædiũ, reliquarumq; rerum, haberi nequeunt, adeò necessariæ, vt rectè quidam dixerit. Tolle metiendi rationem, & iustitiam, ciuiumque concordiam, multasque alias vtilitates è vita tolles, nam ex eius notitia pendent leges Arithmeticæ, in tribuendis honoribus, & alijs. Iam verò Philosophiam Practicam, adeò illis necessariam esse, rectè ostendit Plato, inquiens: *Tum demùm beatas Respublicas, cùm eiusmodi habebunt viros, qui eam Philosophiæ partem calluerint*, quæ docet quid honestũ, quid turpe, quid bonum, quid malum, quid Regi, quid Reipublicæ, quid domui, & familiæ suæ quis debeat, quibus virtutibus imbutũ se esse oporteat, quis optimus status Reipublicæ, quæ leges, quibus Respublica leuari, & subleuari possit, &c. Porro nec Iurisprudentiam ignorare debent, poterit enim fieri, quod assumantur ad negotia publica, ad cognoscendas causas, & negotia adiudicandum, & iustitiam exercendam, quod sine Iurisprudentia, difficilè rectè agere poterunt.

79\. Cæterùm monita Tertulliani, vt suum sortiantur effectum, non sufficit erudire discipulos in his, quæ pertinent ad Deum, & in illis, quæ spectant ad conseruandum, subleuandum, atque fulciendum, statum Reipublicæ; verùm etiam opus est, vt sint instructi in gubernatione suiipsius, hoc enim est, in quo consistit scientia saluandi animam; scientias suprà nominatas, speculatiuas, & morales, veritates Astrologicas, &c. mutare possunt discipuli à magistris: scientia verò regendi seipsum, requirit etiam subsidium cœlestis Præceptoris.

Nõ solùm instituendi sunt discipuli in his, quæ pertinent ad Deũ, & ad iuuandã Rempublicã, sed etiam gubernatione suiipsius.

Porrò recta gubernatio suiipsius in eo consistit, vt corpus deseruiat animæ, & anima Deo, sensus rationi, ratio Diuinis præceptis. Imaginandum quippe est, animam nostram collocatam esse in corpore, tanquam in arce, & aula sublimi, sed tenebrosa; sed adsunt duo Principes, aulæ præsides, nempe intellectus, & voluntas, quasi Duces humanarum actionum. Actiones quippe hominis, nec laude, nec vituperio ex se dignæ sunt, quòd si rectè gubernentur, laudem merentur, si autem à rectitudine deuient, vituperium. Et quia actiones humanæ medijs potentijs producuntur, à Præsidibus prædictis arcis potentiæ inferiores rectè gubernandæ, & ad opus applicandæ sunt.

80\. Adsunt etiam in prædicta arce, duo quasi Capitanei, nempè potentia irascibilis, & concupiscibilis, & vtraque deseruit voluntati; vnde inter Philosophos oritur difficultas, quis prædictorum Principum sit nobilior, num intellectus, vel voluntas? & alij quidam affirmant, intellectum esse nobiliorem, alij verò voluntatem; tandem alij æquè nobiles esse volunt, & habere se sicut excedens, & excessum, sicut se haberent duo, quorum alter est ditissimus bonis mobilibus, alter verò immobilibus.

Anima est in corpore tanquam in arce, quam defendunt Principes militum, & impugnant hostes animæ.

Cæterùm, quia voluntas in vehiculo animæ se habet, vt imperans, dirigens, intellectus verò vt auriga, facem præferens, quia item Capitanei in hac arce voluntati obediunt; irascibilis enim, & concupiscibilis potentia, sunt in voluntate, de mente Doctoris subtilis, & non in solo appetitu sensitiuo. Et quia hostes prædictæ arcis acriter pugnant, quibus voluntas resistit, ideò voluntatem nobiliorem esse intellectu, affirmant Doctores, de quo fusiùs infrà.

Adsunt quoque in prædicta arce hostes omninò subiugandi, scilicet, passiones animæ, in quo præcipua pars regiminis suiipsius consistit. Etsi enim & Duces, & Capitanei huius arcis à voluntate moderentur, Duces quidem, ne vnus alterum in recta ratione impediat: Capitanei verò, ne excedant, sed modestè, & temperatè se habeant, circa bonum, & malum, regulante ipsos voluntate: concupiscibilem quidem regula temperantiæ, irascibilem verò regula fortitudinis, in ordine ad bonum rationis, vt

sic con-

ſic concupiſcibilis proſequatur conuenientia naturæ, & fugiat diſconuenientia cum moderamine: iraſcibilis verò cum moderamine repellat, vel ſuſtineat offendentia; maximè tamen eius virtus conſiſtit in ſubiugandis paſſionibus, tanquam hoſtibus arcis, quæ ſunt duodecim ſeriæ, ſcilicet pares hinc, illinc ſibi, & ex aduerſo pugnantes: nimirùm, amor, odium, deſiderium, abominatio, ſpes, deſperatio, & hæ ſunt in concupiſcibili: timor, audacia, ira, manſuetudo, delectatio, triſtitia, & hæ ſunt in iraſcibili: inter has tres ſunt quaſi ſigniferi, & paſſionum Principes: ſpes, timor, delectatio, & triſtitia, ad quas veluti ſuos ad angulos reliquæ rediguntur.

Sanè in regimine ſuiipſius. Amor vel inprimis dextræ flectendus, eſt enim difficillimæ diſciplinæ: rari ſunt enim, qui parùm ſe ab eo diuelli ſinunt. Odij vis acerrima, quod bono aduerſatur, ſicut enim amor bonum ſequitur, ita odium fugit, iuxtà illud Taciti: *Quæ apud concordes vincula* *Tacit. Ann. 1.*
ſunt charitatis, incitamenta irarum apud infenſos ſunt. Cùm verò ea ſit odij ratio, vt non, niſi exterminet, deſiſtat: ſicut & ea amoris, vt niſi confirmet; opus eſt, vt in regimine ſuiipſius, amandos ſibi proponat probos ad ſtabilimentum vſque; improbos autem, vſque ad exterminandum odio habendos.

Deſiderium tametſi idem non ſit, quod amor; quia eſt abſentis, amor præſentis: ſicuti neque abominatio ſit idem, quod odium, tamen ex ijs oriuntur: quæ enim amant homines, amore proſequuntur, & deſiderant; quæ verò oderunt, odio proſequuntur, & abominantur.

Spes ex deſiderio, deſperatio ex diffidentia emergunt; vnde & hîc ſolicitè agendum; eſt enim occulta ſemper ſpei comes deſperatio, ſi quòd illa ſeceſſerit, eius locum præſtò occupatura. His ſuccedunt paſſiones, quæ in iraſcibili; & primum timor, & audacia. Timor ex abominatione nimia ortum habet, audacia ex nimio deſiderio, vtraque ſubiuganda, vt opportunè, & non immoderatè fiat: nam importunè vtraque peſſima, & præter modum timere, vt nihil prorsùs aggrediatur, & inconſultè aggredi.

Ira, & commiſeratio, & ira quidem ab odio multùm diſtat: Odium enim amori directè apponitur, adeò, vt gratis quis, & abſque cauſa aliquem odiſſe poſſit, iraſci nequaquam. Ira inflicta, pœnâ terminatur, odium verò nuſquam, niſi ad exitium vſque: vnde peioris conditionis eſt odium, quàm ira. Commiſeratio, tametſi paſſio nobis dicta, virtus tamen eſt, eadem prope, ac manſuetudo, iram comprimens, & ad rationis tramites dirigens.

Denique delectatio, & triſtitia, vltimum ſibi locum inter paſſiones occu-

occupant, & ad alteram ipsarum, tanquam ad suum finem, reliquæ terminantur, omnes, tanquam milites ad suos signiferos: solis actionibus probis, rebusque laude dignis delectandum est; contrà verò de turpibus, & vitiosis tristandum. Itaque si quis interroget, qualiter sine tristitia quis viuere posset? Respondetur. Virtutes sectari, vitia abhorrere, neminem lædere, hostes iuuare. In quibus verò tristandum? In amicorum aduersis: sic passiones, siue illæ sint in appetitu sensitiuo, siue etiam in voluntate, vt vult Doctor Subtilis, vt hostes animæ rationi subiugandæ sunt, & mo-

Matth. 16. 25. derandæ, dicente Christo. *Qui vult animam suam saluam facere, perdat eam, qui verò perdiderit*, id est, mortificauerit animam, & passiones eius propter me, *inueniet, & saluabit eam.*

Neque tamen sufficit ad salutem animæ, qualis, qualis moderatio passionum, sed Christus Dominus in ea arte perfectissimus præceptor docet,

Ad Heb. 1. 10. & requirit consummatam scientiam, qui, vt inquit D. Paulus, est *author vitæ, per passiones consummatas, atque dolores*, quos supportauit in cruce, ideo Christus

81. moriens dixit: *Consummatum est.*

Quare duo sunt, quæ consummatos reddunt discipulos, sicut in moderandis passionibus, ita & in cæteris operibus arduis: Christum imitari, & memoriam incertitudinis horæ mortis retinere. In Christo non fuerunt passiones, fuerunt tamen propassiones, non fuerunt passiones præcurrentes rationem, sed subsequentes, succurrentes rationi, non antecedentes: fuit in Christo ira, & tristitia, sed rationis ductu exercita: assuescant igitur discipuli oportet vt ex imitatione Christi, rationis ductu passionibus vtantur ad succurrendum, non ad nocendum. Non sine causa monet Apostolus: *Aspiciamus ad authorem fidei, & consummatorem Iesum.* Non satis est in hoc exercitio incipere, consummatio necessaria est.

In scientia saluandi duo sũt, quæ consummatos reddũt discipulos, nimium Christum imitari, & memoriam incertitudinis horæ mortis retinere.

Hebr. 12. n. 2. Salus enim cœpti operis est consummatio: quippe non qui à cruce descenderet, sed qui omnes passiones à malitia excogitatas, patiendo consummaret: is erat humani generis Saluator, neque aliqua mediocri dolorum tolerantia contentus erat, sed qui, vel extremum patiendi apicem pertingeret, is filius Dei, humanæque iustitiæ author declarabatur.

Psal. 91. 13. De quolibet iusto, & in virtutibus perfecto, aiebat Psaltes. *Iustus vt palma florebit.* Cur vt palma? Id innuit Hugo victor, fatus. Iusti conuersatio tanquam palma, plùs finiendo peragit, quàm inchoando proponit. Hoc habet iustitiæ æmulus, quo plùs crescit, plùs labori instat, donec omnes iustitiæ apices percurrat, nulli alium sui profectus finem præscribit, quàm consummationem ipsam Equidem miserè falluntur, qui opus aggressi, putant licere sibi aliqua inaccessa prætermittere. Meritò Diuus Ambrosius ponderans, quod Deus mandauerit, mandata sua custodiri nimis,

Hugo Victor lib. 2. Miscel. tit. 95.

D. Amb. ser. 1. in Psal. 67.

nimis, & refert perditionem hominum, quod aliqua prætermittant. Sic enim inquit: *In paradiso mandauit Adæ, vt custodiret mandata, sed fortassè non mandauerat custodiri nimis, & ideo lapsus est, ideo deceptus erat à serpente, putans, quod si in parte aliqua recederet à mandato, non penitus erraret, sed quia à semita mandatorum recessit, totam deseruit vitam.*

Aliud, quod in scientia saluandi animam consummatos reddit discipulos, scilicet, scientia per ignorantiam, seu memoria incertitudinis diei mortis, quæ dici potest sancta ignorantia. Sancta rusticitas, sola sibi prodest, inquit quidam. Sed sancta ignorantia diei mortis, omnibus doctis, & indoctis, Sanctis, & pœnitentibus, sancta, inquam, ignorantia, non absolutè ignorantia. Turpe enim est in Gymnasijs, & Vniuersitatibus dicere, vel audire: Ignoro, Nescio, Putâram; hæc enim à viris sapientibus longè esse debent; illa verò ignorantia, de qua loquimur, æquipollet consummatæ scientiæ, seu scientiæ per ignorantiam, conformiter ad id, quod dicetur infra, de amore extatico per ignorantiam. Hæc scientia profuit Iob, non puduit illum dicere, nescio: *Nescio* (inquit) *quàm diu subsistam.* Hæc profuit Dauid, qui cautior factus dicebat: *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Magna est vtilitas huius inscientiæ, facit enim hominem cautum, admonet debilem, & parùm durabilem esse vitam hominis, tollit securitatem, quæ facit hominem superbum, ambitiosum, vitijs obnoxium. Multos decipit dæmon, persuadendo securitatem, vel saltem longiorem dilationem vitæ, cui respondendum est: *Nescio, quàm diu subsistam.* Ignorantia hæc assumenda est, vt arma contra mortem, contra antesignanum mortis, peccatum, contra dæmonem, tanquam gigantem, quem interfecit humilis Dauid: his quoque armis pugnandum est contra mundum, diuitias, delicias, &c. contra cohortes dæmonis, superbiam, auaritiam, & concupiscentiam carnis; qui enim dicit: *Nescio, quàm diu subsistam*, quando deficiam, quibus occasionibus, quo genere mortis, mors enim nulli parcit, nec tempus exspectat, nauigantem in portu fluctibus submergit, ambitiosum post obtentas dignitates tollit, non discernit inter dormientem, manducantem, loquentem, ludentem: sed sicut pisces capiuntur hamo, sic homines hamo lætitiæ, hamo securitatis, hamo tristitiæ, hamo laboris, hamo diligentiæ, &c. 82.

Cõsummatos facit discipulos, vel maximè sciẽtia per ignorantiam.

Iob 32. n. 22.

Psal. 72. n. 22.

Voluit autem Deus sic ignorantes esse homines, vt attendant ad tempus præsens, cùm ignorent futurum, hoc est tempus acceptabile, scilicet præsens: vt non commutent nunc, pro tunc, quia nunc certum est, quod autem fiet tunc, solus Deus scit, nec cuiquam illud reuelauit. Et quis scit, si illud tunc, non erit perditionis, cùm nunc sit salutis? eligere ergo nunc, pro tunc, est redimere tempus, quo nihil pretiosius. Vnde 83.

Quam ob causam placuit Deo, quòd homines ignorarent tempus mortis?

illa ignorantia, vt dixi, æquipollet magnæ scientiæ, nimirùm, scientiæ tractandi rectè id, quod tam pretiosum est, scilicet tempus: conseruare autem tempus, non est aliud, nisi vti bene tempore, ne fortè, cùm maximè opus fuerit, denegetur, in pœnam malè consumpti temporis, in compotationibus, iocis, & alijs vanis conuersationibus; ne fortè inueniaris inter illos, qui tardè sapientes dicuntur. *Et vocauit tempus aduersùm me, vt contereret electos meos.* Contra illos Deus vocat tempus, qui diutiùs victuri erant, sed quia abutebantur tempore, diminuit de tempore vitæ, vt citiùs moriantur, quàm ad salutem animæ capessendam, fuerit necessarium. Non conceditur mereri salutem in tempore alieno, sed in tempore proprio. Tempus mortis, est tempus alienum, tunc enim omnia, quæ tua sunt, deficiunt. Deficiunt sensus, deficiunt potentiæ animæ, deficit corpus, & si velis aliquid boni agere, aut saltem ad Deum ingemiscere, Deus scit, si hoc tibi permittetur, aut saltem dicere nomen Iesus. Ergo operandum est, & merendum, dum viuimus, quia hoc tantùm nostrum tempus est, & dicere cum Propheta: *Expecto donec veniat immutatio mea*, & tristitia mutetur in lætitiam, dolor in gaudium, miseria in gloriam.

Thren. 1. n. 15.

Iob 14. n. 14.

CAPVT VI.

Splendor nobilitatis, quòd sit robur Reipublicæ, ad instar ossium in corpore humano.

NOn est quidem Deus acceptator personarum, nescio tamen, quo pacto virtus, in nobili ei multùm placet, inquit Diuus Bernardus. *Laudo* (ait) *factam de necessitate virtutem, sed plùs illam, quam elegit animi libertas, non induxit necessitas.* Et Synesius inquit: *Nec à ratione alienum est, Diuinum quoque numen Religiosi principis cultu, reuerentiaque gaudere, eumque arcana quadam necessitate sibi conciliare.* Non alium etiam famulum Filio infanti, Pater Diuinus prouidit ad obeunda obsequia, nisi Ioseph Dauidis filium, Regijs stemmatibus decoratum, Saluatori àëreas potestates debellanti, gloriosè è sepulchro emergenti, partim de piscatorum familia, partim de nobilium genere, testes Resurrectionis esse placuit: at eidem vagienti, inter pueros periclitanti, Regius famulus datur; vt in bellatore Regalis potestas, & virtus, quâ subiecit àëreas potestates, ostentaretur, in infantia gustus saporaretur: gaudet enim Deus, seruientes sibi Regios viros habere.

Bern. in Epist.

Synesius Cyrenensis lib. de Regno.

84. Nobilitas sanguinis plùs cæteris Deo cara est, & in Regnis, præcipuè in Regno Poloniæ, est in magna veneratione.

Matrem quoque Filio suo elegit Augustissimam Virginem Mariam, quæ ex Regibus, & Ducibus nobilissimis, ortum duceret. Ac denique ipse Christus Dominus in mundum veniens, & conformans se intentioni, & fini,

fini, propter quem venit, nimirùm, vt destrueret superbiam, exaltaret humilitatem, vt condemnaret auaritiam, & exaltaret contemptum rerum terrenarum, gloriosus, etsi humilis, tamen nobilitate exornatus, tanquam Vnigenitus à Patre cœlesti, in hæc sublunaria descendit. Non auro, aut gemmis ornatus, qualem expectabant Hebræi, sed pauper, vt insinuaret, non esse idem, diuitijs abundare, & nobilem esse; quod etiam docuit Aristoteles. *At enim,* (inquit) *qui reuera nobiles, ac boni sunt, nusquam centum reperiuntur, diuites autem multis in locis.* Et iterum *nobilitas* (inquit) *apud omnes in honore habetur,* & subdit causam, dum ait: *Insuper consentaneum est ex melioribus ortos, meliores esse, est enim generis virtus nobilitas;* ideoque in Regno Poloniæ, magna habetur ratio nobilitatis, nam illis solis concessum est suffragium in eligendo Rege. Nobiles quippe soli, & singuli, æquè Senatores, seu Magistratus, officiaué gerentes, ac priuatam ducentes vitam, qui volunt venire ad electionem, & vti isto suo iure, habent ius dandi suffragium in eligendo Rege. Postulabant quidem Cosaci Zaporouiani, vt eo iure vti possent, sed audiuerunt responsum seuerius, nempe, quòd Cosaci ex plebe collecti, nullas partes habeant in consilijs publicis, neque in electione Regis; sed soli nobiles. Militibus quoque nobilibus, dum stipendia Reipublicæ merentur, & sub signis stant, id concessum non est, quia non ex castris, nec in militari censu, sed à tali authoramento solutis id concessum est.

Arist. de part. animal. cap. 4. Isid. lib. 5. Pol. cap. 1.

Piasecius in enarr. gestor. Europa super Annum 1632.

Idem fol. 59.

Nobilibus etiam Polonis præest Rex, vt illis tanquam subditis beneficia distribuat, non pœnas multiplicet.

85. Quam ob causam nobilitas est in magno honore, & venerationes

Et reuerà, nobilitas non caret maximis animi ornamentis, quòd magnanimi sint, quòd magnifici, quòd industrij, quòd affabiles, quòd generosi. Magnanimi quidem, quia maiorum gesta sibi proponentes, ad ea, vel æquanda, vel superanda aspirant. Magnifici verò, si modus adsit, quòd suam nobilitatem ostendentes, offendere putabunt, nisi & alia magna, conspicuaque faciant. Industrij præterea, quòd opipare nutriti, corpus bene dispositum habent, & molles corpore, aptos esse mente concessum est, ex cuius aptitudine, industria oritur. Tandem affabiles, quòd cùm nobilibus assueti, colloquijsque dediti, sociales sunt effecti. Dociles quoq;, quia & nobiliores, æquè fræno facilè reguntur, inquit Seneca. Propter has optimas proprietates, honore, & ad Magistratus Regni promotione digni censentur. Cómuniter etiam sunt generosi, qui sic dicuntur, quia à sua natura non degenerant, sicut nobiles, qui ex bono sunt genere, vt inquit Aristoteles. Non desunt tamen, in quibus & vitia accusari possunt: sunt enim ambitiosi, & despectores, crudeles erga subditos. Ambitiosi quidem, quòd acquirendi cupiditas, cuique à sua natura est insita, vnde cupientes & ipsi, ad ea, quæ habent, vel diuitiarum, vel honorum, digni-

dignitatisué aggregare, facilè ambiunt. Despectores autem, quòd nobilitate tumidi, reliquos omnes, vel se peiores, vel omninò cuilibet pares se præsumentes, nulli cedere volunt, & ratione dignitatis, alijs præesse cupiunt. Crudeles quoque, quia dum prodigalitati suæ satisfacere cupiunt, luxui in victu, & vestitu, ebrietatibus, crapulis dediti, miseros subditos spoliant, & in nihilum redigunt, & tales à quibusdam ad lien, in corpore humano comparantur: quia sicut dum lien crescit, totum corpus tabescit: sic dum illi prodigaliter viuunt, subditi debilitantur, & in pauperiem deueniunt. Potius tamen deberent comparari stomacho, non eâ ratione, quòd omnia deglutiant, vt stomachus; sed quòd sicut stomachus, cibos receptos in omnia sensim membra diuidit, eaque firmat, ita nobiles, & Reipublicæ, & subditorum commodis inuigilare debent Non debent esse dracones. Draco grandior in dies consurgens, paruulos serpentes deglutit, vt quidam rectè insinuauit, dum supra draconem hanc notulam apposuit. *Compendium vnius, dispendium alterius.* Non debent esse leones; *venatio leonis est onager in syluis, & venatio diuitis nobilis, pauper*, vt fit communiter in Polonia, inde euenit, (vt ominari licet) ille in Anno 1649. in nobilitatem agrestium rusticorum ausus, prorsus aliàs inauditus, Deo sic permittente.

Ecclis. 13. 23.

86. Iam verò inter Sacros Scriptores quæstio est. Num dignitas ex sanctitate, & nobilitate morum, superet nobilitatem ex sanguine? Diuersa quippe est ratio nobilitatis apud Deum, & homines. Nobilitas iudicio hominum est ex sanguine, nobilitas apud Deum est ex sanctitate, & virtute. Hinc sicut iudicio hominum, quò quis altior sanguine, eò nobilior: apud Deum verò, quò quis sanctior. Quatuor autem sunt præcipuè gradus sanctitatis. Sunt homines, qui toto vitæ suæ spatio peccant, & in fine vitæ, antequàm moriantur, pænitent: qualis fuit latro pænitens. Sunt alij, qui postquam in peccatum cadunt, continuò per pænitentiam resurgunt. Sunt item, qui antequam videant lucem, sanctificantur: Denique, qui à peccato actuali, & originali, priuilegio speciali præseruantur. Primi sunt infimi gradus sanctitatis, alij gradus superioris, quales sunt, & fuerunt, qui rigorosam pænitentiam de peccatis egerunt, vt Maria Magdalena, &c. Alij in vtero materno sanctificati, vt D. Ioannes Baptista, Hieremias. Sola Beatissima Virgo Maria, cum Christo supremum nobilitatis, & sanctitatis gradum obtinuit, illa à priuilegio, Christus à natura.

Quales debeāt esse nobiles, vt sint laude, veneratione, & promotione ad Magistratus Regni digni, nimirum, vt sint nobiles in oculis Dei, & hominum.

87. Quare Beatissima Virgo Maria, iuremeritò in persona Sapientiæ, gloriari potuit de vtraque nobilitate, fuit enim nobilissima vetustate, & feliçissima nouitate: de antiquitate nobilitatis suæ, inquit: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret, &c.* Ab æterno, ante omnes creatu-
ras

Augustissima virgo, nobilissima vtraque

ras alias, quantumlibet perfectas, præcognita, & prædestinata, etiam ante præuisionem peccati Adæ. Vnde D. Augustinus. *Maria æterni consilij opus est*, id est, tale, ac tantum opus, vt si Deus opus haberet consilio, æternam in consulendo durationem ponere opus esset, immò, si per impossibile, Deus ab æterno alias creaturas non præuidisset, Beatissimam Virginem, ob nimiam celsitudinem præuideret, & per illam, tanquam per dioptram, longè distantes alias creaturas videret. Vnde Bernardus: *Virginem gloriosam, non fortuito inuentam, sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, ab Angelis seruatam, à patribus præfiguratam, à Prophetis promissam, antequam terra fieret*; fuit itaque nobilitata ab æterno à Deo. Fuit item nobilitata & in tempore, vt de se testatur. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, &c.* non solùm in initio æternorum decretorum Dei, quoniam præcessit præuisionem peccati Adæ, sed etiam in initio viarum Dei, quoniam præcessit permissionem, scilicet, productionis creaturarum, non quidem quoad durationem; sed quoad dignitatem, vt quicquid esset dignitatis, quicquid splendoris, quicquid puritatis in creaturis omnibus, totum id transfunderetur in Beatissimam Virginem, & animam eius augustissimam, ac nobilissimã, ex sole lumen, incorruptibilitas ex corporũ cælestiũ firmitate, cœli empyrei splendor ex puritate elementorum; vnde inenarrabilis animæ, & nobilitatis eius fulgor, & candor illuxit: vt illa sola nobilitate suâ lætificaret cœlum, & terram, ac purgatorium, terreret autem infernum.

Margin: nobilitate sanguinis, & virtutis, vetustatis, & nouitatis felicissimæ. — *Prou. 8. n. 1.*

88. Itaque optima nobilitas est illa, quæ est ex virtute; sed neque illa, quæ est ex sanguine, vituperanda est; quòd si vtraque adsit, iam fulcrum, & columen Regni est, scilicet, nobilitas, vt Aristoteles loquitur, gentis, & virtutis: ille quippe duplicem nobilitatem distinguit: gentis, quæ est ex prædecessoribus nobilissimis, & nobilitatem priuatam ex virtute. Tertullianus conformiter ad Aristotelem, distinguit nobilitatem sanguinis, & virtutis; dum de vtraque sic loquitur. Vetustate (inquit) nobiles, & nouitate felices: per vetustam, intelligit nobilitatem sanguinis, per felicitatem nouam, seu nouitatem felicitatis, nouitatem virtutum. Vtriusque nobilitatis ratio habenda est, quoniam in Republica se habet, veluti ossa in corpore humano. Ossa sustentant molem totius corporis; humiliantur autem ossa prædicta, dum nobiles degenerant in mercaturas, quod cuidam fortè generis, & ortus humilitatem exprobranti, obiecit Cicero. *Dijs* (inquit) *gratias ago singulares, quòd generis tui nobilitas in te finitur. Ego verò ita viuo, vt sim posteris meis nobilitatis initium, atque virtutis exemplum: Reipublicæ quoque sustentaculum esse cupio, consilijs, potentiâ, sapientiâ, bonæ vitæ famâ, hostiumque oppugnatione, more equitum Romanorum.*

Margin: Nobilitas alia sanguinis, alia virtutis.

Sustentat nobilitas corpus Reipublicæ tempore pacis, & belli: hinc in

 assum-

assumptione ad dignitates, & Magistratus, magna ratio habenda est nobilitatis. Ex quo oritur quæstio inter Politicos, quam decidit Aristoteles. An potiùs virtuosi, vel nobiles sanguine, & diuites gubernare debeant? & respondet. Quod, qui propter diuitias, vel genus, gubernationem sibi tribuendam putat, nihil iustè dicere videtur, quod ibidem probat: verùm id, de quo dubitat Aristoteles, resoluunt Politici. *Ad dignitates, Magistratus, gubernationemque, illos omninò assumendos esse potiùs, quàm cæteros, qui sunt vetustate nobiles, & nouitate felices: neque sufficit vnum absque altero. Nec ad solam vetustatem nobilitatis, seu ad nobilitatem generis attendendum, est proprium, quòd claritate virtutis, personalis fulget; nam & in naui, non qui natalibus, aut opibus excellit, clauum tenet, sed qui virtute, & peritiâ, gubernandi vigilantiâ, fide alios antecellit: Sic ille sustentat Reipub. nauim, qui sapientiâ, iustitiâ, moderatione, prouidentiâ, publici boni commodo alios superat. Qui solertes, fideles, vitæ integræ, fortes, liberi, quippe, qui animum potestati æmulum præseferunt; quòd si hi etiam stirpe nobiles fuerint, optimè consultum erit.*

Arist. in Polit.

89.

De concurrētia nobilis sanguine cū nobili virture ad dignitates Regni definitur ambiguitas.

Verùm si humilis cum nobili concurrat, vel dico æquè clari inter se competant, in vtraque competentia indubitata nobilitas præcurrat. Est autem indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata, nec enim, quod certiorem generis fidem faciat, est quàm morum pondus, nam praui mores, præclariorem hominis partem, & quæ maximè in Magistratibus requiritur, mentem, scilicet, inficiunt. Non sunt igitur stirpe nobiles despiciendi, quin potiùs alijs præponendi, si nouitate personalium virtutum exornati fuerint, nam neque Deus ipse eos despexit, quoniam ad Apostolatus dignitatem, non ex humilibus solùm personis, sed ex nobilioribus elegit, licet pauciores: idque adeo, ne fidei doctrina, vel tribueretur rusticitati, de qua suprà dictum est, quòd sancta rusticitas solùm sibi prodest; si ex humilioribus tantùm: vel virtuti humanæ, si ex præclarioribus solis.

90.

Robur exercitus in bello corporali est nobilitas, prçcipuè apud Polonos.

Porro in bello, robur exercitûs est nobilitas, clypeus Reipublicæ, & turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis. Inexpugnabile Poloniæ Regnum, non fortalitijs, & castellis, in quibus minùs confidit, sed in subsidio Dei, & nobilitatis generosæ pectoribus. Iuremeritò de hoc Regno dici potest, quòd sit mons Sion, *turris fortissima, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium*; Senatores, Duces strenui, flos nobilitatis Polonæ, non solùm armis instructi, sed & in scientia militari, ac rebus Politicis exercitati, est armatura fortium, clypei, & propugnacula totius Christianitatis, à quibus custoditur, conseruatur, atque firmatur paries, & porta totius Christianitatis, atque Ecclesiæ Dei contra hostiles, & barbaricos Turcarum, atque Moschouitarum ausus. Hoc clypeo turbo, impellens parietem, fractus, hoc propugnaculo impetus Turcarum euanuit; dum

dum Osmanum cum ingenti exercitu, non solùm de finibus Poloniæ pepulit, sed & vitâ priuauit; nam confusione acceptâ ab exercitu Polono, Turcæ morte crudelissimâ ipsum affecerunt.

In hoc prælio crudelissimo Serenissimus Vladislaus Princeps, vt scribit Rex Sigismundus ad Imperatorem, impetum hostilem primus sustinuit, atque primus in acie ipsa contra Osmanum, & barbaros stans, Orbi vniuerso testatum fecit, sibi vitâ ipsâ cariorem esse salutem, & dignitatem Reipublicæ Christianæ. Auxit animum non ignaua nobilitas Polona strenuè decertans, atque ita Serenissimus Princeps, postquam in exercitum venit, vidit hostiles ausus, & vicit, atque ad iustas conditiones coëgit, inter quas illa non postrema, vt ille primus ex campo, & finibus Regni, cum Tartarorum Imperatore recederet.

Verum, ne prædicta nobilitas, nimium de sua nobilitate præsumat, in eaque confidat, & inutiliter se extollat: attendat ad verba nobilissimi Regis, quæ fortissima quæquæ corporis Politici ossa, iuremeritò perterrefacere possunt. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in æternam corruptionem?* *Psal. 89. n. 10.*

91. Tria sunt præcipuè, quibus ornamentum nobilitatis competit. Anima rationalis gubernans corporis molem, corpus sanguine clarum, & persona moribus, & virtutibus splendida. Splendor animæ multiplici ratione fulget, & nobilitas eiusdem, præcipuè tamen ratione causæ efficientis, quia à solo Deo producitur: ratione finis, quia propter solum Deum, & æternam gloriam: ratione formæ etiam, quia est Spiritus; tandem ratione materiæ, quâ caret iuxta communem opinionem. Nihilominùs tamen potest anima dicere. Quæ nobilitas in anima mea, si descendero in corruptionem? Non corporalem, iuxta quam, quod senescit, propè interitum est; quod à principio, vnde originem sumpsit, elongatur, hoc ad terminum, & finem magis appropinquat, quoniam non est anima persimilis rebus corporeis, vestimentum potest ita antiquari, vt ampliùs refici non possit: sed Moralem, sic enim & anima potest dici descendere in corruptionem: de quo potest intelligi illud Ezechielis. *Radix tua, & generatio tua de terra Chanàan, Pater tuus Amorhæus, & mater tua Cethea, &c.* vbi Sacra Scriptura non loquitur de origine per productionem, sed per denigrationem à peccato originali, alijsque peccatis actualibus: talis quippe anima caret nobilitate spirituali, quæ consistit in libertate, seu immunitate à peccatis, vbi quantò anima est purior, & à peccatis liberior, tantò est nobilior, vt dictum est.

Tria sunt, quibus ornamentum nobilitatis competit, anima, corpus, & persona.

Ezechielis 16. num. 3.

92. Alius splendor nobilitatis est eorum, quorum animæ non descenderunt in corruptionem per peccata actualia, sed tamen per peccatum originale denigratæ fuerunt, & sanctificatione opus habebant, & iste est gradus

Tres gradus nobilitatis, & sanctitatis insinuantur.

dus nobilitatis multò inferior præcedenti: hâc nobilitate fuit exornatus Sanctus Ioannes Baptista, Hieremias, &c.

Vltimus, & infimus gradus nobilitatis huius est eorum, qui in vita quandoque Sacramentis Ecclesiæ à peccatis mortalibus immunes reperiuntur. Hi sunt perfectè nobiles vetustate, & nouitate felices, de quibus dicit D. Ioannes. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*: de cælo originem trahunt, à voluntate Dei prædestinãte, & assumente de præsenti nobilitate ad æternam. Per oppositum, quantò pluribus peccatis sunt obnoxij, tantò maiori ignobilitate deturpantur: sicut enim peccata non sunt æqualia, sed imparia; ita quoque & ignobilitas illarum animarum, quæ peccatis maculatæ, & ad diuersas pœnas inferni obligatæ sunt, diuersa est. Alia autem peccata sunt ex ignorantia, alia ex infirmitate, alia ex malitia, alia oris, alia operis, omnia tamen in hoc conueniunt, si mortalia sunt, quòd ignobilem reddant animam, ita, quòd ad nihil vtilis remaneat, nisi ad comburendum in inferno. Rectè ergo dixit Dauid. *Quæ vtilitas est in sanguine meo*, in nobilitate animæ, si descendit in corruptionem peccatorum, quæ naturâ suâ immortalis est? Dum & gratiâ Dei priuatur, & ignorantiâ obfuscatur, & reatu maculatur, & ad æternam pœnam destinatur.

Ioan. 1.

93. *Mors nobilitatem sanguinis facit descendere in corruptioné. Eccles. 9. n. 4.*

Loquendo autem de nobilitate corporali, inquit Dauid Rex. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem*, scilicet in sepulchrum? Nihil ita contemptui hominum est, sicut mortui, etiamsi nobilissimi fuerint. *Melior est canis viuus, leone mortuo.* Nullus respectus nobilitatis, aut sanguinis illustris; nulla sapientiæ ratio, aut eloquentiæ, vel fortitudinis; melior est viuus lepusculus leone mortuo: vnde quidam erexit emblema, depicto leone mortuo, cuius lepusculi barbam vellificabant. Si vides leonem mortuum, plùs times canes viuos.

In disputationem vocant Philosophi, an viuentia præstant non viuentibus? & determinant, quòd sic. Melior est miles viuus Duce mortuo, melior est discipulus viuus, quàm magister mortuus, melior est agrestis viuus nobiliore mortuo, inquantùm est viuens, quia mortuus caret vitâ. Sanè peioris est conditionis mortuus etiam ipsâ terrâ, in quam projicitur. Vnde Aristoteles dixit: mortuum surdam terram esse. Hinc loqui cum mortuo, est loqui cum terra surda. Terram autem, quam calcamus, Sacra Scriptura in testimonium contra peccatores inuocat, dicendo. *Audiat terra verba oris mei.* Misera ergo est conditio nobilis sanguinis descendentis in corruptionem, iudicio oculi materialis; at, verò iudicio fidei, aliter sentiendum est. Non est timenda corruptio, & putrefactio corporis, quia vtriusque depositarius est Deus, & animæ, & corporis. Custodit hoc depo-

Arist. 2. Rhet. cap. 13. circa finem.

depositum, vsque in illum diem, quo resuscitatur in meliorem conditionem. Ideo sepulturâ honorificâ cohonestãtur corpora tanquã instruméto animæ, quòad bona opera, estò sint rapta per mortem. Expectant speciale præmium glorificationis, & nobilitatis, ossa in puluere quiescentia.

Cæterùm de personali nobilitate, vel maximè lamentabatur Propheta, dum inquit; *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* affirmans nihil vtilius esse personæ nobili, antiquitate gentis conspicuæ claris operibus, & gestis antecessorũ fulgentibus, turpe verò descendere in corruptionem morum, tunc enim nulla vtilitas est in sanguine, dum quis curruptis moribus, florem nobilitatis literaturæ, ac industriæ pulcherrimum, corporis moribus denigrat, & ad instar vrticarum, ac tribulorum splendorem nobilitatis obfuscat, dum locò modestiæ audaciam, locò humilitatis superbiam, locò moderationis ambitionem, locò castitatis carnis spurcitias, locò frugalitatis epularum superfluitatem, locò charitatis inuidiam, locò animi generosi detractionem, locò synceritatis captiosum agendi modum, locò liberalitatis auaritiam, locò sedulitatis otium, locò fidelitatis fallacitatem, locò veritatis adulationem, locò concordiæ iniuriam, locò negotiationis gratiæ Dei affectionem nimiam gratiæ humanæ, locò quietis curiositatem in audiendis nouis, locò pacificæ conuersationis factiones, locò curæ salutis propriæ profanum studium rerum antiquarum; locò honestatis scurrilitatem, locò parcæ, & prudentis locutionis verbositatem, locò credulitatis, mendacij infamiam eligit.

94. Rex, & Propheta Dauid lamentatur de persona nobili descendere in corruptionem morum. *Psal. 29. v. 10.*

Si artifex proferat vas pretiosum gemmis, & lapidibus pretiosis ornatum, illudque carbonibus deturpet, nonné fatuus artifex, seu aurifaber diceretur, & vas pretiosum abominabile esset? Vas pretiosum sunt personæ nobiles, nobilitate generis, & antiquitate; quòd si moribus prauis deturpentur, nulla vtilitas in sanguine eorum. Quinimmò obijci illis possunt antecessores virtuosi, qui hæreditario iure illis reliquerunt nobilitatem generis, & virtutis: quòd si rapinis viuant, prodigalitate, ebrietate, &c. iam illis dici potest illud. *Genimina viperarum, ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham*: ille enim fuit vas electionis aureum, gemmis, & lapidibus pretiosis ornatum, vos indigni hoc nomine estis. Prædecessores nobiles, totam suam nobilitatem ad deseruiendum Reipublicæ tempore pacis, ad defendendum tempore belli ordinabant. Vos autem tanquam viperæ, more viperarum abominandis moribus, oppressionibus subditorum, libertatibus, dissolutionibus, Rempublicam Matrem vestram eneruatis, & enecatis: illi candidi nobilitate, vos degeneres vitijs, Æthiopes estis, & contumelijs Matrem vestram afficitis. An ignoratis? quod de talibus dicitur. *In suis munitionibus reliquerunt contumeliam.*

95. Nobilis sanguine, & ignobilis moribus, est vas pretiosum, carbonibus denigratum. *Luca 3. 7.* *Prou. 12. 11.*

96. Munitio totius Christianitatis est Regnum Poloniæ, paries, & murus fortissimus, nobilitati ad custodiendum traditus. Adsunt ad custodiendos muros eius Angeli, qui custodiunt eos: deinde leones, gryphi, strutiones, boues laboriosi, vrsi, & alij potentes antecessores vestri, qui in custodiendis muris Christianitatis, ob frugalitatem, aliasque virtutes, reliquerunt hoc Regnum gloriosum famâ, & honore. Videant ergo, ne successores eorum, quod Deus auertat, demorantes in suauitate vini, aliorumque vitiorum, relinquant contumeliam. Videant, ne domus eorum antiquæ dissipentur, pomposè, & prodigaliter viuendo: sicut olim accidit Reipublicæ Iudæorum, cuius contumaciam sanguineis lachrymis defleet Hieremias. *Quomodo* (inquit) *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo facti sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Infelix Respublica, quondam felicissima, in qua obscuratum est aurum, quæ splendebat reputatione, & existimatione apud extraneos, qualiter deuenit in contemptum, & vilipensionem, ita, vt sit in opprobrium populis, & nationibus, quæ antè fuit fortis, potens, diues, omnibus in terrorem, & pauorem. Infelix, inquam, illa Respublica, in qua *dispersi sunt lapides sanctuarij*. Religio, & virtutes, quibus sustentabatur sanctuarium, puritas conscientiæ confortans sanctuarium, vitio intemperantiæ dissipatur per illos, qui demorantur in suauitate vini.

Munitio totius Christianitatis est Regnum Poloniæ.

Tren. 4. n. 1.

Tren. 4. n. 2.

97. Intemperantia triumphat de castris fortissimis, quod est contumelia maxima. Hannibal Dux Carthaginensium, contra Africanos illam vrbem infestantes, cùm intellexisset illos esse viros vini auidissimos, reliquit in castris multa dolia vini, quibus miscuit succum Mandragoræ, quæ sicut Aristoteles docet, *inebriat mirabiliter, & facit homines dormire vehementer:* Cùm ergo hausto vino in magna copia dormirent Africani, venit Hannibal, & inebriatos, ac dormientes trucidauit. Si etiam nomine munitionis intelligatur domus, & familia, sine dubio ille, qui iucundus in vinorum compotatione, absumpto patrimonio, quid posteris reliquisset, nisi contumeliam, & infamiam?

Magna infelicitas Regni, vbi de nobilitate triumphant vitia.

Intemperantia triumphat de familijs antiquis nobilissimis, dum omnia bona sua, siue laboribus acquisita, siue à parentibus accepta, vt sunt diuitiæ, & maioratus, vel omninò dissipant, & vendunt, vel saltem oppignorant compotatione vini; & ad extremam paupertatem deueniunt, propter escam, & potum: & quia Deus eorum venter est, & auertat Deus, ne in rapinas descendant, fraudes, & latrocinia, quibus nobilitatem suam totaliter obfuscarent, exerceant; & non solùm egestatem sed & infirmitatem, ac mortem sibi inducant. Abominabilia omnia vitia, præcipuè

tamen

tamen intemperantia, vt egregiè D. Ambrosius: *Inuitas me* (inquit) *ad prandium, efferre me vis ad sepulchrum, cibos promittis, tormenta irrogas, vina prætendis, venena effundis; omne enim, quod nocet, venenum est.*

Quantum veró ex hac nobilium corruptione morum, damnum patiatur Respublica, & Ecclesia sancta, quis non videt? Sic enim & bonis temporalibus, & filijs generis claritate excellentibus priuatur, quorum virtute, non secus, ac propugnaculis tuenda erat, vnde funestissima euenit ruina. Nec solùm Reipublicæ, & Ecclesiæ sanctæ, sed & propriæ illorum salutis: Nam arx animæ, quam diabolus de die, & nocte oppugnat, est sicut nauis amisso clauo, & gubernatore. Nauis sopito gubernatore facilè capitur, inebriatum vino facilè dæmon trahit ad voluptates, iram, furorem, innumeraque mala: vnde non modica in animabus, & conscientijs relinquitur contumelia, atque corruptio. Auertat Deus, quòd in hanc corruptionem morum, descendat nobilitas Polona, sine dubio iam nulla esset vtilitas in nobilitate sanguinis: nouitate tamen sunt infelices, requirit enim vetustas sanguinis innouationem, non corruptionem morum.

98. His nobilitatis excessibus bonus Princeps obuiare poterit, pœnis, & præmijs: fræno pœnarum generosiores animi facilè ad gradum nobilitatis reuocantur, ab ebrietate, prodigalitate, temulentia, lasciuia. Hæ, & aliæ leniores, aliæ acerbiores. Leniores quidem sunt, quæ ignominiosæ tantùm erunt, vt stipendijs, vel prorogari, vel omninò priuari, arma deponere, locum in tentorijs mutare, in itinere cum impedimentis fossam fodere, pecuniâ mulctari, à castris segregari, &c. Acerbiores autem, quas præter ignominiam, & corporis detrimentum sequitur.

Bonus Princeps excessibus nobilitatis obuiare tenetur.

Præmijs, & beneficijs quoque auertere nobilitatem à vitijs, est gloriosum Principi. Inter præmia verò est, vt ratio nobilitatis in Magistratibus eligendis habeatur, etsi enim ex omni plebe sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, sint eligendi, nobilissimus enim qui optimus, vel in cuius animo plùs virtutis est, attendendum magis ad aptitudinem, quàm ad nobilitatem. Nobilium tamen stirpis præcipua ratio habenda est.

Præterea inter præmia, ac beneficia collocandum est, vt Princeps prospiciat nobilitati vetustiori, & indubitatæ, si ad inopiam deuenerit, & familias nobiliũ studeat conseruare, atque manu tenere, restaurare, & subleuare, siue collatione fortunarum, siue officiorum. Sic enim subleuati beneficiorum memores, & Regi, & Reipublicæ erunt splendore; non tyrannorum more, qui postquam aliquod Regnum occupauerint, nobiliores familias humiliant, more imperij Turcarum. Sufficientia, & satis efficacia

cacia sunt monita Prophetæ, in suprà dictis verbis contenta, nimirum; *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* ad humiliandum nobiles, ne nimiùm de sua nobilitate præsumant, cùm in morte eorum nobilitas euanescat.

Psal. 28. n. 10.

99.

Nobilitas vera non euanescit in morte, & corruptione, sed elucescit.

Cæterùm, possent Regi Dauid respondere, quòd non euanescit, sed resplendet nobilitas in corruptione, quia Christiani nobiles, veram nominis nobilitatem, & sanctificationem, nonnisi in morte, & sepulchro manifestant: ita, vt de illis dici possit id, quod olim in morte Imperatorum decantabatur. Sanctificet te vrna.

Prou. 31. n. 23.

Christus Dominus cùm nobilissimus esset, *Generationem eius quis enarrabit?* in vita humilis apparuit, de eo tamen dicitur in Prouerbijs. *Nobilis in portis vir eius*, scilicet, Ecclesiæ Christus, cuius nobilitas in aduentu in mundum, & in introitu, atque ingressu Regni cælorum, sublimis apparuit. Vita præsentis vitæ, pauperem, sed ingressus futuræ, nobilem, sublimem Christum Deum esse ostendit, vt ait D. Gregorius: *Humani* (inquit) *generis Redemptor, in portis se nobilem ostendit, hoc est, à vitæ exitu, & ingressu Regni: despectus priùs in contumelijs extitit, sed in ingressu Regni sublimis apparebit: similiter, ab exitu huius vitæ, & in ingressu futuræ, vera claret nobilitas hominis, & gloria.*

Gregor. lib. 6. Moral. cap. 5.

Arabica Eccles. 3. 9.

Quid habet ampliùs homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole? Arabica legit: Quæ præstantia homini in omni labore suo, quo laborat sub sole? quasi vellet dicere; nulla præstantia, vel exigua, quousque durat sub sole; postquam autem supra solem ascenderit, separatâ animâ à corpore, tunc elucescet præstantia nobilitatis eius: illius, inquam, nobilitatis, de qua Sanctus Ambrosius: *Probati enim viri genus virtutis, prosapia est, quia sicut hominum genus homines*: ita animarum genus virtutes sunt. Et familiæ hominum, splendore generis nobilitantur; anima autem clarificatur gratiâ, splendore virtutis: laus, & gloria in præsenti vita, *tanquam puluis proijcitur vento à facie terræ*; at verò præstantia, & excellentia prædictæ nobilitatis in morte exaltatur. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Ita, vt iurè dici possit: Laudet te vrna.

Psalm. 9. 15.

CAPVT VII.

Splendor ciuium Reipublicæ opulentorum, qui justè aggregatas diuitias in rem Reipublicæ expendunt, quòd sint persimiles arterijs, neruis, & venis in corpore humano.

Non

NON postremo loco donauimus inter splendores diuites illos, quorum proprium eſt dare, non adorare opes, nimirum eos, quos Ariſtoteles vult eſſe ciues Reipublicæ. *Ex diuerſis Rerumpublicarum formis* (inquit Ariſtoteles) *facilè intelligitur. Diuiteſné, an nobiles potiùs in Republica prærogatiuis gaudere debeant? nam alibi nobilitas honores obtinet, alibi virtus, alibi multitudo, alibi diuitiæ in rem Reipublicæ expenſæ. Hoc tamen certum eſt, ciues Reipublicæ, nobiles, & diuites eſſe debere; nam ciues* (inquit) *libertate, & cenſu ciues ſunt: libertas excludit ſeruos, cenſus pauperes.* Hæc igitur ſunt, quæ requiruntur ad eſſe ſimpliciter Reipublicæ. At verò ad bene eſſe, neceſſaria eſt iuſtitia, & virtus militaris, quia ſine his non poteſt Reſpublica bene eſſe. Quare nobilitate, & diuitijs, merentur hoc nomen, quòd ſint ciues: *Verùmtamen* (inquit Ariſtoteles) *ſolâ nobilitate, aut ſolis diuitijs ad honores niti, abuſus, & aborſus eſt.* Hoc igitur certum eſt, quòd ſine diuitijs Reſpublica conſiſtere non poteſt.

IIO.

Ciues in Republica liberi & diuites eſſe debent, hi enim prædictũ nomen ciuiũ merentur.

Diſputat autem Philoſophus, quinam potiori iure Magiſtratus, & honores quærere poſſint? an iure nobilitatis freti, an verò iure diuitiarum, vel bonitatis, & virtutis, aut pluralitatis? Et reſpondet, quòd in optima Republica, nec hi, nec illi ſeorſum: quippe prædicta omnia, ad conſtituendam Rempublicam neceſſaria ſunt, licet aliqua eorum ad eſſe ſimpliciter, alia ad bene eſſe, & ita non vt ſingulis, ſed vt vniuerſis, non vt membra, ſed vt corpus conſiderantur. Ex quo concluditur diuitias eſſe neceſſarias Reipublicæ, & ſimiliter diuites. Loquimur autem de illis diuitibus, & diuitijs, de quibus Eccleſiaſtes. *Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs*: ſicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. *Eccl. 7. 12.*

An autem Principes debeant eſſe diuites, maior difficultas eſt. Et alij etiam Principem debere eſſe diuitem volunt, alij non. Et illi quidem, quòd imperanti potentia neceſſaria ſit, quæ ſine diuitijs eſſe non poteſt. Authoritas quoque, Maieſtas, ornatus Regius, corporis cuſtodia, ſunt Principi neceſſaria, quæ diuitias multas requirunt. Alij Principem non debere eſſe diuitem aſſerunt, vt ſuprà. Principem (inquiunt) decet, nullam rem grauiùs ferre, quàm ſi diues dicatur; nullâ item magis lætari, quàm ſi pauper appellatur. Principis enim boni gloria non in pecunijs, quas in theſauro reponit, ſed in magnis, quæ præſtat, beneficijs ſita eſt.

Cæterùm, illud certum eſt, quòd diuitiæ non debent eſſe finis imperantis, eò quòd finis, vt ſuprà vox indicat, ſit terminus, vltra quem iri non poteſt. Finis igitur eſt bonum, & non qualecunque, ſed vltimum, ita, quòd finis & bonum optimum, idem ſint. Cæterùm, terminis, naturam ſuis finibus omnia clauſiſſe, vt ait Seneca. Segetem nimia ſternit vbertas, rami onere franguntur, ad maturitatem non peruenit nimia fæcunditas: idem animis quoq; euenit immoderata felicitas, atque cupiditas. Itaq;

IOI.

Diuitiæ non debent eſſe finis imperãtis.

Senec. Ep. 39.

& in diuitijs acquirendis finis esse debet, quia finis, & bonum optimum, idem sunt. Diuitiæ autem non sunt quid optimum, quia corporis tantùm, peioris hominis partis bona sunt: Solùm enim necessariæ sunt ad iniurias arcendas, naturæ debilitatem roborandam, humanam ferociam leniendam, vitam exhilarandã; ideo sola diuitiarum cupiditas illis prohibetur. Quod fusiùs illustrandum est, inquirendo. An diuitiæ sint necessariæ, & cui? deinde qualis earum debeat esse acquisitio, & vsus, vt sit laudabilis, & meritorius, atque splendidus? Sanè aliud est vituperare diuitias, & aliud vituperare cupiditatem: auaritiam, atque vsum prodigum, vituperabilem, & exosum esse volunt. Facilè illis Theologi consentiunt, hæc quippe tinearum instar, quæ optimas quasque vestes corrumpunt, persimilia sunt: indeque prouenit, quod nihil est, quod magis denigret, atque dedecoret familias illustres, & viros nobiles, quàm immoderata cupiditas. Quòd si absolutè diuitias reprehendant, longè sunt à sententia eorum illi, qui diuitias volunt esse necessarias, & neruos Reipublicæ, vt inquit Sanctus Chrysostomus, in simili de oratione loquens. Si quis dicat animæ neruos esse deprecationem, mea quidem sententiâ videbitur verum dicere.

S. Chrysostom. tom. 5 lib. 2. de orat.

102. Hoc item licet dicere de diuitijs, quoniam corpus humanum neruis fortificatur, vt rectè viuat, currat, operetur; & illis debilitatis languescit, & prorsus inane, & extabescens, ac infirmum redditur; sic Respublica sine diuitijs.

Diuitiæ sunt neruus Reipublicæ, ideo non sunt reprehẽdendæ, sed modus, & animus in abundantia diuitiarum.

Modus igitur, & animus in abundantia diuitiarum spectandus est, non vituperandæ diuitiæ, quæ rectè symbolicâ assimilatione ad corpus humanum possunt comparari, ad neruos, arterias, & venas, secundùm quod diuersæ sunt diuitiæ: Spirituales, temporales, & mixtæ.

Porro in corpore humano prædicta, scilicet nerui, arteriæ, & venæ, partim differunt inter se, partim conueniunt, vt habet Aristoteles: tum quia arteria solum spiritum suscipit, neruus non: tum etiam quia neruus tendi potest, arteria non item; differt ergo neruus ab arteria. Similiter vena differt à neruo, ob eandem causam, quia neruus potest extendi, vena non, sed statim rũpitur; præterea vena habet meatus, neruus non itẽ. Conueniunt autem, quia ab eodem riuo fontali, scilicet, à corde procedunt, licet non eodem modo; nam venæ continuò ab eo extenduntur, nerui autem ossa ligant, & faciunt corpus robustum, & firmum.

Aristotel. lib. de supr.

His comparari possunt diuitiæ. Et spirituales quidem diuitiæ assimilantur arterijs, quæ spiritus vitales continent, vitam toti homini à corde subministrando, quippe cor humanum spiritu viuit, qui continetur in ventriculo sinistro cordis, & eundem spiritum per arterias influit in hominem,

minem, vt viuat. Vir probus Spiritu Christi viuit, qui quidem veras diuitias, & vitam spiritualem influit in Christianos deuotos, sanctitatem, & virtutes, quæ sunt veræ diuitiæ, vt monet Sanctus Paulus. *Si verè fratres diuites esse cupitis, veras diuitias amate*, scilicet, diuitias Christi, de cælo allatas; diuitias spirituales, qui tantum spiritus, & tantum virium tribuit vnicuique, quantum opus est ad salutem; validiori tamen, & maiori spiritu fouet, quos ad fastigium regendi populi assumit, quod de Daniele legimus; *qui superabat omnes Principes, & satrapas, quòd Spiritus Dei amplior erat in illo.* Itaque si multiplicata fuerint alicui regendi onera, multiplicari & in anima spiritum, & virtutem à Christo, certum est; immò, & in necessitatibus nouum spiritum addi. Declarauit hoc, quasi quadam praxi Elizeus, vbi in regiminis munus assumendus, optione sibi propositâ postulandi quidquid vellet. *Obsecro*, ait, *vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Nempe duplex onus subiturus, duplici sibi spiritu opus esse noscebat. Dauid quoque peccati pœnitens, spiritum rectum, & diuitias spirituales sibi postulabat. *Et spiritum* (inquit) *innoua in visceribus meis*; eoque spiritu ditatus, lætus canebat; *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, siue nomine terræ rectè intelligatur domicilium Beatorum, siue Respublica, aut Regnum bene ordinatum.

Dan. 6. 3.

4. Reg. 9.

Psal. 50. n. 11.

103.

Spirituales diuitiæ comparantur arteriis, naturales venis, artificiales neruis.

Diuitiæ naturales comparantur venis, nam quemadmodum per venas sanguis ex alimētis cōmunicatur corpori ab hepate, quibus corpus conseruatur, & membra nutriuntur: ita & diuitiæ naturales necessariæ sunt ad nutriendum corpus, & vt plurimùm instrumenta ad virtutem. Non est tamen plùs ex illis affectandum, quàm quod satis est ad effugiendas paupertatis, & infirmitatis miserias, nimietas enim diuitiarum potiùs nocet, quàm prodest. Ideo & Rex Salomon à Deo postulabat, *paupertatem, & diuitias ne dederis mihi*: & quod Rex à Deo desiderat, id à Rege populus cupiat. Æquum est, ne scilicet diuitias nimias, nec paupertatem nimiam desideret: quando ex vtroque par pietatis periculum imminet, modum, & temperamentum vtriusque à natura, & arte discere licet. A natura, nam nec illa plùs de sanguine requirit, quàm vt viuidum sit corpus, nimietas enim afficit, nec ampliorem alicui ventrem dat, quàm quod congruum cibum capiat. Ab arte item, nam neque artifex plura sibi instrumenta comparat, quàm quæ suum ad artificium peragendum sufficiunt, nec plures materias cumulat, quàm quæ ad officium complendum spectant.

Tandem diuitiæ artificiales, & mixtæ comparantur neruis, quarum necessarius Reipublicæ vsus vel ex eo intelligitur, quòd sicut nerui sunt ligamina ossium, sic diuitiæ artificiales sunt ligamina ciuium, Regnorum, securitatis, quietis, & pacis causa, atque ab hostibus defensio: hinc communiter dicitur, pecuniam esse neruum belli, sine qua, nec communicatio inter populos, nec defensio ab hostibus fieri potest. Nec-

Nec solùm Reipublicæ, sed & Principibus necessariæ sunt diuitiæ artificiales ad erogandum,& largiendum, vtrumque enim magnum commodum Principibus affert, erogatio, scilicet, & largitio: illa ad proprium, hæc ad alienum commodum spectat; ad vtrumque tamen Principes attendere debent,ad erogationē, ne miser, & sordidus habeatur;ad largitionem, ne de auaritia arguatur, atque in populare odium non incidat: acerbius enim diuitem populus arguere solet, quòd nihil per benignitatem largiatur,quippe nullum benignitatis signum per libertatem præstet, ita tamen, vt non maior sit benignitas in largiendo, quàm facultas in expendendo; ita quippe largiendum est, vt diu liceát largiri: itaque non sunt vituperandæ diuitiæ, & opes amplæ, etiam artificiales,

104. Quæ autem diuitiæ, num naturales,vel artificiales magis conferant ad conseruandam Rempublicam, & sint magis necessariæ? quæstio est, cuius resolutio, ex eo constat, quòd diuitiæ naturales sint à natura: artificiales verò à lucro; oportet enim, inquit Philosophus, naturam præbere, aut à terra, aut à mari, aut alio quopiam necessaria ad conseruandam vitam. Verùm vsus prædictarum diuitiarum potest esse, quandoque secundùm naturam, quandoque verò præter naturam, per peritiam, & artem: ille laudabilis, hic cupiditate nimiâ obscurari potest in commutatione; sicut exemplificat Aristoteles de calceo: nam finis proprius est calcei, calceatio, vsus verò improprius est venditio; & licet vterque vsus calcei competat calceo, differenter tamen,quia ille propriè,hic ex lucro, atque ita per se à natura est, per accidens â peritia, & arte.

Quæ diuitiæ magis deseruiunt ad conseruandam Rempublicam, nū naturales, nū artificiales?

Aristot. lib 1. *Polit.c.*5.*&* 6.

Superant præterea diuitiæ naturales, diuitias artificiales, quia defectus, & abundantia diuitiarum, quæ sunt à natura, sustentant homines, artificiales non item,quod de Mida fabulosè traditur;vnde absurdum est, inquit Philosophus, tales esse diuitias, affirmare, quarum manente abundantiâ, fame quis perire potest.

Cæterùm, vtræquæ diuitiæ tam Reipublicæ, quàm Principibus, ac populo necessariæ sunt, & laude dignæ; non fine causa quippe dixit Spiritus Sanctus: *Corona sapientum diuitiæ eorum,fatuitas stultorum imprudentia.* Splendor, & ornamenrum diuitum est sapientia, *quoniam esse ornatum sapientiâ, regium est*, inquit Aristoteles. *Videre pauperem sapientem suaue; suauius, iucundiusquè videre diuitem sapientem, sed & diuitiæ sunt ornamentum sapientum, quoniam fieri non potest, vt res faciat præclaras, vel non facilè fit, cui facultates desunt*, inquit Aristoteles. Atq; hinc consurgit dubitatio, cùm diuitiæ sint ornamentum sapientum, qualiter verùm erit,quod dicitur in Scriptura. *Facilius est per foramen acus camelum transire*, quam diuitem intrare in Regnum cælorum? Théophilactus per camelum intelligit funem nauticum; sicut enim iste funis integer, per fora-

*Prou.*14. *n.*24. *Arist.* 1.*Ethic. cap.* 8.

foramen acus ingredi non potest, diuisus in singula fila, facilè ingreditur; sic diuitijs potens, nisi pauperi subueniat necessitatem habenti, cælum nequaquam ingredi poterit. Caietanus verò asserit Hierosolymis fuisse portam ita angustam, quæ foramen acus appellabatur, per hanc portam camelus onustus, & collum erectum gestans, nullatenùs ingredi poterat, nisi demisso prius capite, & sarcinâ depositâ. Sic diues, nisi prius caput inclinet per humilitatem, & sarcinam deponat, nunquam in Ciuitatem sanctam ingredietur.

Cæterùm, non incongruè dici potest, quod reuerà possibile est, per omnipotentiam Dei camelum transire per foramen acus, & hoc sola voluntas, ac potentia Diuina facere potest; quòd verò diues ingrediatur in Regnum Dei, necessaria est & voluntas Dei, & voluntaria ipsius diuitis coöperatio, & hoc difficilius, non tamen impossibile. Potest enim
Deus tam efficacia auxilia subministrare diuiti, vt saluetur; & licet etiam 105.
pauper saluari non possit, sine Dei auxilio, difficilius tamen est, & pluribus auxilijs opus, diuitem saluari. Facilius enim v. g. proijcitur sursum lapillus leuior, quàm lapis grauior; facilius item lapis grauior descendit deorsum, & cum difficultate proijcitur sursum: ita faciliùs est pauperem ingredi in cælum, quàm diuitem, non propter diuitias, sed propter nimiam solicitudinem, in acquirendis diuitijs, & malum diuitiarum vsum. *Possessio diuitiarum non est mala, sed vsus, & acquisitio.*

Diuitem, inquit Aristoteles, *in vtendo magis, quàm in possidendo consistere*: & rationem reddit; vtentis enim operatio est, possessio verò ipse: possessio autem diuitiarum non est mala, sed acquisitio, & vsus possunt esse impedimento in cælum, si non rectè fiant. *Arist. lib. 1. Metheororum.*

Acquisitio quidem, quia communiter cupidissimè quæruntur, maximè diuitiæ artificiales, vt habet Aristoteles: *Diuitiæ* (inquit) *artificiales id malè habent, quod omnis hominum cura, circa acquirendum est, & augendi causâ*: hinc in ordine ad ipsam, omnia dirigunt auari, cùm tamen, vt inquit idem, fortitudinis non sit pecuniam parare, sed fiduciam animi, neque rei militaris, aut medicinæ, sed illius quidem victoriam, huius verò sanitatem: Atqui auari cuncta ad pecuniam dirigunt, ac si illa esset finis, ad finem verò oportet cuncta tendere, & quod peius est, pecuniæ excessum in infinitum sequuntur auari, cùm tamen diuitiæ, & numismata finem habeant, sed cupiditas eorum, & procuratio, atque acquisitio videtur in infinitum crescere. Item: *Nummus primus, & vltimus est in commutatione*, inquit Aristoteles, *finem ergo habet, sed cupiditas possessionis magno nocumento est*; *si enim omne vtile*, vt inquit idem, *in excessu nocet, vel certè nihil prodest habenti, quantò magis excessus in desiderio pecuniarum, & acquisitione illarum?* Vnde, & vita illorum, inquit, qui pecunijs acquirendis incumbunt, violenta *Idem lib. 1. Polit. cap. 6. in fine.* *Arist. lib. 7. Polit. cap. 1.* *Idem 1. Ethic. cap. 5.*

quædam est vita, ipsæque diuitiæ non sunt id, quod quærit bonum, vtiles enim sunt, & ob alia quæri solent.

106. Ex quo colligere licet, quòd cùm violentam vitam agant gentiles, qui solis pecunijs acquirendis incumbunt, quid dicemus de Christianis? certè nec nomine Christianorum digni sunt, qui nec Christum imitantur dicentem: *Regnum meum non est de hoc mundo*; potius sunt dicendi Caimistæ, qui dicunt sibi sufficere bona terrena, minusque curare Regna cælestia, sed inhiare in aggreganda moneta, quæ non currit in cælo, vt sola numismata Regiam Christi imaginem præferentia vtilia sunt, æterna, & perpetua: terrestres verò thesauri facilè dilabuntur, & distrahuntur: quod vel exemplo thesauri Moschouitici comprobari potest ex Piasecio, qui refert, thesaurum Moschouiticum Ducalem adeò expilatum, vt & Coronas Ducum acceperint, ex auro solido, gemmis, & lapidibus pretiosis ornatas; Sceptrum è cornu vnicornis integro, in summitatibus auro, & gemmis incluso. Cornua bina vnicornis integra, tertium dimidiatum. Sellam pro equo Ducis, auro & gemmis variegatam, duos pileos auro & lapidibus pretiosis contextos, quibus Duces Moschouiæ coronari solebant. Sceptrum & Pomum, aureum vtrumque, lapidibus rarissimi pretij insigne, & alia innumerabilia gemmarum, auri, & argenti vasa, & nummorum pondera. Quare moderata acquisitio diuitiarum tam naturalium, quàm artificialium, Christianos decet.

Ioan. 18. n. 36.

Christiani qui finem vltimũ collocant in diuitijs, non sunt digni nomine Christiano.

Piasecius in Chronica Gestorum Europæ super Annum 1611. fol. 327. & fol. 325. fusius.

107. Iam verò vsus quoque diuitiarum potest esse laudabilis, & vituperabilis. Si diuitiæ ordinentur in conseruationem Reipublicæ, pace, & bello: si diuitiæ pietatem foueant, si amicos comparent, si egenis subueniant, est hic optimus diuitiarum vsus, antiquo nomine, & appellatione diuitum gaudent, tales enim olim dicebantur Benefici, nomine ab actionibus liberalibus desumpto, quòd bene, ac liberaliter, bonumque dent. Sed nunc mutatis moribus, commutata sunt & nomina, vocantur enim Domini, quòd potiùs dent minus, quàm opus est, & quò plùs diuitijs abundant, eò minùs in subsidium Reipublicæ, & priuatorum egenorum conferant; & vtinam dicantur Domini, non propterea, quòd dant minùs, & quòd dant minas, sed quòd denegant minas auri, aut argenti, aliarumque diuitiarum in conseruationem Reipublicæ, ita vt thesauri eorum sint minæ aureæ, ad sumptus bellicos, contra hostes Reipublicæ. Sanè bellicus commëatus, & apparatus sine diuitijs, nullâ ratione haberi potest, nomine enim apparatus, res omnes ad omnem belli vsum intelliguntur, præcipuè tamen duo nomine apparatus exprimuntur, commëatus & arma. Commëatus est annonæ copia, sine qua, non dico vincere, sed ne viuere quidem est; deinde rerum copia & expensæ sunt necessa-

Acquisitio diuitiarum & vsus, potest esse laudabilis, & vituperabilis.

necessariæ. Sæpiùs enim penuria, quàm pugna consumit exercitum, & *Vegetius lib. 3.*
fames ferro seuerior. Ne igitur Princeps sine ferro vincatur, rerum co- *cap. 3. & 26.*
piam adesse necesse est, & diuitias ingentes.

Præterea disciplinam ieiunus miles seruare non potest, dum quod deest semper, præsumit armatus adeò, vt si non habeat quod edat, cogatur cogitare non quod vincat, sed quod auferat; mendicitas enim armatum militem, ad omnem desperationem vocat. Decet ergo militem esse vestitum, armatum, calcëatum, saturum, & qui aliquid in zonula habeat, quod sine diuitijs obtineri non potest, sicut nec arma, tum ad inuadendum, tum ad protegendum, tela, scilicet, tormenta, sclopetarum machinæ, puluis exustorius, globi, &c. quibus optimum armentarium, instrui ad omne opus assolet. Hæc sine copia æris impossibile est habere.

Consistit itaque verus diuitiarum vsus, vt eæ disponantur ex amore in Rempublicam; hinc enim est rectus diuitiarum vsus, expendere diuitias pro conseruatione Reipublicæ, pro defensione fidei, & honoris Diuini augmento, pro tuenda ab hostibus sancta Romana Ecclesia. Consistit quoque rectus diuitiarum vsus, vt expendantur pro necessitatibus egenorum; hâc enim ratione reponuntur diuitiæ in manus Dei, & post mortem inueniuntur: è contrario verò de his, qui malè vtuntur diuitijs, scriptum est: *Dormierunt somnum suum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis*, quia nihil posuerunt in manibus Christi, dum viuerent. Potentissimæ sunt manus Dei, nullibi meliùs conseruari possunt, non solùm diuitiæ, sed & propria vita. Non quòd Deus habeat manus materiales, vt hallucinatus est Tertullianus, dicens: *Deum participare corpoream naturam*, *quia id solùm* verum est de Deo homine, pro quanto assumpsit corpus, ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis.

108.

In quo consistit diuitiarum vsus?

Cæterùm manus Dei sunt attributa. His manibus crëauit mundum: *Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista*, inquit Isaias. Habet Deus *Isaia 66. n. 2.*
manus sapientiæ & prouidentiæ, quibus gubernat mundum suauiter, & fortiter, vt fatetur Dauid: *In manu eius sunt omnes fines terræ.* Habet Deus *Psal. 94. n. 4.*
manum rigorosam, quâ castigat malos, estque iustitia, de qua Diuus Paulus, Heb. 10. 3. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Habet manus præmiantes iustos in cælo, & castigantes peccatores in inferno: illos vltra condignum, hoc citra condignum. Habet manus misericordiæ: *Fiat manus tua, vt saluet me.* Et manus prædictæ, in quibus sortes nostræ, sunt fortissimæ: securè poteris deponere non solùm diuitias, sed & animam tuam; repones autem, si egenis & necessitatibus Reipublicæ, diuitijs tam naturalibus, quàm artificialibus subueneris, per egenos, & necessitates Reipublicæ, quibus subuenis, reponis in manus Dei diuitias. Non ideo

109.

Quales Deus habeat manus, in quibus sunt sortes nostræ?

tamen quis euasurum se putet, non quia bonus, sed quia diues, quasi verò Deus non vitam quærat hominis, sed pecuniarum, & accipere solos pro criminibus nummos velit, & corruptorum iudicum more, argentum exigat, vt peccata vendat. Videat vir Politicus, & probus Christianus, ne propter diuitias cælum contemnat, ne sit discipulus Caim, qui flocci-pendebat cælum, eò quòd in pœnâ fratricidij, Deus diminuerit ei de diuitijs terrenis, cùm maledixit terræ in opere eius, ideoque iratus contra
Gen. 4. v. 14. Deum, dixit: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ*, à fructibus, quos ex terra habere potui, qui maledictione tuâ sublati sunt; ergo & à facie terræ abscondar. Vbi Oleäster: Si terram tollis, tolle tibi etiam cælum, si terrena non concedis, nihil curo cælestia, nec visionem faciei tuæ, in qua consistit bëatitudo, curo.

Videant item qualiter diuitias expendant. Diuites multis delectantur famulis, & aulâ numerosâ, inter quos alij sunt famuli vitiorum, alij honestatis; in potestate diuitum est, diuitias collocare in classe eorum, qui vitijs dediti sunt. Liberum est diuitibus vti diuitijs ad institutionem vitæ vitiosæ, licitum quoque prodigaliter viuendo, in luxus bona hæreditaria dissipando, siue naturalia, siue industria, ita vt de illo dici possit: *Diues aut iniquus, aut iniqui hæres*. Licitum quoque est diuitibus, vti diuitijs ad iuuamen naturæ, & ad impediendum salutem eius.

Diuitiæ sunt veluti talares vestes, quæ impediunt corpus: sic diuitiæ impediunt animam, nobiliorem hominis partem. Licitum est diuiti vti diuitijs, ad exhilarandam vitam, ad humanam ferociam leniendam, ad iniurias arcendas, & naturæ debilitatem roborandam: licitum quoque est ad miseram vitam, atque incommodam, dirigere. Opulenti molestijs consumuntur, nec patientia in molestijs eos iuuat, qui celeriter volunt esse diuites, quia ille solus est patiens, qui pro virtutibus aduersis adhæret, multis diuitiæ mortem attulêre.

110. *Diuitiæ & virtutis & vitiorum ministræ esse possunt. Cæterùm diuitias amare parui est animi.*

Quare malus, & bonus diuitiarum datur vsus, siquidem & vitiorum ministræ, & virtutum esse possunt: vitiorum, quòd bonæ mentis sint onus, aggrauant enim generosæ mentis acumen, quòd superbiæ semen, quòd fastum pariant, incautos illaquëent. Quòd diuitijs intentus, egere se ostendit, & sic à Deo longè est, qui nullius indiget: quòd diuitias amare parui est animi, quòd paruus animus sibi ipsi diffisus ab externis salutem quærere soleat, quòd efficiat tyrannum; nam auro deditus, non publicum bonum, sed priuatum quærit. Quod item deprædatorem populi, nam iniustas diuitias semel amplexus, ad turpe compendium prouocatur, adeò, vt eas, vel cum populi damno conquirat, quòd cura semper anxium efficiat, quòd non nisi malum & sibi, & succes-

fori nomen pariat, si verum est, quod dicitur: Quisquis diues est, aut iniquus est, aut iniqui hæres.

Possunt quoque diuitiæ esse virtutis ministri, si nec pauperem ostendas te, nec maiores semper diuitias cupias, ne nocere assuescas, ne efficiaris tyrannus, ne populi deprædentur, ne inconsultus, & inquietus sis, semper proprijs contentus, alienis non egeas, & sic Deo similis efficiaris.

Vult itaque Deus illum esse rectum diuitiarum vsum, dum dona eius, & beneficia eâ ratione ei reddimus, quâ ratione, & ordine ab ipso ea accipimus. De manu Dei accipimus immediatè animam, voluntatem, intellectum, vitam, sancta desideria: ideoque per nos ipsos immediatè, in manus Christi prædicta reponere debemus. Christus redemit nos à peccato originali, alijsque peccatis; à pœna tamen peccati originalis, quæ est mors, noluit nos eripere, quin potiùs dixit: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: tum vt moriendo iusti sint similes Christo. Iusti, inquam, qui moriuntur, sicut & Christus mortuus est; nam peccatores non resurgēt in iudicio, teste Psalmista: *Non resurgent impij in iudicio*, scilicet, ad vitam æternam, quia *destruet, & non ædificabit eos.* Sunt sicut tuguriola ruinam minantia, quæ destruet Deus, adiudicando illos, post mortem temporalem, morti æternæ: tum etiam vt iusti moriendo per censum ex peccato, qui est mors, si illam patienter tolerant, & vitam in manus Dei offerunt, comparant remissionem peccatorum, pro quibus diu in Purgatorio satisfaciendum erat. Si enim, vt docet Doctor subtilis, omnibus operibus bonis merentur iusti, quantò magis, dum in manus Dei offerunt vitam, quâ nihil est charius, eiusque valor omnibus rebus temporalibus præponitur? Diuus Paulus: *Siue manducatis, siue bibitis, omnia in gloriam Dei facite*: quantò magis, dum mors, & separatio animæ à corpore offertur Deo, cùm nihil charius fuerit amicitiâ eorum. Accipimus quoque à Deo multa beneficia mediatè: victum à solo, & sole, atque Planetis, lanam, setam, amictum, & cætera ad vsum vitæ necessaria; diuitias naturales, & artificiales, & hæ mediatè per manus pauperum reddendæ sunt Deo, vt iterum duplicatæ reuertantur, ad liberales, & prudentes dispensatores diuitiarum, tam naturalium, quàm artificialium, ne (quod absit) morientes audiant illud: *Dormierunt viri diuitiarum somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis*, quia dum vixerunt, nihil posuerunt in manibus Christi.

Rationes propter quas mors sit acceptanda, ideo patienter toleranda, & vita Deo offerenda.

III.

Psal. 1. v. 5.

1. ad Corinth. 10. v. 31.

Psal. 75. v. 6.

112.

Nullum, qui libenter opera pietatis exercuit, malâ morte mortuum, docent plurima extraneorum exempla, quorum etiam manus imputrefactæ remanserunt, corpore in terram redacto. Domesticum adferam, de quo Lubienscius. Gamratus Archiepiscopus Gnesnensis, idemque Episcopus Cracouiensis, cùm laxiorem, & vituperandam vitam ageret,

Lubiens. Episc. de geren. Episc. in monitis num. 73.

vnum habebat, in quo non Gamratum, non lurconem, non ganëonem, ſed Epiſcopum agnoſcere poſſes. Pauperum, & egenorum ſingularem gerebat curam, ſingulis diebus ex eorum numero centum erant, qui Epiſcopali menſâ, & ferculis reficiebantur; nudus, vel malè veſtitus, ſi quis opem implorans obuiam erat, dum iter faceret, duo currus onuſti lineis induſijs, & laneis tunicis; vel ſi hyems eſſet, ex pelle ouina conſutis veſtibus ſequebantur, ſi quis opem implorans obuius erat, viatico etiam donabatur: hic mos, ea conſuetudo Gamrato erat, cùm alioquin ipſe in tantis opibus, vt prodigi ſolent, egeret, ac ſemper, ferè in dies, viuens alieno ære grauatus, vſuras dependeret. Iam ſenior, iam morti proximus, nihil ex illicita victûs, & prodigalitatis ratione remittebat, &, vt opinari licet, præteritorum facinorum recordatio præcipitem eum, non ad ſpem miſericordiæ, ſed ad ſalutis deſperationem agebat. Sed veriſſimum eſſe, quod Spiritus Sanctus, per os Dauid Regis locutus eſt: *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, Gamratus quoque expertus eſt; nam cùm annis feſſus, &, vt dixi, morti eſſet proximus, neque tamen de ſupremo vitæ exitu admodum eſſet ſolicitus, accidit, vt pridie feſti cuiuſdam, ad Veſpertinas preces audiendas, ad Eccleſiam iturus, accingeretur, paratuſque in cubiculo aliquantiſper ſolus ſubſiſteret, ecce nota illi viri cuiuſdam nobilis Curoſſij, iam diu fato functi, perſona apparet, familiariter ſecum, mutuorum conſcij facinorum, diu vixerunt; exhorruit tamen, ad viuam rediuiui hominis ſpeciem Epiſcopus: cumque ille, vt metu poſito, ſecum ageret, hortaretur, paululum reſumpto ſpiritu Gamratus, etiamné tu viuis? &, in quo tandem loco es, mortali perfunctus vitâ? reſpondet ille: Viuo, longèque feliciori, quàm vos, fruor aurâ. Tunc Gamratus: Tuné, quem flagitijs grauatum, & turpibus libidinibus, me, prô dolor, conſcio! fætentem è vita exceſſiſſe conſtat, inter eos es, qui felices ſunt? vix credo. Credes, inquit ille, mox, pauliſper modò ſuſtine. Iuuenis admodum cùm in Germania eſſem, incidi in quendam, qui ſacrilego ore Sanctiſſimam Dei Matrem Virginem inceſtabat, ego flagitij impatiens, colaphum homini impingo, nec mora ille, vt erat armatus, manu ad capulum admotâ, duellum mihi denuntiat: ego non ſegniùs ſtringo enſem, congredimur, nec diuturnum fuit certamen, nullo accepto vulnere, ſacrilegum conficio. Et tunc quidem, ne homicidij, & duelli crimine ſuccumberem, fugâ mihi conſului. Deinceps, vix ea res mihi in mentem venit, ſed cùm ſuprema adeſſet hora, animaque è corpore exitura, inſultantibus infernalibus hoſtibus, conflictaretur, & ego exitij certus, nullam reliquam ſpem haberem; ecce mox noua affulſit lux; Regina cæli Angelicis choris ſtipata

Eleemoſynæ in die mala liberant hominem exemplo Gamrati.

Pſal. 40. n. 1.

præſtò

præstò aderat, diffugiunt infernales belluæ, nescio quid horrendum frementes, frendentesque; at illa vultu benigno flexit in me misericordiæ 113.
oculos. Milesné, inquit, meus, defensor honoris mei peribit? Absit. Tum versa ad Filium: En vterus, in quo conceptus es, en vbera quæ suxisti, hunc ego militem, quibus olim te stringebam brachijs, complexum tantisper tenebo; tu sanguinem, quem ex meis traxisti visceribus, stilla, ego efficiam, vt ex eius oculis vberes fluant lachrymæ, abluendis sceleribus sufficientes. Dixerat, & ego ex detestatione anteactæ vitæ, intimo concepto dolore singultibus concutior, lachrymas fundo, Patrem optimum me offendisse agnosco, & annuente Sanctissimâ Patronâ meâ, ingenti illius amore exardesco, affectu non voce, nam morbi vis vsum linguæ interceperat, atque ita supremis meis, castissimâ Virgine assistente, expiro. Anima è corpore egressa, Angelorum ministerio fertur in cælum; illic non meritis meis, nam ea, vel nulla, vel satis exigua erant, sed Diuina misericordia, mihi per Patronam meam conciliata, æternam adeptus felicitatem, verè viuo. Inde ad te nunc missus sum, vt te supremorum tuorum admonerem, dudum iam merueras, vt tot beneficiorum acceptorum ingratus, morte ferali, ad exemplum voluptuarij Vdonis mulctareris; tuæ largitiones in egenos factæ, illæ epulæ quotidianæ mendicis exhibitæ, illæ vestes, quibus nuda Christi membra texisti, ne ex meritis tuis, in te diuina sæuiret iustitia, prohibuerunt. Scito autem te abhinc sexto mense (tantum tibi indulget clemens Pater) moriturum, expende, & despice, quid te interim agere oporteat, nam veniæ adhuc superesse locum, vel meo ductus exemplo, ne diffidas. His dictis ille quidem disparuit, Episcopus in lachrymas resolutus, neque eo die in publicum progressus, diutius solito solus mansit, & nisi serò, quid sibi accidisset, ijs, quibus maximè fidebat, patefecit.

Beatissima Virgo virum damnandum suâ intercessione liberauit.

CAPVT VIII.

Splendor agricolarum, quod sustentent Rempublicam, vt pedes, & crura, corpus humanum.

NON caret pluribus splendoribus agricultura, splendet antiquitate. Cæteræ artes industriâ hominum introductæ sunt, atque 114.
inuentæ. Abel adinuenit artem Pastoralem, Tubal Musicam, Tubalcain ea, quæ ex ferro fiunt; Enoch cæpit inuocare Nomen Domini; Agriculturam verò Deus, & natura. An autem fuerit instituta à Deo, ante peccatum Adæ, vel post, dubitant aliqui? videtur enim, quòd ante pecca-

Splendores Agriculturæ expanduntur, quæ, num ante peccatum instituta fue-

rit, vel post, dubitatur? peccatum; nam dicitur in Genesi: *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.* Ad quid hæc operatio, & custodia? siquidem in statu innocentiæ, terra sine labore proferebat fructus, arbores similiter; nam antequam Adam peccâsset, dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem, &c.* Ideoque post peccatum potiùs agricultura instituta videtur. Cùm verò dixit Deus, *vt operaretur, &c.* per operationem, & custodiam, non intelligitur labor, aut sudor vultus, sed suaue, & iucundum exercitium, absque vlla fatigatione, ne otio torpesceret. Neque tamen inconueniens videtur, quòd etiam ante peccatum fuerit agricultura instituta in solatium, non in laborem. Verùm & illud non minori splendore ornat agriculturam, quòd Pater æternus nuncupari voluit *Agricola.* Vnde & de ipso dixit Christus: *Pater meus Agricola est.* Duo sunt præcipuè, ad quæ attendere debent agricolæ, vt terra fructificet, & arbores plantentur. Vtrumque officium agricolarum assumpsit Deus, nam & de terra purissima formauit hominem, & Verbum æternum, atque naturam Diuinam, vnà cum natura humana, trunco personalitatis Diuinæ inseruit, iuxta illud Apostoli: *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.*

Gen. 2. 15. *Gen. 1. 11.* *Ioan. 15. v. 1.* *Iacob. 1. 21.*

Possibile est, quòd omninò diuersi ramusculi, diuersorum fructuum eidem trunco inserantur, & fructificent; sed nulla maior diuersitas, quàm naturæ Diuinæ, & humanæ, cùm vna sit finita, altera infinita, hoc tamen non obstante, ille cælestis Agricola, seu tota Trinitas Sanctissima, per Incarnationem Verbi operata est.

Plasmauerat hic Agricola hominem, priusquam insereret trunco personalitatis Diuinæ, vtramque naturam, Diuinam, & humanam, ex materia vili, & elemento ignobili, scilicet ex terra, non ex gemmis pretiosis, auro puro, alijsque metallis: non ex materia cælesti, & spirituali, ne

115. in superbiam elatus, nimis de se præsumeret, & tanquam alter Lucifer in ima rueret: Ideo de putredine, vt Patre, natus est homo, *Putredini dixi, Pater meus es, & soror mea, vermibus,* inquit Iob: ne tamen nimium tam vili genealogiâ deprimeretur, & pusillanimitate nimiùm humiliaretur, de matre cælesti eum fieri voluit, *Inspirauit* (inquit Sacra Scriptura) *in eum spiraculum vitæ.* Corpus quidem ex quatuor elementis composuit, ex aqua, quòd insinuent sudores, & humores: ex igne, cuius signum est, calor naturalis: ex aëre, vnde in homine spiratio, & respiratio: tandem caro, ossa, nerui, terram sonant, quod satis prouidè factum est; inter omnia enim elementa, vnum prædominatur. Non aqua, ne esset nimiùm in operibus suis homo inconstans: Non ignis, ne nimia concupiscentiâ arderet: Non aër, ne superbiret; sed terra, vt sciret se esse origine terram,

De putredine vt Patre natus est homo, sed de matre cælesti. *Iob. 17. v. 28.*

ram, & humiliter de se sentiret, ita tamen, vt non obliuisceretur se de matre cælesti natum : atque ideo cogitationes eius essent altæ, & cælestes; siquidem in eum finem productus est, vt sit hæres cæli, & Angelorum superborum sedes possideat.

Sic Diuinus ille Agricola hominem plasmauit de terra, satis prouidè, & sapienter; multò maior tamen eluxit sapientia eius, in productione Christi, cui corpus adoptauit non de terra, vt primo homini, sed de purissimis sanguinibus Augustissimæ Virginis, non potuit dici de illo : *Putredini dixi, Pater meus es*, quia & Spiritus Sancti operante virtute conceptus, & imputrefactus, quia non permisit prædictus Agricola *sanctum suum videre corruptionem.* Voluit Redemptorem mundi totum esse Diuinum, & cælestem, non sicut Adam, partim cælestem quòad animam, partim terrenum, quòad corpus.

Alius Agricola est Christus Dominus, in quo adimpletum est illud, quod ad Adam dictum fuit : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* In sudore sanguineo nobis protulit panem Eucharistiæ Sacramentum, quo alantur Christiani in vitam æternam, sicut enim corpus, absque alimento viuere non potest, ita nec anima, absque cibo Angelico : siquidem anima est spiritus, ideoque Angelico cibo eam viuere necesse est, quia item immortalis est, cibo immortalitatem afferente vti debet. Hic cibus est Corpus Christi, panis suauissimus de cælo præstitus, à Christo : *qui vt dulcedinem suam in filios demonstraret, esurientes replet bonis cælestibus*, ne fame anima deficiat, & in omne infortunium ruat, vt sic hoc pane saturata cælestia gustet : ideoque potest dicere illud, quod serui Iob, qui præ amore in ipsum aiebant: *Quis det, vt de carnibus eius saturemur?* Hunc panem prouidit nobis cælestis Agricola Christus, sudore sanguineo vultus sui.

Gen. 3. v. 19.

Iob. 31. 31.

116.

Diuus Paulus, dum desideraret connumerari inter agricolas, dixit: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus incrementum dedit.* Sanè nullus agricolarum labor fructificaret, nisi Deus incrementum daret, cuius etiam notitiam veteres habuerunt: Ideo inter multitudinem Deorum, colebant etiam Deum Agrestem, hoc est, agrorum, & fructuum Præsidem, cui non semper, sed bis tantùm quotannis sacrificabant, tempore, scilicet, sementis, & messis, ac frugibus iam maturescentibus. Huius numinis veneratores fuerunt Troiani, & Siculi, idque hanc ob causam, quòd vtraque regio erat fertilissima, adeo, vt Europæ granarium, horreumué esset: quibus annumerari potest Polonia, in qua tanta vbertas frugum est, vt maiorem partem Europæ alat, atque per maria, & flumina, varijs nationibus transmittat copiosissimè. Vnde comparatur pecunia plurima, sine qua nec viuere in pace facilè est, nec belligerare. Sicut autem attribuitur Deo,

1. Cor. 3. 6.

Veteres inter alios Deos, colebant Deum agrestem, seu Agriculturæ.

quòd ab ipso sit incrementum, ita & Diuo Paulo, iuremeritò attribui potest, quòd ille sit, qui plantauit (vnde & Doctor gentium esse meruit, laboribus, vigilijs, scriptis, prædicationibus, exemplo, & martyrio) fidem Christi. Apollo etiam, inquit Diuus Paulus, rigauit, tanquam alter agricola; sed multò perfectior Agricola Christus, *qui & plantauit, & rigauit, & incrementum dedit.*

1. ad Corynth. cap. 3. n. 6.

Prouidi agricolæ, vt terra magis fructificet, postulant à Deo pluuias, &c. ad irrigandam terram; at Christus Dominus, proprio Sanguine de Cruce, rigauit terram animarum, & conscientiarum, ad fructificandum, & promerendum virtutes Christianas, gratiam, & gloriam æternam.

Non desunt & alia plura, ex quibus splendor agriculturæ elucescere possit. Sed hæc sufficiant ad persuadendum, agriculturam, & agricolas in Repub. non esse omninò despiciendos.

117. Verùm ex his oriuntur duæ quæstiones politicæ. Vna est: Num agricolæ possint fieri milites? Altera: Num agricolæ possunt esse ciues in Republica? Vtramque habet Aristoteles in Politicis.

Arist. 2. Polit. Quæstiones duæ, prima, num agricolæ possunt fieri milites? Secunda, num agricolæ possunt esse ciues? proponuntur.

Quantum ad primam: Romani videntur huius opinionis fuisse, quòd agricolæ milites esse debeant, quod intelligi potest ex simulachro agriculturæ. Inter præstantissima antiquitatis monumenta Romæ inuenta, quibus exprimũtur præcepta agriculturæ. Fuit homo operi artis lapidariæ insculptus, robustus, in vna manu tenens stiuam, in altera arma, mucronem fulgurantem, seu gladium strictum, solis, & aëris incommoditatibus expositus, penes hunc bos, post ipsum spicæ duplicatæ, & arbor fructibus onusta, item leo, canis, & serpens; super hunc Sol oriens, ex vna parte: Luna ex altera: ante Solem tres lampades, seu faces, ante Lunam quatuor, atque coruus per aërem volitans, & crocitans, *cras, cras*; & desuper descriptio fuit: *Agricola Colonus*; si mutetur C in P, erit *Agricola Polonus*: in hac quippe natione sunt homines robusti, qui facilè tolerant patienter frigus hyemis, & æstus solis: sunt fortes, ac prudentes, & animosi, ideo penes agricolam excubat leo, & serpens. Leo symbolum fortitudinis, serpens symbolum prudentiæ. Canis ibidem appositus, inuidentiam malignorũ latrantium significat, quam curare minimè debet. Ne autem deficiat agricola in expectando fructum laboris sui, roboratur spe à coruo dicente, *cras, cras*. Sed quoniam non sufficit diligentia, & humana industria, sed requiritur astrorum influentia, ideo Sol & Luna depinguntur: Luna quia humoribus terram humectat, & segetes reficit: Coram ipsa sunt quatuor faces, quæ quatuor Lunæ mutationes designant: Nouæ, crescentis, plenæ, & decrescentis. Sed quia, vt commune ada-

adagium occinit, ad radios Lunæ non maturescit botrus, depingitur Sol, cuius occultâ, & abditâ vi, lumine, & motu producuntur, atque conseruantur omnia. Ante Solem tres lampades collocatæ sunt, quæ tria Solis tempora indicant, nempe ortum, meridiem, & occasum, quæ ceu faces quædam prælucentes, operum, & laborum, atque omni diurno negotio conuenientes notæ sunt. Quod verò vna manu teneat stiuam, & altera strictum gladium, insinuat agricolas, cultores agrorum posse esse milites. Huius opinionis videntur esse Poloni, qui milites esse permiserunt, & arma portare agricolis, qui Cosaci Nizouij appellantur, eisq; ad bella contra hostes vtuntur.

Verùm aliter antiqui Poloni senserunt, siquidem maiores nostri gentem rusticam, ad militiam non applicabant; selectam quandam militiam habuerunt, nec eam rusticæ genti vnquam communicare voluerunt. Equite, non pedite in bellis vtebantur, teste Lubienscio. Ipsa nobilitas arma, insigne militare tenebat; rei agrariæ cura aduocatis, scultetis, & rusticis relicta. Primum sub Casimiro Magno, vltima domus Piastanæ progenie, exauthorandi militis ratio mutata est, & ex hominibus conditionis plebeiæ colendis agris, tam Regijs, quàm spiritualium, & sæcularium adscriptis, exercitus collectus est. Aristoteles tamen id non approbat, dum inquirit. Agricolæ verò in quem vsum, nisi vt victum parent? An hi ipsi qui arma gerunt, ad aratrum venient? & sic milites agricolæ, & è contra fient, & Respublica confundetur. Melius ergo est, vt potentiores sint armati, & plures qui potentiores, vt suo etiam numero reliquos excludant; & sic Aristoteles cum antiquis Polonis sensisse videbatur, illisque fauere in eo, quòd agricolæ ad agriculturam destinati, ad militiam non assumantur, sed illi soli, qui etiam vocantur agricolæ, quoad Dominium, & vsum, pro quanto dominantur agris, & seruis agriculturæ adscriptis. 118.

Poloni antiquitùs non præliabantur militibus rusticanis, sed eos ad colendam terram applicabant.

Hi sunt agricolæ, qui victoriam parant Reipublicæ, & Regna amplificant. Quam latè pateret olim Polonorum imperium, refert Lubienscius, qui occidentalem, & maritimam oram omnem, inter Albim, & Habellam fluuios, quemadmodum Dlugosius à Lubienscio citatus, prodidit, ad Oceanum & Germaniam spectantem possidebant, eamque Lescus inter filios partitus est: huius amplitudinis Regni, quis alius author, nisi illi, qui vnâ manu aratrum, atque ligonem, alterâ strictum ensem tenebant? qui ad militiam euocati, cùm essent viri fortes, & industrij, non solùm ad Magistratus, & Rempub. togatam, sed & bello ampliandam vocabantur. Hi Catholicæ Orthodoxæ Religionis, in septemtrione defensores, atque seruatores, fortes, & constantes latè patentium, rura inhabitan- 119.

Agricolæ qui arma portant, victoriã Regnis parant, illi sunt libertatis antiquæ defensores, maximè in Regno Poloniæ.

Lubienscius in Proœmio in

Situs Episcoporum Plocensium.

bitantes, nobiles Poloni. Hi libertatis auitæ defensores, & conseruatores; cuius amore armis variorum hostium conatus coërcuerunt, imperterriti opibus, & potentiâ quorumcunq; inimicorum, etiam Imperatoris Turcarum, cuius opes, & potentia, vniuerso Orbi fuerunt, & sunt formidabiles; illi nullius imperio subiecti, nisi quem ipsi liberis suffragijs Regem dixerint, obnoxij fuêre.

Hi non fugiendo, vt Tartari solent, pro Patria, sed inuadendo hostem pugnant, quod rarò Tartaris accidit; refert tamen Piasecius, quòd cùm Muradin Sultan, cum triginta millibus Tartarorum selectiorum, confinia Regni inuasisset: Chmielecius vir fortis, cui Præfectus militaris vices suas commiserat, cùm per exploratores de aduentu eius didicisset, ipse quoque suas copias (nonnisi bis mille stipendiarij erant auxiliares, diuersorum Procerum mille, & sexies mille Cosaci Zaporouiani) collegit, ac summâ celeritate contra hostem duxit. Apud fluuium Rosia prope Biala Czerkievv posuerat Tartarus castra sua, indeque dimiserat expeditiores turmas suas, prædatum. Ibi itaque securè subsistentem, ac contemptâ paucitate Polonorum, in aciem (alioquin fugiendo pugnare solitum) audaciùs prodeuntem, Chmielecius inuasit, & quamuis Tartari longè numero præstarent, & bombardarum vsum pluuiâ (ab eadem arcubus suis madidis, ac lubricis factis, Tartari vti non poterant) Polonis ademissent, frameis tamen rem gerentes, hostem superârunt, quatuor mille Tartarorum in loco pugnæ manserunt cæsi, & in fuga plures circa transitus fluminum, partim aquis suffocati, partim à plebe rustica trucidati perierunt: viui mille ducenti capti, inter quos Ordinum Ductores quinquaginta Murzi vocantur, ipse Sultan fugâ euasit. Singulæ deinde turmæ Tartaricæ, ad castra sua (insciæ quid ibi interim successerit) cum præda redeuntes profligabantur à victoribus, vt ex tanto numero vix sexta eorum pars effugerit. Ex Polonis nonnisi nouem fuerunt desiderati, & vulnerati quinquaginta.

Nec Romani aliud supra nominato Simulachro exprimere intendebant, nisi differentiam inter agricolas, simplices agrorum cultores, siue seruitute, siue mercede conductos; hi enim semper stiuam tenent: agricolæ verò alij, quoad dominium, possessioné, & vsum, stiuam quoad fructus percipiendos, & gladium vibratum, ad defendendam Rempublicá.

Illud verò, quod obiectum est de Cosacis Nisouianis, fateri quidem oportet, quòd necessitas eò induxerit Polonos, vt permiserint prædictos agricolas sumere arma, quorum genus, mores, rationem cognominis, loca habitationis, idiomatis, religionis, modum bellandi, & causam rebellionis fusè descripsit Lubienscius, dicens: Hi prædones Asiatici,

Thra-

Thraciæq; littoribus, expilatione aucti, ac vbertate soli, vel maximè in luxum delapsi Coronæ Polonæ, cui aliàs fidem seruârunt, rebellârunt; præcipuè Anno 1648. in tantam proteruiam eos deduxit vbertas, & abundantia panis, vt vix remedium, nisi de cælo, contra tam enorme malum haberi potuerit.

Iam verò quantum ad aliam quæstionem, num computandi sint agricolæ inter Ordines Regni, ita, vt capaces sint cuiuscunq; Magistratus? videtur, quòd eis id concedendum sit, ob virtutes, quibus præditi sunt, nam non solùm ipsi agricolæ proprio pane viuunt, sed & alijs cibum præparant, tempore pacis, & belli: præterea superat cæteras artes agricultura, quòd plus distat ab astu, & iniustitia: hinc & ab Aristotele agricolæ, & populus, qui ex agricolis constat, dicitur optimus; rationem reddit, quia agricolæ multitudinem alunt, & cùm laborent circa necessaria ad victum, operibus destinantur suis, & aliena non appetunt, vitam quietam agunt, nec se aliorum negotijs implicant: & quòd (vt inquit) rarò concionem agant, quòd aliena non rapiant, quòd gubernationem Reipublicæ non appetant, ab alijs quoque plurimùm laudantur, ita vt affirment, quod, vt agri colantur, cura hæc prima, primusque honos; nihil enim, inquiunt, agriculturâ melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius, habent enim agricolæ rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nunquam sine vsura reddit, quod accepit, inquit Cicero in Catilinam. Ideoque & Principibus cura (inquiunt) esse debet, vt agri colantur, vt augeantur, & ne fruges euehantur, vt probe seruentur, vt iustè vendantur. Apud Ægyptios res rustica quasi sacra colebatur, & Indi post Sacerdotes, agricolas magis omnibus venerabantur. Prisci illi Romani, quàm honorificum rei rusticæ operam dare duxissent, ne dum ex præclarissimis illis cognomentis, intelligere possumus, ex rei rusticæ particula aliqua comparatis, quibus celeberrimi illi viri, quorum operâ res Romana amplificata fuit; sed ex ijs etiam, qui ex ipso rusticationis opere, ex rure ipso, ad præcipua Reipublicæ munia vocati leguntur, vt aliàs dixi, Caprarij & Caprilij à Capris, Cicerones à Cicerijs, &c. 120.

Splendores agriculturæ plurimi enumerantur.

Aristot. lib. 6. Polit. cap. 4.

Cicero Officiorum 1.

Quod cùm ita sit, mirum videbitur alicui, quòd, estò agricultura tot laudibus fuerit celebrata, nihilominùs tamen inter ciues Reipublicæ, vel Ordines Regni, locum agricolis denegauerit Aristoteles; comparantur Regibus, vt inquit Agapitus. Regis vnum, inquit, & agricolæ studium, vna cura, scilicet, congregare; hic quidem serit frumentum, & frumenta congregat, ille verò beneficia serit, & ciues conducit. 121.

Quam ob causam agricultura, seu agricolæ agrestes inter ciues Reipublicæ non computentur?

Cæterum Aristoteles, agricolas culturæ agrorum deditos, non esse

assumendos ad Ordines Reipublicæ, nec ad Magistratus & officia Regni, docet; quòd laboribus dediti, otio vacare non possint, & quiete ad administrandam Rempublicam necessariâ, quòd pauperes, & armis destituti, quòd serui militibus obnoxij, penes quos armorum potestas residet, & simul ciues, & serui esse non possunt; quòd plerumque agrestes crudeles, plerique & vitiosi, ita, vt de eis quidam dixerit: *Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.* Non sunt tamen tractandi vt mancipia.

122. In Polonia solus Piastus memoratur ad Imperium assumptus, verùm & hoc miraculosè factum refert Lubienscius. Nihil enim vetat, inquit, suspicari Piastum, agri Crusuiciensis colonum, ob piam liberalitatem, ex humili genere, ad summum Principatus fastigium euectum, aliquid ex veritatis Euangelicæ lumine exhausisse. Abauus is fuit Miecislai, qui à Christianis subditis suis, (qui iam tum frequentes etiam, ex primoribus fidem Christianam colebant) vt rem Christianam Dambroucam, Boleslai Bohemiæ Regis, siue Ducis filiam duceret, persuasus, primus se Christianum Principem esse palàm professus est. De Piasto quidem memorant Scriptores, illos, dum hospitalitatem coleret, Sanctos Ioannem, & Paulum Romanos Martyres, sub Iuliano Apostata, olim martyrio coronatos, hospitio excepisse, & penu eius, illorum beneficio ita auctum fuisse, vt pauper rusticus eo Interregno, quod mortem Popieli Tyranni, & parricidæ Principis consecutum est, vniuersum Procerum Polonorum, qui ad eligendum nouum Principem conuenerant, cætum conuiuio exceperit, & ob eam causam suadentibus ijsdem Sanctis, Rex pronunciatus fuerit. Quis vitâ functorum (siue etiam ij Angeli fuerint, vt aliqui existimant) nonnisi viro, vera pietate imbuto, apparere, eumq; pietate cælesti imbuere voluisse existimabit? Non alios igitur honores, Magistratus, & dignitates expectant, nisi eos qui appellantur agricolæ, ex Equestri Ordine: nec immeritò, quia sunt partes Reipub. & illis partibus corporis assimilantur, quibus proprium est sustentare Regna, ad instar basis, atq; fundamenti robustissimi. Pedes & crura sustentant corpus humanum, basis, & fundamentum sustentant fabricam; & prædicti agricolæ, scilicet quoad vsum, & possessionem, inter quos etiam diuisæ sunt possessiones, sustentant Regnum tempore pacis, & belli; ideoque pedibus, & cruribus assimilantur. Et pedes quidem, atque crura corporea, fortia, & agilia esse debent. Fortia, vt sustentare valeant; agilia, vt celeritate hostes Regni, præuenire victoriâ possint.

Piastus ex Rusticano Monarcha Poloniæ miraculosè factus.

Debilia fuêre Regna, quæ estò caput habuerint aureum, cætera membra argentea, ærea, ferrea, pedes tamen & crura habebant fictilia, vt ait Sacra Scriptura de Statua Nabuchodonozor. Debilia item sunt Regna,

gna, quæ plumbeis pedibus, & cruribus ſuſtentantur; feliciſſima verò, vbi baſis corporis eſt aurea, vel argentea: vt inſinuat Eccleſiaſticus: *Argentum*, inquit, *& aurum constitutio pedum.* Vbi item crura, & pedes celeritate perfecti ſunt, ibi victoria certa; nam crura, & pedes robuſti, ruinam non permittunt, & agiles victoriam parant. Refert Piaſecius, quod Koniecpolſcius ſolâ celeritate, & præuentione hoſtium, nobiliſſimam victoriam partam habuerit, in bello Pruſſico; nam Sueciæ Rex, cùm videret ſuos in arcto poſitos, ad ſubueniendum eis in maximo periculo conſtitutis, cùm ex Suecia hyberno tempore, ſæuientibus procellis maris, auxilia mittere non valeret, in Marchia Germaniæ, Pomeraniæ exercitum quinque millium peditum, & trium millium equitum conſcribi fecerat, & conduci in Pruſſiam à Tribunis, à Streſſio & Taufelio. Quo cognito Koniecpolski, ſummâ celeritate, ad confinia Pomeraniæ duxit, eoſque ſecuros, & adhuc nihil hoſtile expectantes, Hamerſtini coronâ cinxit. Vnde illi conſtricti, vt nec pugnam inire, nec fugâ euadere poſſent, cùm iam Equitatus Polonicus in eos irrueret, ſublatis in haſtilibus pileis, deditionem fecerunt talem, ſigna Equeſtria 25. pedeſtria 30. & tympana ſua ad pedes victoris abiecerunt, Streſſius, & Taufelius captiui ſunt accepti, reliquis venia data redeundi in Germaniam, præſtito iureiurando, quòd intra annum contra Polonos non militarent, & maiori parte præſertim pedites, ſub ſigna Polonica conceſſerant.

Eccli. 40. 25.

123. Agricolæ qui arma portant, ſunt crura & pedes velociſſimi ad tuendam Rempub.

Hac ratione & alij tutati ſunt Rempublicam, ideoque illi ſoli ad diuerſos Reipublicæ Magiſtratus aſſumendi ſunt, agricolæ tamen agreſtes, non ſunt omninò contemnendi, atque conculcandi. Non dicitur creaturarum Princeps, & Rex miſſus, ad perpetes Aquilas, aut Regios Leones, & Gryphos, ſed ad oues, & paſtores, ne agricolarum humilium vilitas, & paupertas contemni videatur, & omninò deſpectui habeatur.

Militiam cæleſtem Rex de cælo mittit, naſcente orbis, cæli, & terræ Rege. Sanè ſi nobiles, & agricolæ arma portantes ſubditos ſuos ruſticanos agricolas, à quibus ingentia bona percipiunt, ingentibus exactionibus affligant, vel de eorum ruina reparanda, & egeſtate ſubleuanda, nihil omninò curent, timendum eſt, ne in ſe, & in Rempublicam Deum irritent. Diues ille purpuratus maximè Deum irritauit, quòd poſiti Lazari ante fores, vulnera permiſit canibus lingere: *Canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Cur permittit Deus canes diuitis, de vulneribus Lazari ſaturari? vt crudelitas diuitis appareret, & eius damnatio, quia cùm videret canes ſuos ſaturos ſanguine pauperis, adhuc non mouebatur, ad ſubleuandam paupertatem, quia vt inquit Chryſologus: *Soluit Deus pauperi manus à ſuis artubus, vti nec abigeret canes, quos vulneribus ſuis, diuitis, erat paſturus, ad vulnus,*

124. Non ſunt cōtemnendi, nec malè tractandi agricolæ agreſtes, vt fieri ſolet in Polonia.

S. Chryſologus.

vulnus, fit humana mendicitas, vt cupiditas producatur inhumana. Quid humanius, quàm quòd pauper sanguinem fundat, vt alat diuiti venaticos canes? Quid magis ferale, quàm quòd purpuratus diues videat canes suos, à pauperis sanguine saturatos, nec curat pauperi ferre gratias? En viri nobiles, quàm humana est mendicitas, & paupertas erga vos, pauperculi agricolæ de sudore suo, de sanguine suo, dant vobis canes saturos, quibus venationum delicijs potiamini; exactionibus, & tributis pressi, faciunt vobis amplissimas domos, regales pompas, quibus efferimini; & vos inhumani, & efferati, nihil curatis causas vestrarum opum, & deliciarum, nec vnquam ad gemitum respicitis pauperum! Hos pungit Diuus Basilius verbis ex Genesi desumptis. *Dignitatibus*, inquit, *ex populi consensu oblatis, super naturam se extollunt, si plebs suis suffragijs dignitatem eis dare decreuerit.* Atque hi fanè velut humanam naturam excedentes tantum, vt in nubibus se sedere putent, subiectos homines, tanquam puluerem ducentes, & contra eos, qui ipsis dignitatem dederunt, se attollentes, & contra eos arrogantes, per quos contingit ipsis, vt aliquid esse viderentur, eosq; varijs pœnis crudeliter afficiunt. Cùm tamen rectè dixerit Ildeb. *Gloriosa virtus est in Principe, extra punire, quàm liceat. Virtus est, ad vindictam necessitate trahi, non voluntate venire. Bonus Princeps neminem sine pena punit, neminem sine dolore proscribit.* Et Arnald. *Cuicunq; potest per alimenta restitui sanitas, fugiendus penitus vsus medicinarum: Sic quicunq; potest ciuem efficere felicem per aliud, non debet pænalium legum viribus vti, sed sæpius esse contentus pænitentiâ, quàm pænâ.* Et reuera turpe esse videtur, in summa potentia, violentiâ vti, sed suauiter omnia disponere, vnde Psal. *Iucundus homo, qui miseretur, & commodat.*

Ildeb. Epist. 25.

Arnald de Villa noua.

Psal. 111.

CAPVT IX.

Splendor artis Medicinæ & Medicorum.

125 Quam ob causam Medici non computantur inter Ordines Regni?

Lubienscius in Orat. Funebri Sigismundi III.



Inistros naturæ Medicos, vt cæteros artifices, placuêre quibusdam sequi corpus Politicum, ad instar vmbræ correspondentis solido, & fulgido corpori, nec inter partes seu Ordines Regni computari. Antiochus Syriæ Rex Medicum consilij sui Præsidem fecerat, sed id per errorem factum esse volunt quidam Politici. Hinc Lubienscius refert, Ludouicum vndecimum Gallorum Regem, Medico magni Cancellarij partes detulisse, ea res, inquit commouerat Galliæ nobilitatem, vt parum abfuerit, quin Rex Regno abscinderetur. Verùm qualiter inter partes Regni computandi non sunt? siquidem virtuti & industriæ fauendum est, vt olim Hannibal, qui dicere solebat: *Qui hostem feriet, ille mihi Carthaginensis erit*, & sic optimum, & dignissimum

mum ciuem illum existimabat, qui & in Sago, & Toga, vtilem Patriæ nauaret operam, ac tales sunt Medici, quorum finis est sanitas corporis. Deinde dignitas Personarum, Authoritas & Maiestas Principum, Ducum, Regum, Mithridatis, Dionysij, Trismegisti. Philosophorum item, qui prædictæ arti dediti fuêre: Hippocratis, Galeni, Auicenæ, & eorum qui putabantur Dij Apollinis, Æsculapij, Mercurij, & tandem ipsa Angelorum sanctitas, qui etiam ab hac arte nomen acceperunt, vt Raphaël qui dicitur Medicina Dei, suadere videtur, eos inter membra corporis Politici connumerandos esse.

Obijciunt tamen multùm interesse inter medicum, cuius finis lucrum, & inter medicum, cuius finis animi iucunditas, & relaxatio laborum, vt docet Aristoteles, vbi concedit Principibus, hilaritatis animi gratiâ, artes, quæ ad iucunditatem spectant, vti Musica, Poësis, pingendi scientia, quin & artes mechanicæ non reprehenduntur in Principibus. 126.

Regibus & Principibus conceditur vsus artium ob hilaritatem. *Arist. 8. Polit.*

Cyrus Secundus gloriabatur, quòd manu propriâ plantauerit hortum, Adrianus Imperator picturâ delectabatur, Nero sonitu cytharæ, Valentinianus in formandis imaginibus ex cera, Alphonsus Rex Hispaniarum Astrologiâ, & Mathematicâ, Sigismundus III. Rex Poloniæ, cantu & pingendi arte. Et his quidem non obstantibus, authoritas Maiestatis nihil detrimenti accepit. Cæterùm finis variat opus. Finis eorum, qui sunt partes Corporis Politici, est, *armis vtilem Patriæ operam nauare, & viuere ex censu*, vt inquit Aristoteles: Finis autem Medicorum est, Patriæ operam nauare, arte, doctrinâ, & industriâ, & viuere ex lucro.

Verùm moderati honorarij expectatio, eos lucido splendore spoliare non debet, maximè, quia ars medicinæ collocatur inter artes cognitionis, quales sunt dignissimæ, vt Philosophia, Astrologia, Mathematica, Theologia, ideo superat splendore artes manuales.

Superat præterea artes alias origine, fine, & medijs assequendi finem: & hic est primus splendor medicorum, ab arte desumptus. Origine quidem, quia de illa arte dicit Spiritus Sanctus per Ecclesiasticum; *Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam*: ille est primus author, & inuentor Medicinæ, ideoque cælum, & terra illam artem ornat, imò & ipse Rex cæli illam dignificat, Conditor hominis, & homo prudens, qui nouit discernere inter bonum & malum, inter dignum, & minùs honoratum. 127.

Medicina superat alias artes origine, medijs, & fine. *Eccle. 38. n. 4.*

Verùm dicet aliquis, Devs conditor est omnium cælestium, & terrestrium, non est igitur id proprium medicinæ, quòd Devs etiam eam condiderit, Angelos, homines, cælos, stellas, Planetas, & quæ mouentur in terra, Devs condidit: vnde igitur emanat splendor medicinæ,

quòd Devs sit author illius? Cæterùm differentia est, inter Creaturas Dei, & effectus omnipotentiæ eius, naturales & artificiales. Naturales omnes sunt à Deo. Artificialium autem plurimæ, sunt inuenta hominum: Musicæ inuentor Tubal, artis ferrariæ Tubalcaim, artis Pastoralis Abel. Architecturæ, & fundationis ciuitatum Caim; Medicina verò solo Deo authore inuenta est, à quo homo quærit medelam. Nec solùm Medicinam creauit Deus, verùm etiam in gratiam illius duas splendidissimas Officinas erexit, teste Origene. *Sciens* (inquit Deus,) *quod homo infirmitatibus, & languoribus esset obnoxius, venturis passionibus prouidens, medicamenta creauit ex terra, & sicut corpori ex herbis, ita animæ medicamenta præparauit in ijs sermonibus, quos per Diuinas scripturas seminauit.*

Eccle. 38. v. 4.

Origenes super Psal. 37.

128. Duas igitur Medicaminum Officinas, à Deo conditas asserit Origenes: Alteram pro infirmitatibus corporis in agris, alteram pro languoribus animi in pratis scripturarum Sacrarum: illustremus vtramque & comparemus ad inuicem, vt pateat, quantùm vna superet alteram. Non est imaginandum, quòd Devs præcisè produxerit eo fine herbas & plantas, flores & fructus, vt essent in iucunditatem, & recreationem: verùm etiam, vt essent in medicamentum contra infirmitates, quibus nos obnoxios fore præuidit, ideòque diuersas diuersis indidit virtutes, contra diuersas infirmitates, ita vt vix aliquid reperiatur, quo homo non possit mederi languoribus suis, vsque ad telam araneæ, quæ virtutem habet ad vulnera sananda: & quid vilius pilis canis rabiosi, cornu cerui? & tamen illi valét contra morsum caninum, hoc contra venenum. Quis vnquam diceret etiam terram habere vim medendi, aut lutum? cùm tamen ipse Christus fecerit lutũ ex sputo & terra, atq; liniuerit oculos cæci, &c. Cernitur igitur in omnibus, & virtus sanandi in lapidibus & cunctis, quæ à terra producuntur, maximè tamen in herbis. Ne autem frustra absque aliquo opere, & effectu illa virtus esset, posuit in diuersis herbis diuersa virtutum signa, in colore, odore, sapore, splendore, folijs, ramusculis, radicibus, &c. Quemadmodum enim videmus Pharmacopolas, in officinis suis, in diuersis capsulis, seu thecis, diuersa conseruare medicamenta, diuersas herbas, diuersa vnguenta, cum inscriptionibus varijs, pro varietate medicamentorum: ita etiam in Republica bene ordinata cernimus, pro diuersitate statuum, & officiorum, atque dignitatum, personas in diuersis officijs constitutas, diuersa gestare insignia: Rex Coronam in capite, sceptrum in manu, administratores iustitiæ baccillos: Academiarum Doctores, in solemnioribus actibus, diuersi coloris bireta, insignia diuersarum disciplinarum; in diuersis Ordinibus militaribus, diuersa insignia, diuersos seruos, diuersa stemmata, ferro etiam igni-

Duas Officinas creauit Deus in gratiam medicamentorum, vnam corporalem, alteram spiritualem.

ignito impressa, vt accidit Isaiæ Prophetæ, qui, dum dicendi grauitate, & copiâ, atque vbertate ingenij, & eloquentiâ præditus esse debuit, cùm à Deo, ad populum Israëliticum mitteretur, ornatum in dicendo accepit, à Deo per tactum calculi igniti, ad designandum, quòd acceperit virtutem sermonis diserti, cuius organum, & sedes est lingua. Persimili ratione Deus, in diuersis herbis, diuersa apposuit signa, quæ indicarent virtutem medendi ibi sitam, & collocatam esse.

Verùm, quia difficilè erat intelligere valorem diuersarum virtutum, contra diuersas infirmitates, & discernere in ordine ad vsum, quæ herbarum virtus esset, ad sedandam, & tollendam infirmitatem, hanc vel illam, instituit Deus Præfectos officinarum suarum; & officinæ quidem corporalium medicamentorum præposuit Adamum, propterea enim adduxit ad illum cuncta creata, vt videret, quid vocaret ea, assistendo illi, ne erraret in nominandis cunctis, quæ creauerat, & declarandis virtutibus earum, per nomina expressa in remedium infirmitatum: tandem eidem officinæ præposuit Salomonem, vt ipse de se testatur. *Ipse* (inquit) *dedit mihi scientiam veram, vt sciam virtutes elementorum, naturas animalium, & differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunq; sunt abscondita, didici.* 129.

Non solùm Officinas medicinarum sed & præfectos medicamentorum instituit Deus.

Sap. 7. n. 17.

Successu verò temporis, diuersos officinæ suæ præposuit, in medelam infirmitatum, magistros, Apollinem, Æsculapium, Galenum, Hippocratem, & discipulos illorum.

Alius medicinæ atque medicorum splendor desumitur ex fine artis prædictæ, qui est sanitas corporis, super omnia bona temporalia desiderata. Dabit enim homo cuncta pro sanitate sua. Mirum alicui videri potest, quod refert Euangelista de Saluatore mundi: *Omnis* (inquit) *turba, quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*; turba, quæ sequebatur Christum, non solos continebat infirmos, sed & multos bene sanos, vtquid ergo singuli *de turba quærebant eum tangere?* nimirùm tantus est amor, & desiderium sanitatis, vt non solùm infirmi, sed & sani quærebant Christum tangere, præuenientes infirmitatem omnibus molestissimam, vt experiuntur, qui podagræ morbo affecti sunt, ex quibus vnus dicere solebat: Ambulandum est, pedes non habeo, dolendum est, pedes habeo. Hoc idem potest dicere infirmus, qui in ordine ad commoditates, iucunditates, lætitias, dicere potest, vitam non habeo: in ordine verò ad dolores, & patientiam dicere potest, vitam habeo. Quare rectè Ecclesiasticus: *Melior est requies æterna, quàm languor perseuerans*, quasi vellet dicere, melior est mors, vitâ languidâ. Quid enim aliud est infirmitas, nisi continua mors? Tiberius Cæsar, cùm tormento affecisset quendam innocuum, atque resciuisset eum innocentem, multa sustinuisse tormenta, 130.

Finis Medicinæ sanitas, ideoque turba quærebat tangere Christũ, alij vt præuenirent infirmitatem, alij vt tollerent.

Luca 6. n. 19.

Eccl. 30. n. 17.

pœnituit ipsum, atque in satisfactionem iniuriæ ei illatæ, eum interficere iussit. Crudelitas hæc fuit persimilis illi, qui pauperi fame deficienti, pabulum porrigere neglexit, ne diutiùs fame cruciaretur, sed citiùs moreretur. Hoc tamen crudeliore facto insinuare voluit, quòd melior est mors, vitâ amarâ. Cùm igitur medicorum munus sit, hominum sanitatem iuuare, atque morbos pellere, & ipsi naturæ, quæ sanitatem expetit, auxiliari, & ministrare, non postremum hinc splendorem habent medici.

131. Tertius tandem splendor est ex medijs, quibus prædictum finem assequi contendunt: & sunt, Ars, Experientia, & Iudicium. Ars quidem, si est ex ratione, est validissima ad tollendas infirmitates, non pertingit tamen ad perfectionem naturæ. Tum quòd ars incipit ab extra, & superficie, nam pictor non auspicatur artem suam à corde, dum delinëare hominis personam prætendit, sed à superficie, à delinëamentis faciei, & nunquam attingit ad interiora hominis. Natura autem incipit à corde, quia cor in homine est primum viuens, & vltimum moriens. Et Christus Dominus cogitans, quanta passurus erat, in decursu Passionis sanguine sudauit, tristitiâ cor eius comprimente, non metu, sed ingratitudine hominum, qui parùm curabant, vim tanti erga salutem illorum amoris. Tum maximè, quod vix prædicta ars perfectè acquiritur, vnde multi occurrunt in medendo errores. Et reuerà, si absque errore progredi in eum finem possent medici, felicissima ars illorum esset. At Aphorismus medicorum insinuat, inter quos est ille Hippocratis: *Ars longa, vita breuis, iudicium difficile, experimentum periculosum.* Ars, inquit, longa, ad legendum libros medicos, qui continent artem medendi, non sufficit vita, etiam plusquam centum annorum, quantominùs vita, spatio vnius diei assimilata. Quòd si vita præsens est breuis, ad legendum tot libros medicos, multominùs ad discendum, discurrendum, exequendum, præcepta in illis tradita: vnde errores, de quibus dicitur: *Beati medici, quorum defectus terra tegit.*

Tria sũt, propter quæ ars medicinæ est difficilis.

Iudicium difficile. Etsi medicus fuerit doctissimus, multumq; temporis consumpserit, & insudauerit in legendis libris, occurrit aliud multò difficilius, iudicium scilicet de qualitate morbi, vt opus est coniecturis, & diuinationibus de malis, quæ latent, cuius causas inuestigare, & enarrare difficile est. Ex signis, ex tactu pulsus, ex relatione infirmi, aliquid indiuinare potest, sed certò qualitatem morbi, & causam eius referre, difficile est, & multoties remedium morbi, fit causa, & occasio maioris mali.

132. Experimentum periculosum. Posito, quòd medicus habeat notitiam morbi, & causam illius, succedit periculum in experiendo, quali medicamento

camento iuuari possit infirmus, multoties enim accidit, quòd cùm calidá medicamenta deberet adhibere medicus, adhibet frigida, & plus nocet, quàm prodest sanitati: multoties existimat vtilem esse sectionem venæ, & eo ipso vitam abbreuiat, & quandoque (quod Deus auertat) enecat, & quod maius est, impunè, vt quidam dicebat: terra eorum errorem tegente & obtegente, adeo, vt difficile eis sit culpam imponere, aut errorem obijcere. Et reuerà medicus qui facit, quantum in se est, in iuuanda sanitate infirmi, qui legit, qui aliàs contra similes infirmitates, tales medicinas salutares esse expertus est, qui etiam aliorum consilijs consentit, inculpabilis est. Quis enim nosse potest, vnde tam grauis error acciderit? quippe experimentum est periculosum, ideoque Græco idiomate medici vocantur experimentales, quòd Principale in medendo sit experientia, licet illa sola non sufficiat, vt modò ex Aristotele dictum est; quam præcipuè acquirunt medici à brutis animalibus, ab anguibus terrestribus, serpentibus, auibus, attendẽdo quibus bruta sibi ipsis medentur. Plinius scribit: quòd angues terrestres, è suis cauernis cæci prosilientes, herbâ, quæ Marathrum vocatur, visum recuperent. Aristoteles etiam refert, quòd testudo à viperæ morsu, bubulâ sanetur. Elianus, & alij plura de eo exempla referunt.

Experimentũ in medicina valde periculosum.

Plinius de naturali historia.

Aristoteles.

Elianus lib. 2. variarum.

Verùm tempus est, vt ad aliam officinam à Deo productam reuertamur, continentem medelam, contra morbos animæ, & qualiter hæc superet, & excellat coporalem, illustremus. Non est tamen omnium eadem de hac re sententia; Alij enim volunt, hanc Officinam esse Beatissimam Virginem, & pelagus sanitatum. Nec immeritò, quoniam cum sole, *in cuius pennis sanitas*, ex hac Officina omnia medicamenta animarum nostrarum edita sunt. 134.

Officinã medicamentorũ spiritualium, alij volunt esse pœnitentiam, alij Augustissimam Virginem.

Alij Officinam volunt esse pœnitentiam, & quemadmodum medicamenta, alia sunt simplicia, alia verò composita & transmarina, ita quoque pænitentia. Alia est pœnitentia virtus, alia pœnitentia Sacramentum. Illa habet virtutem medendi ex opere operantis, hæc ex opere operato, quoniam virtus pœnitentiæ Sacramenti est composita, ex actibus pœnitentis, contritione, confessione, &c. & valore meritorum Christi, quæ applicantur infirmo pœnitenti, per absolutionem Sacerdotis.

Hæc Officina, in qua sunt medicamenta animæ, superat Officinas medicamentorum corporalium origine, fine, & mediorum perfectione. Origine quidem, quia splendor medicamentorum corporalium originem habet de terra, siquidem de illis dictum est: *Altissimus creauit medicinas de terra.* De spiritualibus verò medicamentis dici potest: *Altissimus creauit de cælo medicinam*; de corporali medicina dicitur: *Et vir prudens non abhorrebit illam*;

Eccles. 38.

illám; de spirituali verò dici potest: *Vir prudens solicitè & anxiè procurabit ipsam.* Officinæ corporali præposuit Adamum, Salomonem, &c. spirituali verò, ipsum humanæ salutis Authorem, rerum omnium effectorem, & summum artificem, vniuersi Parentem, Christum Dominum, ac successores eius Summos Pontifices, deinde Prædicatores, quos vult esse non coquos, & magistros culinarum, sed Medicos animarum, synceros Euangelizatores verbi Dei, non adulterantes verba Christi, vt inquit Diuus Paulus: *Non enim sumus* (ait) *sicut plurimi adulterantes verbum Dei*; alij legunt: *Cauponantes verbum Dei.*

135. *Prædicatores officinæ spiritualis præfecti, non debent esse similes coquis, sed medicis.*

Medicus administrat infirmo potiones, quæ deseruiant eius sanitati, etiamsi sint amaræ, non eas, quæ dulcedini, & suauitati. Coquus autem procurat epulas propinare suaues, & gustui accommodatas. Non vult igitur Christus, vt sint Prædicatores similes coquis, sed medicis. Non vult, vt in prædicatione solùm delectent, sed vt doceant, moueant, & fructum afferant. Non vult, vt sint persimiles illis apothecarijs, de quibus communiter dicitur, quòd propinent ægris, *quid* pro *quo*. Non vult, vt loco Passionis Christi, quæ est vera medicina cordis, afferant fabulas Poëtarum, quibus obfuscatur, & obtenebratur intellectus, & conscientia denigratur, tales enim non possunt dicere: *Euangelizare pauperibus misit me*, & sanare contritos corde; nec similes erunt illis medicis, de quibus dicitur: *Verba sapientum sunt sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi*, quibus stimulantur peccatores ad pœnitentiam, & detinentur, ne peccent, vbi Hieronymus: *Si cuius sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo Sapientis.* Et alibi: *Ille est Doctor Ecclesiasticus, qui lachrymas, non risum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum dicit, nullum dicit esse felicem.* Et Nepotianus inquit: *Docente in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur, lachrymæ auditorum, laudes tuæ sint*: ideoque cum viro Religioso tracta de sanctitate, cum iniusto de iustitia, de bello cum timido, cum impio de pietate, vt mederi possis contrito corde, vt sicut medicus est minister naturæ, ita prædicator sit minister animæ.

Luca 4. v. 18.

Eccles. 12. v. 11.

D. Hieron. lib. 2. in Isaiam.

Concionatorum quoque officium est, finem medicinarum Spiritualium populo publicare, Aphorismum Hippocratis ad pænitentiam, quæ est medicina Spiritualis, accomodare, & ex his deducere, quòd officina Spiritualium medicamentorum, sit perfectior officinâ corporalium. Dictum est autem finem medicinæ corporalis, esse sanitatem corporis, idem quoque est finis medicinæ Spiritualis, sed multò nobilior, quemadmodum & anima nobilior est corpore. Anima quippe assimiliatur cælo, corpus autem terræ, cælum autem nobilius est terrâ. Cælum est incorruptibile, anima immortalis. Cœlum est Sphæricum,

& vnde

& vnde incipit, illuc terminatur: anima quoque mediante operatione propriâ incipit, & reflectitur in se ipsa. Cælum mouetur ab Oriente in Occidentem, & è contra: anima quoque ab effectibus ad causas, & è contra, mouetur. Cælum omnia continet, & anima cognitione atque imaginatione, vniuersa concludit. Cælos mouent Angeli, & anima habet Custodem Angelum; in cælo cernitur Sol, Luna, Stellæ. &c. & in anima, intellectus, in opinione Scoti, est Luna, Sol, voluntas, quæ omnia regit, & disponit, vt sol in inferioribus, Stellæ sunt species intelligibiles, & Ideæ conseruatæ in memoria.

Corpus autem assimilatur terræ, non solùm propterea, quia est de terra, sed etiam, quià quæcunque cernuntur in orbe terrarum, in forma corporis videntur. Mare est cerebrum, fluuij sanguis in venis, montes marmorei sunt ossa, quæ tanquam columnæ marmoreæ sustentant corpus, herbæ & flores sunt capilli, &c. Sicut ergo cælum est nobilius terrâ, ita anima corpore; & sanitas animæ, sanitate corporis: præterea infirmitates animæ sunt grauiores infirmitatibus corporis, infirmitates interiores magis afflictiuæ, quàm exteriores. *Omnem plagam, & non plagam videbit cordis*, inquit sapiens: dolor mentis est dolor cordis, mens autem in homine & optimum & diuinissimum est, ideoque infirmitas eius est grauissima, non solùm coram hominibus, sed etiam coram Deo. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Dicitur in libro Regum de filijs Heli: quia erat peccatum inducens infirmitatem mentis, deuotionis, & sacrificiorum, atque ita inducebat infirmitatem, non solùm in oculis hominum, sed etiam in oculis Dei: cùm igitur infirmitas animæ sit intolerabilior, medicina Spiritualis, scilicet pænitentia tollens prædictam infirmitatem, nobilior est, quàm corporis. 136.

Corpus humanum assimilatur terræ, anima cælo.

Eccles. 25 n. 18.

1. Reg. 2. 17.

Præterea Officium Prædicatorum est, manifestare populo Aphorismum medicorum, qui gloriosiùs competit Spirituali medicinæ, quàm corporali: Nam cùm Hippocrates dicit, artem medicinæ esse longam, & vitam breuem: Oppositum cernitur in medicina Spirituali, quæ solâ lachrymâ & sudore cordis, per oculos emicante, tollit omnem infirmitatem cordis & animæ. Contritio item & Confessio. Sanè duplex in anima cernitur infirmitas culpæ & pænæ; duplex etiã, & facilis ars atque medicina contra illas ordinata est, nempe confessio, & indulgentiæ. 137.

Aphorismus Hippocratis gloriosiùs cõpetit spirituali medicinæ, quàm corporali, quẽ Prædicatores publicare debẽt populo.

Cùm item dicit Hippocrates, iudicium esse difficile. In medicina Spirituali pænitentiæ nulla difficultas est, nullus error esse potest, si adhibeantur medicinæ Spirituales, iuxta præscriptum Christi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Nec deinde experimentum est periculosum, nisi illis, qui de salute

propriæ

propriæ animæ minùs sunt soliciti, cuncta in futurum sæculum reseruantes, & ad purgatorium remittentes; hi sunt in maximo periculo, quoniam in futuro sæculo desunt tales medicinæ: vbi sunt peccatorum infirmitates, ibi medicinæ & remedia contra peccata: vbi venena mentis, ibi & antidota: In futuro autem sæculo, vel nullum vnquam remedium, si decedat in mortali: vel solùm remedium satispassionis in
Matth.5.v.26. purgatorio, si decedat in gratia. *Non exibit inde, donec reddat nouissimum quadrantem.*

138. Verùm vt reuertamur ad Spiritualium officinarum diuisionem: Non desunt viri perfecti, & in rebus Diuinis exercitati, qui volunt hanc Spiritualem Officinam esse, Passionem Christi Domini, cuius originem, finem & progressum, in finem intentum, conformiter ad dicta superiùs illustrare, non inutile existimo: & reuerà quantùm ad originem spectat, dum in theatro Crucis lugubrem mæstitiam, & acerbissimum dolorem, in Christo Filio Dei cernimus, qui dirum Tyrannum infernalem, acerbâ Passione suâ à ceruicibus nostris repulit, & contra tetra venena eius, medicinam Passionis suæ nobis porrexit, reliquit, donauit; facilè intelligere possumus, nonnisi amorem Dei humanatum Christi Domini esse originem huius medicinæ, quæ ex passione Christi profluxit: ille enim tanquam Sol in auge dolorum existens, in pœnis suis, atque floribus vulnerum corporis sui, sanitatis medicinas nobis protulit.

Optimum est sentire Passionem Christi, esse officinam medicamentorum spiritualium.

Amor diuinus & scientia Dei, vtrumque infinitum est, & æternum; infinitum autem cùm termino careat, pertransiri & comparari ad aliud non potest, & vnde nobis medicinæ contra vitia profluxerint? disquirere difficile, num ex amore, num ex scientia Dei? nihilominùs tamen Diuus Paulus, amorem Dei, scientiæ eius supereminere docuit. *Scire*
Ad Eph. 3.19. *etiam* (inquit) *supereminentem scientiæ charitatem Christi*, & quam ob causam? vt charitatem Christi, & amorem eius in salutem humani generis subtiliter commendaret in nobis, dum amorem Dei superexaltat, & scientiæ Dei supereminere docet. Eminentia enim comparatione crescit, & innotescit. Verùm qualiter id fieri possit, cùm tam amor Dei, quàm scientia sint æqualia, & excessus, vel supereminentia, inter æqualia, sicût & comparatio esse non possit, explicandum est similitudine illâ, quâ vtuntur Theologi. Speculatiui in inuestiganda veritate, per suppositionem impossibilium, de quo etiam egimus in Commentarijs, supposito enim, quòd per impossibile Diuina sapientia è loco suo dimoueretur, & in amentiam transiret, quod esse impossibile. Christus Dei Filius non fuisset expositus maiori ludibrio, & acerbioribus doloribus

In Commētar. super 2. Doct. Subt. Disput.

139. & cruciatibus, quàm nunc de facto expositus, sapientiâ tamen suo

suo esse permanente, dum quasi à mente alienus, vel saltim amoris magnitudine extaticus, voluit derisoriè tractari, ligari, colaphisari, conspui, oculis velari, vestibus discoloribus indui, & spoliari, arundine in manu, coronâ spineâ in capite positâ, fictè adorari, atque ita vt extaticus haberi, quasi insensibilis, & impassibilis, nec frigore offendi, nec æstu solui, nec vim cruciatuum sentire, nec irritatione moueri, vt communiter accidit extaticis, amore cælestium absorptis; ita vt omninò exinanita sapientia eius videretur, Græcis in scandalum, & Iudæis, *Sapientiam Dei stultitiam* proclamantibus: sed veriùs ipsi stulti & amentes sunt; nonne à mente alienus iudicaretur, qui solem ecclipsatum diceret, non esse ampliùs solem? qui sapientiam ab amore absorptam, putaret deuoratam? iuxta illud Psalmi: *Turbatus sum & motus sum, &c.* qui item lilia agri à frigore quò ad flores, & alijs contrarijs arefacta cerneret, in radice mortua putaret, siquidem arescentibus floribus, in radicibus virescant, vt inquit Ambrosius: *Etsi in floribus aruisse videantur, foris tamen naturâ virescunt.* Non amisit Sol ecclipsatus suum splendorem, non est à cruciatibus deuorata Sapientia Dei, sed occultata sæuienti Diabolo, obiectâ humilitatis nostræ infirmitate. Hinc inquit Diuus Bernardus; *Neque hoc fecit stupor, sed amor, vt tam indigna toleraret, submittitur enim sensus non amittitur, nec dèèst dolor, sed superatur. Non arescunt lilia, atque vulnerum flores, quibus totum corpus Christi stipatum est, sed ad conficiendum vnguentum, amore Christi exuruntur; Totus enim se nobis dedit, & totus in nostros vsus ad medelam infirmitatum nostrarum expansus, Maiestatis potentiâ occultatâ.* Quemadmodum igitur medicinarum contra infirmitates corporales, origo est omnipotentiâ Dei, ita medicinarum contra infirmitates animæ origo est amor Dei, à quo processit, vt Passio Christi esset nobis in pretium, & poculum salutare. Iam verò finis Passionis Christi, etsi is sit, vt esset pignus, ad quod nobis, in omnibus necessitatibus nostris refugiendum est; quippe lachrymæ eius lætificant corda nostra, eius cum morte, & inferno prælia nobis victoriam parant, eius vincula libertate nos exornant, eius mors vitam nobis protulit, eius vulnera Patrem nobis æternum reconciliauerunt, & cor Patris in filios inclinârunt, & in summa, illa Christi Passio est refugium nostrum, & pignus in cunctis necessitatibus: præcipuè tamen in eum ordinata est, vt esset infirmitatis humanæ singulare præsidium, & medicina; & Raphaël quidem Angelus, dicitur Medicina Dei, vt intelligitur per nomen, quid valeat in opere, longè tamen aliter, quàm Christus: & Raphaël quidem Angelus nuncupatiuè, Christus autem substantiuè, quia quidquid accepit de nostro, ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis, totum nobis contulit ad salutem, & sic quantum ad

Christus Dominus in Passione tanta pertulit, vt omninò sapientia eius absorpta videretur, & ipse extaticus vel dormiens.

Psal. 106. v. 27.

D. Ambros. lib. 7. in Lucam.

D. Bernard. serm. in Vigiliam Natiuit.

Paschasius lib. 12. in Matth. vtramque naturam spectat. Impossibile erat, inquit Paschasius, ne nos bonitate suâ, suâque iustitiâ & misericordiâ saluaret, quos crëaret; atque ita medicinâ composita ex iustitia, & misericordia, salutem nobis attulit.

Iam verò in hac Spiritualis medicinæ officina, locum non habet Aphorismus Hippocratis, etsi enim in medendis corporibus ars sit longa, hîc ars breuis est; cùm enim, vt Hippocrates fatetur, & experientia docet, vita hominis sit breuis, ars sanandi infirmitates animæ non potest esse longa, quoniam in sola præsenti vita, medela animabus adest, post mortem, non alius est locus medendi, sed syndicatum faciendi, & prout vnusquisque in corpore gessit, siue bonum, siue malum, reddendi rationem; vbi est locus præmiandi quoque eos, qui speculatiuè, & practicè hac medicinâ salubriter vsi sunt, meditando, & compatiendo Passioni Christi, in quo adeò iucundatur Christus, vt nihil iucundius ei accidere possit, sicut dum homo considerat, quòd tanta beneficia per Passionem Christi perceperit, quæ cognoscit præstita, *discit sperare promissa, ac Dei sui præteritam, præsentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem*, inquit Diuus Augustinus. Per oppositum verò, quoniam vt inquit Aristoteles, *Contrariorum eadem sit ratio*, nil magis contristat Christum Dominum, sicut dum fructus vitæ, qui ex hac medicina colligi possunt, contemnuntur, & pereunt. Funera medico dedecori sunt.

Augusti. serm. 106. qui est 3. de Ascensione Domini.

140. Quantò magis, dum animæ pereunt, pro quibus Christus seipsum exinaniuit, Sapientiæ, & Maiestatis Diuinæ dignitatem adumbrant? qui à Deo Patre tanquam inimicus tractatus fuit, dum vberiori fructu Passionis suæ priuatur, cuius etiam vmbra, in desperata sanitate salutaris est, & liberationis condemnatorum causa, teste D. Athanasio; *Intuere*, inquit, *quod condemnatio Christi in morte, liberationis condemnatorum quidam ingressus fuit*: Nam & Barabbas liberatus est, Christo in mortem decretato.

Christus Dominus ex amore salutis humani generis sapientia & Maiestate sua obumbrauit.

D. Athanasius Homil. in Paschas.

Iudicium quoque, in hac arte medendi animabus, non est difficile, etsi enim in medendis corporibus, inde difficultas proueniat, quòd ambiguum sit, quæ medicina habeat vim medendi, hanc vel illam infirmitatem; hîc nulla ambiguitas est, quia vna & sola Passio Christi, contra omnes animæ infirmitates, & morbos sufficit. Et virtutes quidem sanandi, & pugnandi contra vitia, ex Passione Christi vim hauriunt. Verùmtamen vna virtus, contra vnum vitium pugnat, Prudentia contra imprudentiam, mansuetudo contra iram, temperantia contra intemperantiam, iustitia contra iniustitiam, magnanimitas contra pusillanimitatem; paucis exceptis, vt liberalitate, quæ pugnat contra duo vitia, auaritiam scilicet, & prodigalitatem: Fortitudo contra metum, & temeri-

temeritatem. At Passio Christi, de omnibus vitijs triumphat, in qua omnes virtutes, vt astra, sydera, & stellæ in firmamento lucent; prudentia siquidem vbique, tam in Cœnaculo, quàm in decursu Passionis, verbo, & opere solerter egit; Modestia item, quoniam omnes iniurias, & irrisiones modestè tulit; Mansuetudo, Iudaicam proteruiam patienter ferendo, prius enim voluit per mansuetudinem colligere, vt haberet, quos postmodum in iudicio saluaret, vnde exclamat Anselmus. *Audite hæc omnes gentes, noluit peccatores ferire, sed colligere.* Fortitudo præterea, *quia ibi abscondita fuit fortitudo eius*, dum intrepidè, & animosè dolores sustinuit, & mortem subijt. Temperantia, omnem consolationem despiciendo, vnde & mulieribus flentibus dicebat, *Nolite flere super me*, quasi rem *Luca 23. n. 28.*
desperatam, *sed flete super vos*, ne cum perfidis damnemini, in vltionem Crucis meæ. Continentia quoque, cuius munus est, contra molestias patientem esse, ea enim tanta fuit, scilicet patientia, vt ex ea sola attentè considerata, hostis salutis nostræ fugam arripere cogitauerit, ita vt opus fuerit Christum, humana infirmitate simulatâ, eum detinere, illis infirmitatis verbis. *Heli, Heli, Lamazabathani.* Iam enim ex sola patientia, plusquam hominem esse Christum cæperat cogitare. Iustitia quoque ibi cernitur, atque innocentia personæ, quam testatus est Pilatus, & ipsimet Iudæi, percutientes pectora sua & dicentes, *Verè Filius* *Matth. 27.*
Dei erat iste. Maximum autem est veritatis testimonium ab inimicis, vt *n. 54.*
habet Interlinearis, super illud Deutoronomij. *Non enim est Deus noster, vt Dij eorum, & inimici nostri sunt iudices.* Vbi Interlinearis: *Firmum est testimonium ab hoste.* Tandem ibi est cernere Magnanimitatem, quià æquè felicitatem, atque iniurias tulit. Liberalitatem, quia corpus, famam, vestes, & cuncta, quæ pro salute nostra assumpsit, neruos, venas, arterias, ossa, in medicinam nobis obtulit.

Non vnum telum Diabolus habet, frequentat spicula, vt aut tædio vincat, aut præmio, inquit Sanctus Ambrosius. *Spicula Diaboli sunt vitia, quibus tanquam veneno pungit, & inficit corda nostra; sed Christus per virtutes, theriaca sanguinis sui inuncta, tollit tetrum virus de cordibus nostris & medetur.*

Denique cùm Aphorismus, in medicina corporali, dicit experientiam esse periculosam, id locum non habet in medicina Passionis Christi. Experti possunt dicere cum Diuo Bernardo, *quòd nihil iucundius habeatur, nil cogitetur dulcius, quàm Iesus Dei Filius, in Cruce pro salute humana appensus.* Fatetur idem, meditari Passionem Christi esse difficile: Mons, inquit, patientiæ Christi arduus, propter difficultatem imitandi Passionem Dñi, spinosus propter aculeos tentationum, difficilis propter retributionem, quæ speratur in futuro sæculo. Et cùm exercitio difficultates superasse voluis-

141. Experientia in meditatione Christi suauissima. *D. Bernardus.*

S. Leo Papa serm. 10. de Passione Dom.

voluisset, dicebat: *Irascor occupationibus meis, non vt neglexerim, sed vt nequiuerim.* Hoc idem confirmat Sanctus Leo Papa. *Quia inquit, & si difficile sit, de solemnitate Passionis Christi disserere, laborandum tamen esse sensu, hærendum ingenio, nec deficiat fandi facultas, vbi non deficit, quod dicatur.* Expertus item, in exercitio Passionis Christi, gloriosus Pater noster Sanctus Franciscus, cernens maximum periculum prælij, quod Dæmon intentat in corde hominum, dicere solebat ad fratres. *Mihi credite, nullis armis faciliùs hostis animæ vincitur, & securitas comparatur, sicut memoriâ Christi Crucifixi; tunc enim Christus pro nobis, contra ipsum pugnat, & solo aspectu Dæmonem fugat, quotidie enim venit ad nos in Cruce, humilis apparet, & superbia fugit; modestus, & tollitur ira, Cruci inclauatus, & donatur perseuerantia, spinis coronatus, & Coronam virtutum, pro corde nostro coronando componit.*

142. Expertus & ille, qui dicebat. *Profectò id, quod erat Maiestatis, & potentiæ, in id, quod erat misericordiæ, humilitatis, & gratiæ transfudit; vbi ergo tanta gratia, ibi nullum periculum, sed magna securitas, dum vexillum Crucis fugat hostes inuisibiles, & vitia, inserit virtutes, & purificat conscientiam, Sacros, & Deificos facit.*

Id, quod erat maiestatis & potentiæ, in id, quod erat misericordiæ, & gratiæ, trãsfudit Christus Dominus, in Passione sua; ideo Christi Passio est efficacissima Medicina.

Quodsi periculum adest, illis timendum est, qui constituti sunt præcones, & præfecti huius Officinæ, diuulgandum fructum eius instituti, si negligenter agant, & muneris sui partes, ac labores illuc diuertant, vt hominibus, non Deo placeant. Neque enim citra sanguinem, licet ad verbum accedere, scilicet circa sanguinem pro salute hominum effusum, hæc est enim iniquitas maxima, vt dicebat Iob: *Si osculatus sum, manum meam ore meo, videns Solem orientem, quæ est iniquitas maxima.* Ille præco verbi Dei, videns obscuratum solem Diuinum, osculatur propriam manum, qui in prædicatione propriam gloriam quærit, volens hominibus placere, & non gloriam Christi; sed marcescet gloria eorum, neque digni sunt doctrinâ, qui aures tantùm, & ventrem pascere volunt. Horum typus est Herodes. *Herodes* (inquit Beuxamis) *typus est illorum, qui curiositate tantùm scripturas legunt, cùm interim nihil pietatis habeant in mente.* Periculosum est igitur his, ne ex nido Diuini Pelicani eijciantur, cùm enim sanguine eius aspersi fuerint, illumque negligant, digni sunt, vt præcipitentur in profundum tenebrarum, profanorum figmentorum, absque vllo fructu, & merito suo. Vt Pelicanus solet è nido suo deijcere pullum ingratum, ita hi digni sunt, vt longè sint ab eo, qui dicebat: *Non enim me iudicaui scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* Et ideò qui se nihil aliud scire, præter Christum gloriabatur, dignus erat, vt ad tertium Cælum raperetur, & ibi arcanorum Dei particeps esset; qui verò Christum ignorant, parùm vel nihil sciunt, figmentis Pòëtarum excæcatos habentes oculos, charitatem Christi, per quam tersos

Iob. 31. n. 27.

Beux. in Schol. lib. 7.

1. ad Cor. 2.

terſos à tenebris oculos atque illuminatos acquirere poſſent, negligunt: *qui verò aliquid eorum, quæ Chriſtus pro nobis geſſit, agant, ſecuri ſunt, quia certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ Paſſionis,* inquit Leo Papa. *Leo Papa ſer. 9. de Quadrag.*



TRACTATVS QVARTVS, DE SPLENDORIBVS VMBRATICIS.

CAPVT PRIMVM.

Splendor vmbraticus Mercatorum, quòd ſequantur Rempublicam, vt vmbra corpus.

PLures ſunt ſtatus, quos Ariſtoteles, ad corpus myſticum Reipub. ſeu Regni minimè ſpectare docet, Peregrinorum, Inquilinorum, ſeruorum, libertinorum, &c. In particulari tamen, de Opificibus, Mercenarijs, Operarijs, quibus etiam adijci poſſunt Mercatores, diſputat: *Siquidem finis operationis, & laboris eorum eſt lucrum, ſicut & illorum, qui manibus victum quærunt; finis autem Ciuium in Republica eſt, vt felix ſocietas ſit, ſicut finis nautarum, vt felix ſit nauigatio,* inquit Ariſtoteles. Vtiles tamen & neceſſarij ſunt, ſicut Opifices, ita & Mercatores, ac proinde fouentur à Republica, & qui rectè id, cuius cauſâ neceſſarij ſunt, operantur, gaudent ſibi proportionato ſplendore, non equidem adeò perfecto, vt ciues, ſeu qui inter Ordines Regni computantur, & ad corpus myſticum ſpectant, quorum ſplendor vt lux ſolis eſt cum Rege ſuo, Ordines verò Regni, vt radij prædicti ſolis, ſed ſaltim ſplendore vmbræ, ſplendore per participationem; ſicut enim vmbra ſequitur corpus, & proprietates corporis participat, ita Mercatores ſplendent, Opifices & ſerui, à corpore myſtico, quod ſequuntur, participant ſplendorem: Nam & vmbra non eſt omninò ſine ſplendore, cùm ſit viſibilis, & per hoc diſtat à tenebris, quæ obtutibus corporeis non cernuntur, nec obijciuntur.

Ariſtoteles 3. Polit.

I. Mercatores non ſunt in corpore myſtico vt partes: ſunt tamen neceſſarij, & ſequuntur corpus, vt vmbræ vtiles.

Porrò bifidas vmbras cernere licet: Artificiales, & Naturales. Naturales cauſantur à ſole, vel face, aut candela. Artificiales, quas Pictores artificiosè varijs coloribus effingunt, quarum inter alia hic effectus eſt,

quòd quæ sunt propè vel præsentes, videantur esse à longè; harum specie infernalis artifex decipit plurimos, persuadens mortem, quæ iam prope est, & imminet, adhuc longè esse. Huic vmbræ assimilatur vita humana, & bona temporalia, à sacris literis Iob. *Protegunt vmbræ vmbram eius*, id est, bona temporalia, vitam mortalem. Naturales verò vmbræ comparari possunt statibus eorum, sine quibus Respublica esse non potest, & qui Rempublicam sequuntur vt vmbra corpus. Vmbra à re solida procedens, imbibit proprietates & conditiones rebus solidis proprias; hinc experientia edocuit, vmbram arborum, ficus, & nucum nociuas esse dormientibus sub vmbra illarum, & lædere caput; propterea etiam dicuntur nuces à nocendo. Vmbra verò aliarum arborum salubrior est; & tantò solidior est vmbra, quantò solidius est corpus, cuius est vmbra.

Iob. 40. v. 17.

Cùm igitur corpus mysticum superiùs illustratum, sit solidissimum & splendidissimum, vmbræ eius non sunt inanes (vt olim de animabus à corporibus separatis, errores antiquorum dicere solebant, aiebantque esse inanes vmbras, iuxta illud Virgilij in persona Reginæ Carthaginensis Dido: *Cùm frigida mors animæ seduxerit artus*
Omnibus vmbra locis adero)

Sed Reipublicæ vmbræ aliqualiter splendidæ sunt, non ita quidem fulgidæ vt corpus, verùmtamen non sunt inanes, aut vacuæ aliquo splendore, licet enim tactu non percipiatur, visu tamen cernuntur. Itaq; de splendoribus earum agendum est, & primùm de splendore Mercaturæ, vbi illustrandum est, qui contractus mercatorum sint splendidi, & qui tenebris inuoluti.

2. Et quoniam finis Mercaturæ est, lucrum & pecuniæ conquirendæ ratio, præmittendum est, quòd ratio lucri, ac pecuniæ conquirendæ, est multiplex. Naturalis scilicet, colybistica siue campsoria, fœnebris, vsuraria, ex his quæ iustior, illa splendidior. Naturalis est, quæ naturalibus ipsis rebus vendendis comparatur, frumento, scilicet, vino, oleo, & eiusmodi. Colybistica, seu campsoria, cùm pecunia pro pecunia permutatur, solâ locorum, ad quæ permutatur, ratione, plus capi, quàm dari contingit. Fœnebris, quâ ex rebus viliùs emptis, cariùs vendendo, aggregatur pecunia. Vsuraria, quæ ex pecunia, in tempus aliquod mutuata, quasi partus è matre prouenit. Prima omnium probissima, & splendidissima, quòd omnium iustissima; vltima improbissima, quòd iniustissima: mediæ plus minùs probæ, aut improbæ, prout ad hanc vel illam, plus, minùs, accedunt; proinde primam iubere oportet, medias pro opportunitate permittere, vltimam vt abominabilem probibere, & castigare.

Ratio mercaturæ est multiplex, & quædam sunt laudabiles, aliæ perniciosæ Reipub.

Præcipua in Mercatura & tenebrosiora sunt, in fœnore ac vsura, nimia lucra,

lucra; fœnus, & vsura, etsi pro eodem vsurpari soleant, seiungenda tamen sunt: nam fœnus, (si Festo credimus) naturalis terræ fætus, ob quam cau- *Fest. lib. 5.* sam & nummorum fætus, fœnus vocatum ait, & fœnum pratorum hinc appellatum, quòd ipsum manens quotannis nouum pariat. Cùm igitur pariendi modo careat pecunia, fœnus ex ea accipere iniustum est, & potiùs nominandum funus animæ, quàm fœnus.

Porro vsura ab vsu nomen accepit, est autem dicta, quasi vsum vrens; sicuti cura dicitur, cor vrens, hæc iniquissima est, eò quòd contra naturam, nam parere & generare naturalium est, artificialium autem monstruosum finem non habet, quòd à nummis incipiens, in nummos terminetur, vnde qui eam exercent, in nummis sibi finem constituere videntur. Furtum non lucrum est, quòd vsus non suus venditur, & sic quòd non debetur, capiendo, furtum patratur. Sanè vsus non suus venditur, quòd cùm pecuniæ vsus, absque ipsius substantia transferri non possit, cui est illius vsus, ad cuius manus transit. Vnde lucrando quis ex alieno vsu, ex re non sua lucratur, quod lucrari sanè non est, sed furari. Quod vulnus passim, vel hodie impunè infligi videmus, dum miseros egentes violentiâ, atque crudelitate fœneratorum, plerosq; patriâ, sed omnes famâ, atque fortunis priuari, experti sumus. Vetus querela, sed plaga noua. Hinc ad abominandum fœnoris, & vsuræ contractum Sacra Scriptura dicit: *Non* *Deut. 23. n. 19.* *fœneraberis fratri tuo.* Alij ex Hebræo transferunt, *non mordebis fratrem tuum,* morsu scilicet aspidis, quòd sicut aspis necat quidem, morsus verò non videtur, sic & vsurarius debitori substantiam sensim exhaurit.

Propterea & Hebræi inter se non exercent vsuras, sed in Christianos, 3. quia hostile commercium est vsura, & fœnerari est hominem occidere. *Ab illo,* inquit Ambrosius, *exige vsuram, cui meritò nocere desideras, cui infers arma, quem bello vincere non potes, ab eo exige vsuram, quod non sit crimen occidere: sine ferro dimicat, qui vsuras flagitat, sine gladio se de hoste vlciscitur;* vbi igitur vsura, ibi dolus, & bellum, & bifurtum; furtum duplum maius, quod & personis priuatis, & Reipublicæ nocet, quod prohiberi potest, extingui non potest; serpit enim hoc aspidis venenum, & non tam fœnebrem actionem, quàm funebrem pauperiem inducit grassando. Bonum est Principi Regna sua repurgare; nihil enim iniquius, quàm pauperum labore, ac sudore victitare. Bonum est Regnis conuiuiorum prodigentiam, & vestium luxum tollere. Optimũ vsurarios exterminare, qui & alieno ære viuunt, & prædâ ex proximis acceptâ luxuriantur.

Vsura quàm nociua Reipub. ideoque Hebræi inter se non exercent vsuram.

Ex nimio quoque lucro nullus splendor Reipublicæ, cùm sit inanis vmbra, quin potiùs multæ iniustitiæ cõmittuntur ex nimio lucro: quod vt manifestum sit, præmittenda est diuisio lucri. Lucra vel sunt spiritualia,

lia, vel temporalia: sicut & negotiatio, vel est spiritualis, vel artificiosa, & temporalis. Lucra spiritualia, quantumuis magna quærere omnibus permissum est laudabiliter.

4. Porrò inter lucra spiritualia, quæ sunt plurima, specialiter inter Christianos, controuertitur, an mors temporalis sit lucrum? Et illi quidem, qui nimium deflent mortuos, vt vulgus, putant maximum damnum esse mortem. Cæterùm Apostolus, per quem Spiritus Sanctus loquebatur, dicit esse lucrum: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Et reuera illud debet certum esse hominibus, quòd homo non est solum corpus, nec sola anima, sed compositum ex anima & corpore; non quidem corpus, quia magna differentia est, inter corpus animatum, & inanimatum: nec solùm anima, quia iam non esset pars hominis, sed totum: totum igitur est anima & corpus, vt vnitum. Vnde Christus in triduo non fuit homo, quia corpus, & anima non fuerunt vnita, licet à Diuinitate non fuerint dimissa. Hoc supposito, in confesso debet esse homini Christiano, quòd mors sit lucrum, & quòad corpus, & quòad animam, & quòad totum compositum: Quòad corpus quidem, quia licet mors corpus humanũ efficiat deforme, putridum, & in fauillam redactum; Deus tamen suo tempore manifestabit illam corporis corruptionem fuisse lucrum. Quemadmodum aurifaber, vt faciat vas aureum, vel argenteum politum, antiquiora confringit in partes minutiores, & igne arefactum fundit. Et hinc olim homines etiam sancti, magnas egerunt curas de sepulchris, Isàác, Iacob, & alij: Ioseph etiam præcepit transferri ossa sua de Ægypto, quia optimè nouerat, quòd corpus humanum seminatur in ignobilitate, resurget in virtute, & gloria: & tunc fulgebunt iusti sicut sol, mors illis vltra non dominabitur.

Mors non est nimiùm deflenda, quòd vulgus facit.

Ad Philip. 1. *n.* 21.

5. Item ex parte animæ mori est lucrum. Licet enim anima est immortalis, tamen dum est in corpore, multùm ab ipso aggrauatur. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*; Sap. 9. 15 quam continuò molestat, atq; eidem contradicit. *Caro concupiscit aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem,* inquit Sanctus Paulus. Multùm lucratur captiuus, si libertate donatur, multùm lucratur incarceratus, si ex carcere educitur: verum quidem est, quod insupportabile videtur, animæ relinquere tuguriolum antiquum, maximè quia non nouit palatia, quæ iubetur petere: sed postquam ingredietur palatium æternum, domum non manu hominum factam, tunc intelliget mortem esse lucrum. *Nam & infans, cùm egreditur de vtero matris, plorat,* vt inquit Gregorius Nissenus: *ex tenebroso, & angusto habitaculo: sed postquam nascitur, & videt solem, mundum herbis, & viriditate arridentem, cessat ploratus.* Certè iuxta hanc similitudinem mori, est nasci, & exire de hoc

Mors est lucrum, & quòad Corpus, & quòad animã, & totum cõpositum.

Ad Galat. 5. *n.* 17.

hoc mundo, est incipere viuere in cælo. Vnde & Ecclesia mortem Sanctorum vocat natale.

Hinc non aliter abominantur mundum translati in cælum, & res mundanas, atque nos abominamur pueros in plateis ludentes. Et quòd maximum, ac præcipuum sit lucrum visio Dei, quæ haberi non potest, nisi præcedat mors. *Non videbit me homo, & viuet*; Nec Sanctus Paulus raptus dicit se vidisse, sed *audisse arcana Dei.*

Tandem ex parte hominis, mori est lucrum. Homo quippe est anima, & corpus, vt vnita; his autem duplex est vnio, vna in conceptione, altera in resurrectione, & hæc multipliciter illâ perfectior. Tum quòd illa non est sine peccato originali, vnde magna infelicitas filiorum Adam. *Pereat dies, in qua natus sum, & in qua dictum est, conceptus est homo*, inquit Iob. *Iob. 3. 3.* Hæc autem quæ erit in resurrectione, est in gratia, & in gloria. Tum quia illa vnio, & nexus semper deficit, quousque totaliter dissoluatur, hæc autem, quæ erit in resurrectione, est perennis, ita vt de illa dici possit, *Creauit Deus hominem inexterminabilem.* Tum tandem, quia illa vnio est *Sap. 2. 23.* fragilis, potest illam dissoluere aqua nimia, frigus nimium, etiam ipse hominis aspectus venenosus potest illam tollere. Tum denique, quia illa vnio, & nexus, est funiculus argenteus, hic autem aureus, *donec rumpatur* *Eccles. 12. 6.* *funiculus argenteus, & recurrat vita aurea*, inquit Ecclesiastes. In illo nexu, & vnione, resplendet sapientia Dei. *Mirabilis facta est sciemtia tua ex me.* In hac *Psal. 138.* autem, quæ fiet in resurrectione, resplendet Dei omnipotentia: prædicta itaque lucra desiderare, licitum, & laudabile est.

Nec solùm licitum est omnibus Christianis negotiari, & quærere lucra 6. spiritualia, sed & vsuram à Deo accipere permittitur, ratione lucri cessantis, & damni emergentis, vt insinuat Diuus Paulus, cùm ait ad Phi- *Lucra spiritualia sunt laudabiliter quærēda, temporalia possunt esse nociua, si nimia.* lip. 1. 21. *Mihi viuere Christus est & mori lucrum.* Iam satis declaratum est, quòd mori sit lucrum, & viuere est damnum, tribulationes, molestiæ, pericula, anxietates, tædia, quæ pungunt cor humanum, & spicula infigunt, de die & nocte: igitur si in proximi vtilitatem, ex voluntate Christi, differtur lucrum, differtur mors, & prolongatur damnum, quod habet vita præsens, iuremeritò potest accipere vltra sortem, ratione damni emergentis, & lucri cessantis. Talem vsuram accepit Diuus Paulus, *dum raptus fuit in cælum*, & prolongatione vitæ, in gratiam salutis proximorum. Et Diuus Ioánnes reuelationes in Apocalypsi.

Cæterùm accipiunt consolationes spirituales aureolas, ob mutilationem, & prolongationem vitæ præsentis, & dilationem futuræ. Hæc de lucris spiritualibus.

Porrò lucra mercatoria temporalia, Reipublicæ nociua esse possunt

rebus publicis, & priuatis, si nimia cupido inuaserit mercatores, quæ obest, ne disciplinâ, artes, ingenia crescant, & hominum mentem, quamuis prudentem peruertat: quare cupido hæc nimia lucri tollenda est, ne artem mercatoriam in abusum inducat, ne in Republica cornua leuent mercatores, & vnde altior fieri procuratur mercator, inde profundiùs deprimatur. Sacrum verbum est, nec fallax, quòd *domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbiâ*, adeò, vt vix vlla prudentia reparare collabentem poterit.

Eccli. 21. 5.

Lucro nimio, vel sapientiâ illigatur; sed mala sapientiâ, quæ à lucro illigari se sinit: Lucri igitur abusus tollendus, & excessus reprimendus, vt ad salutem Reipublicæ tantùm, & commodum mercatorum moderatum deseruiat. Quòd si nimia cupiditate lucrum quæsitum, vituperabile est, in mercatoribus moderatum est laudabile.

Lucrum nimium ex contractibus est adeò pestilens, vt hominis mentem, quamuis prudentem, violet, & legis sanctiones peruertere machinetur. Vnde maximum bonum sibi, & humanæ genti afferunt Principes, si vel nimium pecuniæ studium sustulerint, aut quod res feret minuerint. Aliter neque priuatas res, neque publicas, neque domi, neque militiæ rei posse præclara ingenia senserunt. Vbi enim diuitiarum cupido inuasit, neque disciplina, neque artes, neque ingenium vllum satis pollet, quin animus, magis aut minus naturæ postremò tandem succumbat.

Neque iam sunt exempla Regnorum, & Rerumpublicarum, quas opulentia à summo culmine deturbauit, quo inopes per virtutem ascenderat. Quod autem diuitiæ vel ad nutriendum sunt, vel ad instruendum ad virtutem, non plus ex illis affectandum, quàm quòd ad vtrumque sint satis, vt & paupertatis miserias effugiant, & diuitiarum inuidiam, patrimonij moderatione vitent. Et quod Rex à Deo desiderat, id à Rege populus capiat, æquum est, nec diuitias scilicet, nec paupertatem; quando ex vtrisque, par impietatis periculum imminet.

7. Si iustè & moderatè tractetur mercatura, est vtilis.

Quod si iustè, & moderatè mercatura tractetur, non vulgarem splendorem, vtilitatem, emptione, venditione, & commercijs affert Reipublicæ. Et primùm quidem splendor est, vt non quærat lucra, ex insatiabili cupiditate, sed vel propter necessitatem, vt scilicet satisfacere possit statui suo cum decentia, & familiæ: vel propter aliàs pias causas, vt puta secundùm Diuum Thomam, propter publicam vtilitatem; aliàs illicita est mercatio, vbi mercator finaliter constituit finem in lucro. Mercari enim propter substantiam cumulandam, & propter improbam diuitiarum cupiditatem, & curiositatem, seu propter alium finem ma-

D. Thomas 22. qu. 77. art. 4.

lum,

lum, illicitum est, & culpa mortalis, quia hæc prohibita sunt omnibus. Ex his ergo patet, quòd mercari, vt ex lucro cumulentur, ob sæculi vanitates, & pompas, in se, aut in vxore, vel familia, diuitiæ, illicitum sit, & culpa mortalis. Duo sunt vmbræ à sole procedenti contraria, nimia claritas, & tenebræ; sicut enim tenebræ, ita & claritas solis tollit tenebras. In tenebris vmbra non est, neque item in luce, quemadmodum enim oculo non percipiuntur, quæ nimiùm distant, & nimiùm appropinquant, quoniam sensibile positum supra sensum, non facit sensationem. Et sicut nimia paupertas, & superfluæ diuitiæ sunt nociuæ, ita & nimia mercatorum opulentia, & expensæ, & nimia paupertas Reipublicæ obsunt. Tales enim expensæ immoderatæ, insatiabilis sunt abyssus lucrorum, etiam iniquorum, sicut Propheta ait: *Abyssus abyssum inuocat.* Ex his etiam potest intelligi, quòd mercator licet nullum mendacium, nullam fraudem, nullum periurium, nihilquè aliud iniustum, (quod committere solet hoc hominum genus) in mercationibus suis committat, nihilominus non excusatur à peccato, non propter aliam iniustitiæ causam, nisi quia auidè, licet alias iustè, exerceat mercatoriam artem, de talibus enim scriptum est. *Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat*, scilicet in mercantijs, *nec tamen satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens cui laboro, & fraudo animam meam bonis*? Sed & hoc mirabile est, & valde dolendum, quòd cum non pauci tales reperiantur, nullus, vel saltem paucissimi inueniuntur, qui de hoc sibi conscientiam faciant. Ex quo iterum infertur, quòd vendere carius nimio, quàm ematur cupiditatis causâ, est turpe lucrum & iniustum; turpe à Doctoribus reputatur, dum quis sine necessitate res emit, tempore quo minùs valent, & ex sola cupiditate seruat ad tempus, vt cariori foro vendat, vt patet in capite. *Eccles. 4. n. 8.*

8. Alia conditio, seu splendor mercaturæ est, vt iustè vendat tam transeuntibus, quàm commorantibus, tam ignorantibus & simplicibus, quàm intelligentibus & discretis. Vnde statuit Concilium Sacrum, quòd Presbyteri moneant plebem suam, vt hospitales sint, atque nil cariùs transeuntibus, quàm ibidem commorantibus vendant. Vtinam tamen ad hoc attendant plures, qui postposita animæ salute, sæpe simplicibus, aut alienis cariùs vendunt, quàm expertis, aut notis. Vtinam quoque illi aduertant, qui vel non defendunt à tali iniustitia agrestes, vel qui in numerando, vel dando pecunias, errores commissos non reprehendunt, videant num maioris culpæ non sint debitores?

Conditiones mercaturæ, quæ iustificãt ipsam, & laudabilem reddunt.

Conditio item, seu splendor mercatorum est, vt abhorreant à damno Reipublicæ, nec vllo modo proprium commodum præponant bono

communi, & si qui huiusmodi sint illorum, fideliter reprehendantur, & pro posse contractus impediantur. Aduertit enim Doctor subtilis Scotus, quòd tria sint hominum genera, quæ cum vtilitate & commodo Reipublicæ, in mercatoribus contractus exercent: videlicet, mercationum apportatores, mercationum conseruatores, mercationum melioratores. Primi sunt mercationum apportatores, illi videlicet, qui merces portant de illa patria, quæ eis abundat, ad partes, quibus tales sunt vtiles, & necessariæ. Talis enim mercator, qui res affert de terra, quæ illis abundat, ad Patriam illis indigentem, prætendit vtiq; actum Reipublicæ vtilem, & honestum. Secundi sunt mercationum conseruatores, qui quantitatem quandoque magnam mercimoniorum emunt, vt aptiùs suo tempore, ab emptoribus mercationes venales habeantur, & iusto pretio vendantur. Mercimonia de longinquo portantes, non sine graui incommodo possunt semper vendere illa, nec etiam quilibet indigens, potest statim currere ad emendum ea; ex quo patet, quòd tales mercationum conseruatores, non ad proprium commodum præcisè, sed ad vtilitatem, & necessitatem maximam Reipublicæ, deseruiunt, ideo commendandi, quod manifestum est in mercimonijs, quæ ex Venetijs, & alijs locis apportantur.

9. Tandem sunt mercationum melioratores, qui sua industriâ, labore, & arte, aut temporis varietate rebus meliorationem tribuunt, & variè meliorant, sicut faciendo de lana pannum, de cute corium, de corio calceos, de ferro & chalybe cultellos, & sic de aliis: & tales etiam Reipublicæ vtiles iudicantur. Omnes ergo supradicti, qui Reipublicæ vtiles sunt, lucrum, & commodum licitè reportare possunt, consideratis quinque conditionibus mercatorum, videlicet, industriâ, solicitudine, laboribus, periculis, & rebus non semper lucrosis. Vnde quòad primum, si mercator non esset industrius in rerum valoribus, pretijs, expensis, periculis, & commoditatibus subtiliter examinandis, talis profectò, ad hoc non esset idoneus, & vtilis Reipublicæ, neque sibi ipsi. Similiter quòad secundum, necessaria est in mercando vigilantia, & solicitudo. Et tertio sæpe multi labores concurrunt, in circumeundo per mare & terram, cum multiplici timore, & maximo vitæ discrimine. Sic quarto, multa concurrunt sæpe pericula, in proprijs personis, in mercibus emptis, ratione inundationum, aut insidiarum, vel bellorum. Similiter quinto, ratione damnorum, quia adhibitis industrijs, solicitudinibus, laboribus, & periculis non semper lucrantur. In prædictis enim casibus lucrum quæsitum, ex mercantium opere, siue licito artificio, videtur esse iustum, & licitum. Cæterùm secundum

Requisita in mercatoribus explicantur, vt sint vtiles Reipub.

91. Distinct.

cundum

eundum Scotum, vbi supra in translatione negotiatiua, tunc est iniusta, cùm officit Reipub. actus eius, vel si immoderatè quis lucrum recipit à Republica, vltra industriam, diligentiam, solicitudinem, & pericula.

Denique conditio, seu splendor mercaturæ est, vt omnibus modis desistant in diebus Festis, ab omni actu mercandi, siquidem est præceptum euidens : *Memento vt diem Sabbathi sanctifices, omne opus seruile non facietis in eo.* *Exodi 20. 8.*
Sed heu, ad tantum abusum mercandi actus peruenit, vt nundinæ, *Leuit.23.n.21.*
mercatorum conuentus, magis fiant diebus festiuis, quàm alijs diebus! omnes ergo tales damnantur grauissimo, & horrendo supplicio. 10.
Ideò pro consolatione talium, & illorum signanter, qui habent timoratas conscientias, videtur mihi sub correctione maiorum dicendum: quòd si ex necessitate, aut alia iusta causa, quis cogatur, eo die festo mercari, non peccet; vt fortè, quia alio die res non sic inueniret venales, quas in Festo emere posset; vel forte vendens, tali die festo, propter conuentum pauperum, (qui ferialibus diebus laborant) commodiùs vendere non valeret: & sic sibi, & suorum necessitatibus, & pauperibus subuenire haud potest, non peccat: si tamen antequam vendat, vel emat, tempore quo agitur Diuinus cultus, ei intersit, scilicet Officio Diuino, & verbum Dei audiat, & tandem cum timore, peracto prandio, siue Diuino Officio absoluto, emat, vel vendat ea, quæ pro necessitate sua sibi forent vtilia; quod vtique est contra illos, qui ex sola cupiditate emunt, & vendunt, dimissis officijs, & verbo Dei, imò aliquando nec Missam audiunt in die Festo, ita quòd tanta sit cupiditas temporalium, quòd nihil sapiant spiritualia, & æterna, sed sola terrena, & transitoria, transgredientes Diuinum præceptum, de sanctificatione Sabbati.

Diebus festis mercaturas relinquere suadetur, & cautè conceditur.

Vltimus splendor mercatorum est, vt à mercatione abstineant in locis sacris, atque Deo dicatis, videlicet Ecclesijs, cæmiterijs, & alijs locis sacris, &c. Nam eos, qui non parcunt locis sacris, siue Diuino cultui dedicatis, reprehendit ipsemet Christus Dominus, dum ardentissimo zelo ductus, *intrauit in templum, & eiecit omnes vendentes* : non legitur autem alicubi in toto Euangelio, quòd Dominus tantam iram, contra peccatores ostenderit, sicut ibi : *Quia decet domum Dei sanctitudo.* Et *factus est in pace locus eius.* Cultus Dei sit debita cum veneratione pacificus, sitque ad Ecclesias humilis, & deuotus ingressus, sit in eis quieta conuersatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes, non solùm instruat, sed etiam reficiat.

Matth. 21.12.
Marci 11. 15.
Psalm. 92. 5.
Psalm. 75. 3.
Textus 88. *de c. consequ. extra de empt. & vendit. in caput Placuit.*

CAPVT II.

Splendor Vmbraticus Opificum, seu Artificum Mechanicæ artis proponitur.

II. Quam ob causam opifices, & artifices mechanici non sunt partes Regni? *Arist. in libro quæst. Mechan.*



NVllus dubitat opifices, & artifices mechanicæ artis, partes Reipublicæ, aut Regni non esse, nec in classem Ordinum Regni referendos, quia finis politicus est inducere pacem, ordinem, & diuitias in Rempublicam. Finis au. .n artificum est, victus manuali labore quæsitus; necessarios tamen Reipublicæ, ob indigentiam, docet Aristoteles: *Artibus* (inquit) *superamus ea, quibus à natura vincimur*, nam post peccatum primi hominis, homines ad laborem, & industriam damnati sunt; non tamen æquè omnes laboriosi, æquè industrij esse possunt, sed diuersis industrijs præditi sunt, sicut corporis membra diuersos actus habent, singulos tamen pro toto corpore ordinãt, & sua alijs communicant, & de alienis participant. Sic & in Reipublicæ corpore, singuli homines labore, & industriâ Rempublicam, & seipsos mutuâ ope iuuare debent. Porrò artifices propter industriam, & diuitias arte acquisitas, non egent, iuxta illud dicterium: *Satis diues, si ex arte viues. In quadam Republica*, inquit Aristoteles, *ciues erant, in alijs soli serui, & peregrini sunt artifices; optima tamen,* inquit, *ciuitas, nunquam opificem faciet ciuem.* Cæterùm possunt esse participes potestatis ciuilis, iudicandi, decernendi, & capaces honoris in ciuitate, seu regimine ciuili, non autem Regali: nam loquendo de partibus, & dignitatibus, ac honoribus in regimine Regali, ibi ornamento quidem esse possunt, & vtilitatem magnam afferre, ita quòd partes Regni sine ipsis commodè esse non valent, non ideo tamen ad Ordines Regni, & honores admittentur. Cuius ratio est, quia ad Rempublicam regendam, & virtutem comparandam, in qua felicitas Reipublicæ consistit, opus est quietè, & otio; artifices autem laboribus occupati sunt. Deinde non portant arma, nec ex censu viuunt, ideoque inter Magistratus, consiliarios, bellatores, qui propriè sunt partes Reipublicæ, computari non possunt, quicquid sit de opinione Platonis, Socratis, &c. Lycurgi, Hippodomi, Lacedæmoniorum, Cretensium, de quibus Philosophus in libris Politicorum, & Diuus Thomas de regimine Principum.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 3.

Aristot. lib. 2. Polit. cap. 8. D. Thomas de regimin. Princip. cap. 4. Sapien. 7. 21.

12. Primus inter artifices Deus.

Habet tamen ars suos splendores, & inprimis, quòd primus inter artifices est Deus, iuxta illud: *Omnium artifex sapientia*; ideoque ille est, qui omnes artes egregiè callet, pollet arte aurificâ: sic enim ex vase contumeliæ, fecit vas gloriæ, ex persecutore Apostolum, ex Saulo Paulum,

Act. 15. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum, &c.* Similiter auream coronam, arte admirandâ fabrefactam profert, dum malleo tribulationum percutit aurum ductibile, cordis hominum, patienter tolerantium aduersitates, vt ipse per Isaiam testatur: *Eris* (inquit) *corona gloriæ in manu Dei tui.* Pollet arte sculptoriâ: *Qui vicerit, faciam illum columnam in Regno Patris mei, & scribam super eum nomen, &c.* Pollet arte faciendi naues: *Facta est quasi nauis institoris.* Pollet arte faciendi thronos, & sedes quietis: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & qui est Spiritus eius, super vos requiescit.* Est excellens Musicus: *Exurge Psalterium meum cum cythara.* Quàm nobilis cythara Christus in Cruce, exurgens gloriosè in resurrectione? De Iubal refert Sacra Scriptura, quòd *ipse fuerit pater canentium cytharâ*; sed multò veriùs id de Christo dici potest. Quòd si consideremus cælorum, & sphærarum, atque motus Planetarum, influentiam stellarum, &c. summum artificem Deum non solùm prædicabimus, sed & plurimis laudibus efferemus. Alius isti succedens, Artifex est, Verbum incarnatum Christus summus Artifex, de quo Leo Papa: *Artifex misericordiæ Dei, in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem aspiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret; hic artifex vt Deus, nimirùm, Verbum æternum, cernitur in fabrica oculorum, præcipuè in pupilla fabricanda tot membranulis tecta, quæ confert vim, & virtutem cernendi immensam, cùm ipsa sit exiguæ quantitatis.* Verùm nec minori arte cæco nato restituit visum, vt Deus incarnatus, vt artifex arte sapientiæ suæ correxit defectum naturæ, & quæ in cæco nato defecerat, Verbi Diuini arte restaurauit. Hic idem artifex in manibus, pedibus, ac latere Sancti Francisci depinxit Stigmata diuino planè artificio.

Actor. 9. n. 15. *Isaia 62. 3.* *Apoc. 3. 12.* *Prou. 31. 14.* *1. Petri 4. n. 14.* *Psalm. 107. 3.* *Leo PP. ser. 11. in Quadrag.*

13. Alius artifex Verbum incarnatum, anima quoque inter artifices computatur, & Reges industrij.

Anima quoque rationalis, inter artifices collocari potest, quæ per potentias proprias, tanquam per instrumenta, mira operatur, inde Aristoteles dicit: *Quòd mens, est opus naturæ, per potentias verò, tanquam per instrumenta producit lumen, deseruiens homini ad speculandum, & libertatem in agendo.* Intellectu producit artes institutionis, vt Grammaticam: Instructionis, vt Dialecticam, Rhetoricam: Eruditionis, vt peritiam linguarum: Cognitionis, Theologiæ, Philosophiæ, Medicinæ, Mathematicæ, Iurisprudentiæ. Voluntate autem producit artes actionis: & hoc manualis, atque Moralis: Moralis, vt Ethicam, Oeconomicam, Polyticam. Actionis manualis, vt Architectonicam, Militarem, Agriculturam, & Nauticam; has artes, quæ sunt actionis, producit per voluntatem, quibus adijci possunt artes delectationis, vt sunt Poësis, Musica, Pictura, Sculptura, ex his facilè innotescit, maxima horum instrumentorum animæ nobilitas, quæ per tot artes producit, ita vt doctissimi Theologi dubitârint,

bitârint, quodnam ex istis instrumentis nobilius esset, nùm intellectus, an verò voluntas? & quod ex ipsis comparandum sit ad Solem, quod item ad Lunam?

Reges quoque, inter artifices industrios, imperandi gnaros, numerat Gregorius Nazianzenus: *Reuera mihi,* inquit, *videtur ars artium, & disciplina disciplinarum regere hominem, qui inter omnes animantes, & moribus varius, & voluntate diuersus, & quod periculosius est, infensus semper eis, qui sibi præsunt, qui die, noctuque insidias meditatur, fraudes molitur, nouisque rebus studet.* Leo in leonem non sæuit, nec pardus in pardum, & quælibet animalia in suo genere congregantur, ipsaque dimicant communibus viribus contra dissimilia: Homini verò insidiæ semper, & ab homine plurima mala, adeò, vt solus ex omnibus animalibus, in suo genere tutus esse non possit. Verum sanè est illud

Aristot. lib. 1. Polit. cap. 22. Aristotelis oraculum: *vt optimum animalium est homo, cùm ratione regitur, ita deterrimum, cùm rationi non obsequitur.* Tunc enim rabies hominis, omnium ferarum excedit sæuitiam, nam feræ beneficijs aliquando mansuescunt, at homines sunt lèópardis crudeliores, quibus cùm benefeceris, peiores fiunt; quapropter magnâ arte, & industriâ opus est ad regendum hominem, ideoque iuremeritò Reges inter magnos artifices computantur. Hinc splendor Artis, atque Artificum.

14. Verùm non de prædictis artificibus hîc nobis sermo est; adsunt artifices manuales, de quibus modò loquendum est, seu artifices mechanici, qui quidem sunt necessarij in Republica, ita vt sine illis multitudo nulla commodè viuere possit. Horum primus splendor est, quòd in tanta veneratione apud Reges fuêre, vt ipsos Patres suos nomine voluerint, quod sanè mirum est; nam & Romani, solis amicis populis, cognatorum, fratrum, consanguineorum, & eiusmodi necessitudinis nomina, ingenui animi signum tribuere solebant. Nihilominùs tamen præter testimonia, quæ & à Gentibus desumi possunt, ex sacris literis id colligitur. Nam & Hiram collaudans Salomon, egregium artificem, quem illi expostulato

Artifices manuales, seu mechanici, sunt necessarij in Repub.

2. Paral. 2.13. mittebat, sic illum allocutus est: *Misi tibi Hiram* (sic appellabatur artifex) *patrem meum, prudentem, & scientissimum fabrum, qui omnia exactè operari nouit.* Et

2. Paral. 4.16. hic idem Salomonis etiam pater vocatus fuit. *Omnia,* inquit Sacra Scriptura, *vasa fecit Salomoni Hiram, pater eius.* Tantus fauor magnorum Principum erga artifices, an ex Principum humanitate profluxerit, an ex Diuina intimatione, ambiguum est? hoc certum existimandum, artifices in operando secundùm artem, habent conformitatem agendi cum Deo, & anima rationali.

Cæterùm, maximopere egent Respublicæ artificibus, tum ex necessitate, tum ad solatium, tum ratione dignitatis, quòad modum operandi.

Ex necessitate quidem, quia Respublica consistere non potest, nisi adsint omnia necessaria, quæ ad solatium, & commodum spectant. Ad solatium spectat Theatrica ars, scilicet, ars ludorum, siue in cantibus, siue in organis, siue in figmentis, siue in gesticulationibus corporis. Ad commodum verò, quod necessarium est ad operimentum, & alimentum molle, vel durum. Si molle, & lene, sic est lanificium: si de materia dura, & forti: sic est necessaria armatura, seu ars fabrilis, & hæc continet omnia, quæ fiunt, siue ex metallo, siue ex ferro, siue ex ligno. Ad alimentum verò, siue cibum prouidendum, necessariæ sunt aliæ artes: nam cibamur vel vegetalibus, vel sensibilibus: quantùm ad necessitatem vegetabilium, requiritur agricultura: quantùm ad necessitatem sensibilium, seu præparationem ciborum diuersorum, sic est venatio, piscatio, &c. His adijci potest necessitas artis nauigatoriæ, ad deportandum, quæ desunt quòad cibum, potum, & operimentum in Regnis, & sic est mercatio, seu ars mercatoria, quæ subministrat necessaria, tollit impedientia: sicut medicina remouet impedientia, aut subministrat iucunda, & hæc consistit in confectione electuariorum, siue potionum, siue vnguentorum, siue curatione vulnerum, siue decisione membrorum, vt est chirurgia, &c.

15. Splendor artificum ex modo operandi.

Ex modo etiam operandi in ordine ad Deum, non minorem splendorem habent artes, quoniam sicut Deus operatur, per ideas, & formas in mente Diuina ab æterno existentes, de quibus strenuè disputant Theologi: An præcesserint productionem Verbi, vel sequantur? de quo fusè in Commentarijs. Deus enim priùs produxit mundum in mente sua, postea crëauit ipsum, & vniuersa crëabilia: similiter, & artifex priùs producit operabile artificiosum in mente, quàm extra in reali existentia. Priùs enim, exempli gratiâ, faber lignarius producit domum in mente, quàm extra in reali existentia, & sic cæteri artifices, qui tamen nō producunt formas substantiales, sicut Deus producit, sed artificiales tantùm.

Imitantur quoque in modo agendi animam rationalem, quia sicut anima sine lumine non operatur, quòad veritates intelligibiles, quòad veritates rationales, naturales, morales, & quòad veritates supernaturales, sine lumine supernaturali, acquirendas necessarias ad saluandam animam; ita neque ars operatur sine lumine, respectu formæ artificialis, sicut anima respectu formæ naturalis, intellectualis, & veritatis salutaris: differunt autem, quia lumen operationis animæ est intrinsecum, lumen, inquam, siue naturale, de quo dicitur: *Signatum est super nos lumen, &c.* siue cognitionis sensitiuæ, siue cognitionis Theologicæ.

16. Alij splendores artificum consistunt in fidelitate, industria, & fuga otij, & re-

Splẽdores artificum in fidelitate, industria, & fuga otij cōsistunt.

& reuera, sine fidelitate nociui sunt Reipublicæ artifices, & dum subtrahunt aliena, & dum miscent viliora metalla perfectioribus; vt igitur omnes artem sibi quærant addiscendam, præcipiendum est, quia, vt dictum est, *Satis diues, qui ex arte viues.* Quidam Princeps, vel potiùs monstrum Principum, id insinuauit, dum denunciantibus Mathematicis fore futurum, vt tandem à subditis destitueretur, fidenter respondit: *Artem terra omnis nutrit,* innuens, quòd imperio eiectus, citharædicâ arte victum sibi quæreret, sed quantùm deceptus fuerit, re ipsâ expertus est; qui enim suam illam præclarissimam artem regendi imperij negligebat, miserè decessit.

Certè artes omnes, tametsi ad publicum Reipublicæ commodum, instructæ sint, ad priuatum tamen cuiusq; compendium ordinantur, etiamsi aliquarum quæstus improbentur, ceu quæ in hominum odia incurrunt, item infidelium, illiberalium, scilicet sordidorum, portitorum, fœneratorum, mercenariorum, quorum opera, laboresque, non artes, coëmuntur, inexhaustos diuitiarum thesauros artes afferunt, dum tanquam ex fontibus, quasi perennes fluuij effluunt; naturæ ipsius æmulæ, & virtutis magistræ sunt artes, nam sicut natura nihil est aliud, quàm artis Diuinæ ratio, sic & ars nihil aliud, quàm naturæ auriga, ad actus humanos faciliter, & ordinatè perficiendos. Verùmtamen si infidelitate artes deturpantur, & denigrantur, abominabiles sunt, & ad augendas opes Reipublicæ ineptæ. Quòd si splendore fidelitatis fulgent, sanitatem, & vtilitatem Reipublicæ afferunt. De hac fidelitate artificum dici potest id,

Cant. 5. v. 14. quod denunciauit Sponsa de Sponso suo, *Manus eius aureæ, plenæ hyacinthis.* Manus dicit Sponsa esse aureas Sponsi, quia sunt similes capiti, quod etiam dixerat esse aureum; quia non sufficit artifici industria, sed requiritur fidelitas: vt sicut industria est persimilis auro, quòad ingenium, ita & manus, quòad fidelitatem. Vnde non sine causa dixit, *Manus eius debere esse tornatiles*, & plenas hyacinthis, quia res tornatilis ad instar globi, nihil detinet in superficie, sed quidquid apposueris ad manum tornatilem, in superficie, siue aurum, siue gemmas, statim decidunt, & nihil retinet. In quo insinuatur fideles debere esse artifices, & nihil pro se retinere, præ oculis habentes exemplum, non solùm fidelium, sed & sanctorum architectorum, & artificum Bezelëel, & Ooliab, qui sicut fuerunt industrij, ita & sancti. Industrij quidem, quia speciali lumine illustrati fue-

Exod. 36. 1. runt, in fabricanda Arca, vt testatur Sacra Scriptura: *Dedit* (inquit) *eis Dominus sapientiam, & intellectum, vt scirent fabrè operari,* & sic illos Deus erudiuit ad rectè operandum, & sanctitate condecorauit, vt aduertit Sanctus Augustinus: *Notandum* (inquit) *quòd operum effectores, sancti quoq; moribus erant.* Et

Et vnde, quæso, colligitur sanctos fuisse? Quoniam fideles erant in dispensandis donarijs populi. Tradidit enim Moyses eis omnia donaria filiorum Israël, ex quibus liberaliter oblatis, poterant, si voluissent, multa auferre, abstinuerunt tamen à furto, sed accedentes ad Moysen dixerunt: Plus offert populus, quàm necessarium est. Poterant etiam falsificare metalla, viliora pretiosis admiscendo. Poterant & alijs pluribus modis defraudare, neque tamen id egerunt, ideo sicut industrij, ita & sancti fuerunt. *Exodi 36. n. 5.*

Habent quoque artifices suum splendorem vmbraticum, si non vacant otio: otium in artificibus est venenum Reipublicæ, omnes quidem otiosi, sunt pestis Reipublicæ. Ex otio lites, & contentiones, otij arma sunt psallere, cantare, saltare, tympana, tripudia, instrumenta luxuriæ omnia, intempestiua conuiuia, loci amœni, atque tandem multarum deliciarum comes saltatio. Sed horum quis finis? populi eneruatio, & ingenium obtusum, otium ingenij rubigo est, omnibus quidem iucundum, sed omnium ingenia rubigine tegit, & coöperit, vt nemo sit, qui sciat, quid sit verè bonum, adeò fit populus eneruis omnis, atque hinc Reipublicæ in ruinam inclinatio est, prout scripsit Poëta:

Otium, Reges, simul & beatas perdidit vrbes.

Omnibus itaque otium prohibendum est, sed præcipuè artificibus. *Non decet*, inquit Aristoteles, *otium seruos, aut artifices, sed multò magis ebrietas, lusus damnabilis.*

Artifices enim, & labore, & arte, & seipsos, & Rempublicam ditare debent, si non solùm præsentia, & temporalia bona, sed & æterna acquirere volunt, opificio suo diligenter attendant. Quilibet *homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Amissis auis alis, facilè capitur, & homo sine manibus, sine labore facilè à dæmone superatur, quoniam *otiosus complicat manus, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plenæ manus cum labore.* Solo desiderio viuit piger, & desideria occidunt pigrum; sicut desiderans deuincere inimicum, & abijciens à se arma, seipsum interficit: sic piger abijciens instrumenta artis, furtis, & rapinis animam suam interimit. Notanter autem dicitur otium esse nociuum, non quietem. Nam quiescendo anima fit sapiens. *Opus est*, inquit Aristoteles, *quiete ad virtutem comparandam, & Rempublicam gubernandam.*

17. Ditare possũt artifices, & seipsos, & Rempub.

Iob. 5. n. 7.

Eccle. 4. 5. 6.

Quòd si in cæteris hominibus otium vituperabile est, & pœnâ dignum, quantò magis in opificibus? Vnde plures Politici suadent, pro conseruandis commodis Reipublicæ, artifices esse remouendos ab otio, præmijs, & pœnis Reipublicæ; bilances sunt præmium, & pœna, his solis in æquilibrio contineri possunt, & si vniuersaliter omnes populi, in alteru-

tra tamen præcipuè omninò appendendi sunt artifices, & ab otio, ad labores compellendi.

18. Luciferi superbia, quòd sedere volebat.

Lucifer otio interijt. & æternæ traditus est pœnæ. Seraphines labore supremum post Deum gradum adepti sunt. *Sedebo, Lucifer dicebat*, inquit Propheta, *in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo*. Vbi Chrysostomus: *Sedebo, inquit, otiari tentat, & simul Deo approximari*. Inepta stultitia, & intolerabilis error, nullam quippe creaturam otium bëat. De Seraphin verò dicitur: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & Seraphin stabant*. Deus sedet, Seraphin stant; stant, inquam, inquit D. Bernardus: Seraphin, hoc est, summè mouentur, quandoquidem, vt docet Mercurialis, *nullo labore magis mouetur homo, quàm stando, tunc enim singulæ corporis partes dum agitantur, motum, & laborem patiuntur*. Hinc Bernardus ait: *Sola* (inquit) *sedet Trinitas, quæ sola habet immutabilitatem. Sola est, apud quam non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*. Seraphin stant extendentes se, & intendentes in eum, in quem conspicere concupiscunt. Qui sedere præsumpsit, seipso voluit esse contentus; tu sedere tentasti, ô impie, propterea *tui moti sunt pedes, & effusi sunt gressus*. Nemo circa Deum immobilis, nemo otiosus, quia nemo est, qui vicissitudinibus non subiaceat, qui non possit mutari, ideo qui Deo vacant, fugiant otium, operi, & labori incumbant, quia egestatem operatur manus remissa, manus autem fortium diuitias parat. Egestatem parat manus otiosa, eò, quòd quasi digito ad se egestatem inuitat, & non tardat, nam vt inquit Salomon: *Si paululùm conseras manus, vt dormias, & veniet tibi tanquam viator egestas, & pauperie quasi vir armatus*, qui te tradet lictoribus, & lictores morti, & iudici.

Isaiæ 14. n. 13. *Isaiæ 6. 1.* *Mercurialis de Arte.* *Prou. 6. 11.*

19. Artificum itaque hi sunt splendores: fidelitas, industria, continuus labor, & fuga otij.

Verùm quia seruiles sunt prædictæ artes, & longè à quiete ad virtutem comparandam necessariæ, & Rempublicam administrandam, ac Magistratus exercendos, non decet viros nobiles, vt ad humiles artes sese demittant, emolumenti gratiâ: pluris enim est honor, qui transit, quàm opes, quæ parantur.

Si nobiles ad magnanimitatem naturâ duce feruntur, naturam ducem sequantur, ne suo se spolient honore, quod si in periculo honorem exposuerint, exercendo artes mechanicas, vix securam habebunt vitam, & honorem; sic enim eueniet, vt vir nobili loco natus, & artes exercens, quæ ad generosos non spectant, sed sunt illi dedecori, & amicis quoque vniuersis probro, dum neglecto Equestris ordinis officio, ad obeundum artificis munus se demittit. Dixi, emolumenti gratiâ, quia Aristoteles in Politicis, *permittit etiam Regibus, lætificandi animi gratiâ, plures artes addiscere*.

Arist. 8. Polit.

CAPVT

CAPVT III.

Splendor Seruorum Vmbraticus.



QVod Aristoteles in primo Politicorum, & alius distinguit de duplici Principatu, scilicet, Politico, & Despotico; quorum quilibet habet suos ministros, pertractat: Et Diuus Thomas de regimine Principum; vbi etiam inter Principatum Politicum, & Despoticum, constituit medium Principatum Regalem: ibidemque probat pluribus rationibus, Principatum Politicum moderatum debere esse: & hic est vnius hominis magistratum ad certum tempus, & regimen exercentis, qui cùm nihil possit agere, nisi secundùm leges, distinguitur à dominio Regali, vbi partim legibus, partim lege in pectore Principis censetur: & sic est Dominium atque Principatus Principis ad subditos. Despoticum verò dominium est, Domini ad seruum, quod quidem Græcum nomen est, vnde quidam Domini cuiusdam Prouinciæ adhuc hodie, inquit Diuus Thomas, *Despoti* vocantur, estque Dominium animæ persimile in corpus, quod subijcitur imperio eius, nec resistere potest pes, aut manus, mouente animâ: sic seruus est in potestate Domini, ad nutum in omnibus ei obediens, sicut instrumentum artifici. *Etenim seruus* (inquit Aristoles) *est instrumentum animatum Domini sui, quod grauiùs morte iudicatur*: Habent tamen serui suos splendores vmbraticos, de quibus iam agendum est. Verùm videndum est, ne in ambiguo versemur, quotuplex sit seruitus, vnde originem sumpsit, & quàm grauis ad supportandum?

Aristot. 1. & 5. Politic.

D. Thomas de regim. Princip. lib. 2. cap. 8. 9. & 10.

20.

Triplex Principatus: Politicus, Despoticus, & inter illos medius Regalis.

Aristot. in Politic.

Hinc enim clarum fiet, quòd serui multiplicis sunt conditionis, Naturales, Legales, Cunductitij, Vltronei. Naturales sunt inferiores omnes, deterioresque; naturâ enim comparatum est, vt deteriores melioribus seruiant, vt bestiæ homini, fœminæ maribus, minores maioribus, insipientes sapientibus, viliores nobilioribus, tametsi ex peruerso regendi modo, & corrupto rectitudinis statu, insipientes sapientibus, & nobilibus viles, non rarò præponantur; sicut in corpore infirmo, sensus potiùs, quàm ratio viget. Legales, cùm debiles, & victi, fortibus, & victoribus subsunt; quorum seruitus triplici ratione congruit: ob reuerentiam Legumlatorum, ob amorem Patriæ, ob salutem debellatorum. Ob reuerentiam Legumlatorum, vt eorum auctoritas sanctiùs seruetur, & quibus ius etiam in corpora plenum esse agnoscerent, promptiùs obedirent. Ob amorem Patriæ, vt quis ita se pro illa gerat, vt omninò eam liberare nitatur, alioquin ipse in seruitutis iugum subiugandus. Ob salutem de-

21.

Quotuplex seruitus?

bellatorum, nam si nulla ex ijs viuis speraretur vtilitas, faciliùs interficerentur; vnde à seruando seruos dictos voluêre. Hos ad domesticum famulatum non adhibendos esse, suadent Politici: de his enim vetus est verbum, quot serui, tot hostes, adhibitos verò bene habeto, misertus illorum, quòd iniuriâ affecti, iniuriam rependere, vindicareq; nequeant, quòd ob assiduum metum, iustitiam magis quàm liberi colant, quòd quamuis naturâ ingeniosi, continuis tamen minis, timoreq; ingenij, vim & consilium amittant. Conductitij autem sunt, qui opibus indigi, mer-

22. cedis spe illecti, alterius se seruituti subijciunt. Hi vt frequentiores, sic & infirmiores, qui quasi hirundines vere accedunt, hyeme abscedunt. Vltronei verò serui sunt, qui nullâ prædictarum causarum acti, sed quòd solùm diligant, alteri obsequuntur, & si quid remunerationis expectant, id obiter est ad suam indigentiam supplendam potiùs, quàm auiditatem explendam: hi meliores sunt, magis remunerandi, quòd digniores sint, quòd cautiores, quòd ex amore obsequantur. Cæterùm supradictæ seruitutes vndenam originem sumpserint? quibusdam Philosophis, vel potius Atheistis dicentibus, quòd origo earum fuerit Deus, cui in productione hominis, hæc tria exprobrabant.

Vltronei verò serui quinam sint, & vnde seruitus originem sumpserit?

Primùm est, quòd cùm produxerit hominem excellentiorem cæteris animalibus, & quasi Regem animalium, leuiorem ei cursum vitæ concesserit, quàm nonnullis animalibus; quòd si longiorem ei concessisset, in sapientia, & exercitio virtutum moralium meliùs profecisset. Deinde, quòd cùm produxerit hominem de terra, meliorem cæteris animalibus, debuit ei quoque concedere maiorem corporis, & sensuum perfectionem: cuius oppositum videmus, nam aquila excellit hominem in visu, leo in fortitudine, ceruus in agilitate, & celeritate, canis in olfactu, pauones in pulchritudine, cygnus in candore, lepus auditu, linx in visu.

Tandem conqueruntur, lamentantur, quòd multos ex hominibus seruos produxerit. Sed immeritò de Authore naturæ prædicti conqueruntur; nam primæ obiectioni respondet Lactantius, quòd fuit conuenientissimum Diuinæ clementiæ opus, quòd breuiorem vitam hominis esse voluit, cùm enim creatus sit ad cognoscendum, amandum, & possidendum summum bonum, congruit bonitati eius, vt hunc finem quantociùs consequatur homo: præterea ne tanti boni obliuiscatur, ad quod productus est, si diutiùs viuat, tunc enim videretur exul de cælo, & tanto bono priuatus; opus ergo erat, vt viuat in desiderijs possidendi illud bonum infinitum, & contemnat bona præsentis vitæ, in quo iuuat ipsum cogitatio vitæ breuioris, cui tot miseriæ, & infirmitates sunt annexæ: & hanc cogitationem tangit Sanctus Augustinus. Item vt sciat se esse morta-

Lactātius Firmianus in Opificio Dei cap. 23.

mortalem, & ad immortalitatem aſpiret, ſi enim crëatura ingêmiſcit, & parturit vſque ad huc, ſenſibilis, & inſenſibilis, deſiderat innouationem, elementa purificationem, luna immutabilitatem, ſol quietem, quantò magis cuiuslibet nationis & conditionis homines, deſiderijs ſuis feruntur ad videndum Deum? Vnde ſubdit Apoſtolus: *non ſolùm autem illa, ſed nos ipſi primitias ſpiritus habentes, intra nos gemimus.* Si igitur Apoſtoli maioribus donis præditi, & conſultationibus, in rebus aduerſis ingemiſcunt, & affectuosè deſiderant, atque adoptionem filiorum Dei expectant, id eſt, effectum adoptionis Diuinæ quòad corpus: quia quòad animam per Paſſionem Christi fuit iam facta redemptio, ſatisfactio iuſtitiæ Diuinæ, & ira Dei placata; ſed quòad corpus ingemiſcunt poſtulantes redemptionem: *Redemptionem* (inquit D. Paulus) *corporis noſtri*, id eſt, glorificationem, & hæreditatis noſtræ poſſeſſionem, non aliter atque primogeniti, qui ſoli incertis Monarchijs, & Regnis hæreditant, & hæreditatem æternam inhiant: ſic nos ad hæreditatem cæleſtem, non aliter atque agricola, qui ſeminat grana in corruptione, & in ignobilitate, vt ſurgat in gloria. 23. Iniuſtè lamẽtantur de Deo inſipiëtes Philoſophi, vel potiùs Atheiſtæ, de triplici iniuria facta homini. *Ad Rom.* 8. 23. *Ad Rom.* 8. *n.* 23.

Ob has cauſas Deus breuem vitam humanam eſſet voluit, & hanc gratiam conceſſit Sanctæ Agneti, quæ poſt tredecim annos poſſedit vitam æternam. Sancto Ludouico poſt viginti tres annos, &c.

Sed neque iuſtè ſecundo loco lamentantur ſupradicti, quoniam vt habet Sanctus Thomas, quia Deus corpus accommodatum, & proportionatum animæ rationali dedit, ad rectè exequenda exercitia animæ. Artifices procurant inſtrumenta proportionata ſuæ arti, faber malleos, pictor penicillos, vt rectè opere exprimat imagines, ex egregijs picturæ coloribus, illuſtret, &c. Poterat Deus (vt inquit Plato) concedere homini copus durius ad ſupportandas inclementias cæli, & pœnalitates terræ, poterat illud maiori armaturâ, contra aduerſa munire, ſed ita voluit ipſum condere, vt aptior eſſet homo ſpeculationi. Studeamus nos Chriſtiani orationi, & comtemplationi. Et licèt experiamur corpus rebellare animæ, vincit tamen fauore Dei anima, & illud trahit quocunque voluerit, & paſſiones eius domat, conſuetudine & exercitio virtutum. Malus citrea viridis acerba eſt, in ſua viriditate manens, ita vt vix guſtari poſſit, ſed ſaccharo condita dulceſcit. Acerba ſunt corpori ieiunia, moderatio paſſionum, oratio, lachrymæ, pœnitentia, & tota lex Diuina; ſed auxilio Diuino dulceſcunt hæc omnia, ſuper mel & fauum; dulciores fuerunt lachrymæ, ieiunia, orationes, Sancto Franciſco, ſuper omnia mundi cibaria, veſtes pretioſas, recreationes, & delicias. Licèt igitur Deus alijs animalibus, aliqua pertinentia ad corpus conceſſerit perfectiora, homini tandem dedit intellectum perfectiſſimum, induſtriam ad *D. Thomas* 1. *p. qu.* 91. *art.* 1. *Plato.*

am ad consideranda opera Dei, vt dixit Isaias ad idololatras Israëliticos:
Isai. 40. n. 26. *Leuate in excelso oculos vestros, & videte, quis creauit hæc.* Mirum sanè est, quòd homines colligunt fructus de terra, pisces ex mari, & fluuijs, quæ possident, redemptionem, & Sacramenta Ecclesiæ, & pauci inueniuntur, qui gratias referant Deo & dicant: Misericordiæ antiquæ nonné hæ sunt Domini Dei nostri, vt maneat nobiscum in terra, per Sacramenta, & tandem in cælo per gloriam? Concessit etiam maiorem, quàm cæteris animalibus industriam, ad capiendas, & domesticandas feras, quas mansuetas industria efficere potest. Hinc multos Imperatores in triumphis trahebant Elephantes, vt Pompeium: Leones 40. Aurelium: Ceruí 40. Marcum Antonium. Concessit etiam & corpori robur, ornamentum, &c. & repromisit exornandum quatuor dotibus, subtilitate, impassibilitate, agilitate, & celeritate.

Tandem nec id, de quo tertio loco conqueruntur Atheistæ, offenderé debet, quia nec mortis, nec seruitutis, nec eorum defectuum, qui ex peccato sequuntur, Deus causa est: prædicta enim omnia sunt malæ radicis, mala germina, malæ parentis pessimæ filiæ. Deus crëauit homi-
Gen. 1. n. 28. nem ita, vt nulli esset seruus, omnium Dominus: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli.* Genuit nos Dominus, non ad iniuriam, non ad originis nostræ naturæ dolores, sed si quid post peccatum primi hominis patimur, ex iudicio suæ bonitatis accidit. Peccatum Adæ, è iustitia originali, tanquam veste pretiosa auro texta nos spoliauit, & tantis malis addicauit. Nihil aliud requirebat Deus ab homine ante peccatum, nisi vt soli Deo subiectus esset, & in meritum huius subiectionis, sensus, & omnes potentias subiecit rationi, vnde pax, honor, & gloria, de qua Propheta:
Psal. 8. n. 6. *Gloriâ, & honore coronasti eum.*

24. Seruitus est peior morte.

Fateri necesse est, seruitutem graue malum esse, & iudicio multorum peius morte, vnde & ciuibus Romanis, mors fuit potior seruitute. Leuior enim pœna, est mors breuis, quàm diuturna seruitus; seruus etenim neque vitæ, neque libertatis propriæ possessor est, maximè seruus legalis, seu bello captus; sed Deus non est causa huius seruitutis; sicut & naturalis, vbi inferior virtute est seruus eius, qui est virtuosior. Libertas est res pretiosissima, sicut & vita.

Non bene pro toto, libertas venditur auro.

Non est par iactura libertatis, & pecuniæ, cùm nemo sanus ob iacturam libertatis, non solùm pecuniam, sed & vitam contemnat. Hinc multas laudes Christo offerunt Sancti, quòd commutauerit legem seruitutis, in legem libertatis.

Quòd si sermo sit de seruitute vltronea, huius Deum causam esse fatemur,

mur, siquidem Christus Dominus cùm esset Deus, factus est seruus, qui etsi Rex Regum, & Dominus Dominantium, non solùm descendit de cælo in terram, sed etiam ad pedes Apostolorum, *mittit aquam in peluim*, *Ioan.13.n.5.* vt seruus; *præcingit se*, vt seruus; *lauat pedes Apostolorum*, vt seruus: Si sol descenderet in terram de cælo, non esset adeo mirabile, sicut cùm Deus inclinat se vt seruus, ad pedes seruorum, quid enim aliud sunt homines nisi serui? *Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.* Vltroneus seruus voluit esse *Psal.115.n.16.* Deus. Et quam ob causam? vt bonitatem ex tanta inæqualitate, & distantia, quanta est inter Deum & hominem, manifestaret; & quod maius est, voluit sustinere carceres, & pœnas, vt seruos faceret amicos Dei, persimiliter atque Ioseph Patriarcha.

In hac seruitute vltronea imitantur Deum Summi Pontifices, Reges, & Sanctorum turba, nam & Summi Pontifices gloriantur titulo seruorum; Seruus Seruorum Dei: Et multi Reges fatentur, quòd regnare est seruire: *Non ideo* (inquit Bernardus) *est seruus, quia vni seruit, sed omnibus. Præesse igitur, est seruire indiscretis hominibus, qui mirantur qualiter viuas, murmurant, temere iudicant, nihil dissimulant.* *Bernard. lib. 1. de Cons. ad Eugenium.* Deinde, quia, vt inquit Diuus Cyprianus: *Cui plus dignitatis adijcitur, plus de illo exigitur seruitutis.* *S. Cyprianus serm. de Sing.* Diuus Paulus etiam de se, & alijs Sanctis dicit: *Paulus seruus Iesu Christi.* *Ad Rom.1.n.1.* Verùm seruitus ista, sicut est vltronea, ita honesta, grata, & multùm remunerabilis; scriptum est enim: *Seruire Deo, regnare est.*

Seruitus autem legalis nullum præmium, præter cibum, & vilem vestitum habet, teste Aristotele. Si tamen etiam legales serui, leuiorem sibi seruitutem comparare volunt, ad ea attendant, quæ laudabilem seruitutem faciunt, ita quòd digni sint, vt à dominis suis diligantur, monente Ecclesiastico: *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua*, *Eccles.33.n.31.* nimirùm si splendidiùs obligationi suæ satisfaciat, splendore obedientiæ, seruilis timoris, & laboris, atque scientiâ seruiendi.

25. Munia & debita seruorum obedire, alacriter seruire.

Primum enim proborum seruorum est obedire, & alacriter iussa dominorum suorum capessere, neque enim serui ab eo solo dicuntur, quia in bello seruantur, sed etiam quia mandata dominorum suorum memoriâ seruant, & alacriter exequuntur, omnes quidem in vniuersum Deo, & superioribus iure iustitiæ debent obedientiam, ab omnibus statibus; alia tamen est obedientia ciuilis, alia seruilis, alia quæ Deo debetur. Obedientia ciuilis est basis tranquillitatis. Si enim populus subiectus Principi, reuereatur ipsum, non tamen obediat, illusio erit. Vnde obedientia, vt Politici aiunt, est basis tranquillitatis, & imperij columna, cius autem basis, vbertas: Ita quidem, vt sicuti columna, absque basi stare non potest, ita neque obedientia absque vbertate, & sicuti qui sta-

tuere vult columnam, basim priùs subijciat est opus, ita & Principi obedientiam quærenti, populus in loco pascuæ collocandus est, nam & in œconomia verus paterfamilias, nonnisi pransos, cænatosué filios, & seruos ad res familiares explicandas delegat, quod etiam in obedientia vniuersali, quam Deo debent creaturæ, siue sint Reges, siue Principes, siue serui, videmus, cuncta Deum prius nutrire, quàm quid ab eis retribuendum exigat; itaque Deo, & Regibus obedientia præstanda est, aliter tamen ad liberos, aliter ad seruos obedientia spectat, de qua Apostolus: *Serui subditi estote, in omni timore Dominis, non tantum bonis, &c.*

1. Pet. 2. v. 18.

26. Obedientia est nobile martyrium, & affixio cruci.

Ad perfectissimam autem obedientiam, Christo Domino Christiani tenentur, sicut ille perfectissimè obediuit Deo Patri, causâ salutis humanæ, ita vt obedientia eorum martyrio coronari possit, inquit Diuus Bonauentura. Palma triumphalis est nobile genus martyrij, quæ decollat propriæ voluntatis caput: vel potiùs crucifigi, vt quemadmodum Christus crucifixus, vt inquit Cassianus, eo ergo modo & obedientia, quâ pro nobis in patibulo ille fuit suspensus, nos quoque necesse est, in hac vita degere, vt sicut Christus priuauit se potestate quôcunque mouendi, vel conuertendi membra sua, ita & nos voluntates nostras, non secundum quod suaue est, aut delectat ad præsens, sed secundùm legem Domini, quò illa nos constrinxerit, applicare debemus, sic voluntas nostra crucifixa, sacrificat seipsam in odorem suauitatis: Etsi enim carnis colla ferro non subijcimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidemus.

Seruilis quoque obedientia, cibum pro mercede habet. Ciuilis, & quæ Deo debetur, plura præmia reportat, iam verò prædictæ obedientiæ, maximè seruiles ex timore procedunt. Quanquam autem alia est obedientia Politica, alia Oeconomica, alia Despotica, seu seruilis, & alia ex voto, omnes tamen ex timore procedunt, vt iam illustratur.

27. Inter debita & quantitates seruorũ connumeratur etiam timor.

Porro aliud est timor ad regimen Politicum prænecessarius, alius timor Despoticus, alius timor Dei, nam ex timore Dei effluit sapientia, & ex sapientia regendi peritia, ex qua tranquillitas Reipublicæ. Certè enim ita sunt prædicta mutuò inter se colligata, ita altera alteri coniuncta, instar circuli, qui à se incipiens, in se terminat, vt ipsorum quodlibet imperfectum sit, si reliquis destituatur. Sicut enim qui timet Deum sapiens est, & regendi peritiam habet, ita & qui sapiens est, & timens Deum, & regendi scientiâ dotatus, & qui regendi gnarus, & sapiens est, & timens Deum: qui namque timet Deum, iram, auaritiam, delicias, cæterasq; tyrannidis radices, subiugabit quòad se, & quòad alios, Diuinis subijcietur legibus, & Reipublicæ, secundùm quas ipsas gubernabit.

nabit

nabit, in quo est regendi scientia, timor Dei, & sapientia.

Coincidit hic timor cum timore filiali, dum Princeps se filium Dei agnoscens, & viceregem Regis cælestis, eundem tanquam Patronum timens, se, & populum sibi commissum sapienter gubernabit. Præter hunc itaque timorem seruilem, est timor filialis, est timor irreuerentiæ, ne aliqua irreuerentia, ab ipso afficiatur Deus, vt Pater: & prædicti timores sunt adeo contrarij, vt simul consistere non possint; amare enim non potest, qui satis timet. Timor filialis est ingenuorum filiorum, & seruorum Dei; sic timent Deum Angeli, tremunt videntes Angeli: timor seruilis est mancipiorum: timor filialis est offendendi Deum, quo perculsus à peccatis abhorret, & Christum in Cruce aspiciens reueretur. Timor seruilis est timor mortis, iudicij, & inferni, quanquam & in morte hæc tria reperiantur: Timor, Dolor, & Amor; qui non timet mortem, vel est sanctissimus, quem expectant iusti, donec retribuat illi Deus, vt dicebat moriens Sanctus Franciscus: vel est desperans de vita æterna, vnde dixit Sapiens: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, fortis est *Cantic. 8. n. 6.* dilectio filialis, quæ etiam contemnit mortem, vt perueniat ad dilectum. Fortis est vt infernus æmulatio, scilicet cum Deo, dum Deus vult salutem morienti, & moriens eam respuit: talis æmulatio solùm in inferno reperitur, vbi adest perpetua Deo contradictio desperatorum, de quibus per Prophetam dicit Deus: *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator, malitiæ enim illorum non sunt consumptæ, argentum reprobum vocate eos.* *Hierem. 6. n. 29.* Comparantur auxilia Dei in morte aurifabro argentum purificanti, qui hæc tria adhibet: Ignem, sufflatorium, & plumbum. Ignem ad purificandum argentum, sufflatorium ad excitandam flammam, plumbum autem ideo miscet, ne, dum ignis argentum purificat, illud nimium consumat, vt de pondere eius diminuat. Sic Deus, sicut igne probatur argentum, & aurum in camino ignis, ita corda filiorum hominum purificat, infirmitate, & tribulatione; permittit sufflatoria diabolica, quæ terrent, & in desperationem inducere morientem contendunt, sed ne cor hominis, tentante dæmone, decidat, adhibet Deus plumbum, id est, memoriam, quòd mors sit iter in æternitatem, retributionem, & gloriam sempiternam, propter quam audacter tentationibus dæmonum resistat, Deo auxiliante, & sanctis subsidium orationibus perhibentibus. Est quoque in morte dolor, sed adest & amor, qui, vt dolorem vincat, necesse est.

Seruilis itidem timor seruilem splendorem perficit, nam moriens timet iudicium, timet sinistram, & procurat dexteram, & non solùm boni, sed & probi hoc timore afficiuntur; dicebat enim Dauid: *Confige timore* *Psal. 118. n. 120.*

tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Infernum autem quis non timebit? vbi carcer teterrimus, & pœnæ torquentes, damni, & ſenſus in perpetuum.

28. Tandem ſplendor vmbraticus ſeruorum eſt labor, & prudentia ſeruitutis, ſeu ſapientia ſeruiendi. *Non decet otium ſeruos. Nullum otium ſeruis. Philoſophia verò ad otium, fortitudo ad negotium,* inquit Ariſtoteles, *& rationem reddit, quoniam otium petulantes reddit ſeruos. Sicut autem Deſpotum, ſeu Dominum ſeruorum, ſpectat ſcire iubere, ita ſeruorum ſcire facere*: hoc autem quod eſt ſcire ſeruire, extendi poteſt, & ad ſeruos propriæ ſalutis, neque enim ſatis eſt, vt quis operando ſeruiat propriæ ſaluti, ſed vt operetur ſcitè & ſapienter; priùs enim Deus reſpicit intentionem, & ſcientiam operantis, quàm opus ipſum, vt quod operatur ex amore, in Deum operetur, non aliquo mundano reſpectu. Peccauit Saul, & dixit: *Peccaui*; & neque tamen peccatum ei dimiſſum eſt. Peccauit Dauid, & dixit: *Peccaui*; & Deus abſtulit peccatum illius. Dixit Iudas: *Peccaui*; dixit quoque Diuus Petrus: *Peccaui*; pro vtroque Chriſtus mortuus eſt: magna tamen inter illos differentia, quia vnus confidit in miſericordia Dei, alter deſperauit. Sicut ergo in ſeruis non ſolùm requiritur ſeruitium, ſed & ſcientia ſeruiendi, ita & in procuranda ſalute.

Connumeratur etiam inter ſplendores ſeruorum labor.

Ariſt. 7. Polit. cap. 15.

Porro ſerui, qui ſcitè deſeruiunt dominis ſuis, laude digni ſunt, & gratia dominorum ſuorum, nam nihil præter hoc, niſi ſolum cibum in vim mercedis recipiunt, vt inquit Ariſtoteles: *Merces ſerui, cibus eſt, qui ita ipſis tribuendus eſt, vt neque ſuperbos, neque abiectos faciat.* Vnde tria, inquit, ſunt: Opus, cibus, & caſtigatio neceſſaria in regimine ſeruorum. Cibus quidem ſine caſtigatione & opere, petulantem reddit; opus verò, & caſtigatio ſine cibo, violenta eſt res, & infirmum facit ſeruum: reſtat igitur, vt opus faciendum illi tribuat, & cibum ſufficientem; ſine mercede enim dominandum non eſt, & merces ſerui cibus, & ſic procurandum, vt neque timidi ſint, neque feroces, vt & laborem ferant, & imperium non contemnant. Hanc doctrinam, in codice ſcientiarum ſuarum, deſcribere cõueniret noſtris nobilibus Polonis, qui plerumq; tractant ſeruos, non tanquam homines, ſed tanquam beſtias, ſpoliantes eos victu & veſtitu, & vſque ad vltimam pauperiem redigentes; memores eſſe deberent Nabuchodonoſor, qui quoniam ſubditos tractabat tanquam beſtias, in feram Dei iudicio conuerſus eſt. Videant ergo, ne hoc idem illis in morte accidat, iuſtitia Dei inſtigante. Nam & in vita ipſi, & Reſpublica experitur, propter talem crudelitatem, iram Dei & ſæuiſſimas pœnas, vt experta eſt Anno 1648.

Ariſt. 1. Oecon. cap. 5.

CAPVT IV.

Politiæ seu ciuilis scientiæ simulachrum, & Regni regendi modus, ex paterna Politia, seu Oeconomica proponitur.



Ypum & simulachrum status Politici, corpus humanum physicum esse asseruimus, verùm & familiæ regendæ regulam, Regni regendi simulachrum esse, manifestandum est: *Res familiaris & Respublica inter se differunt*, inquit Aristoteles, *quòd plures imperant in Republica, in re familiari, seu Politica, paterna, vnus duntaxat est imperator, & rector.* Verùm hæc differentia solùm currit, si Respublica accipiatur pro gubernatione Politica, vt est gubernatio ciuitatis & Aristocratia; quòd si accipiatur pro Regno, & imperio Regali, seu Monarchia, non concludit, quia sicut in re familiari vnus duntaxat imperat, ita & in Regno, cæteri subesse, & obedire debent; melior ergo differentia est, quòd res familiaris & Respublica differunt inter se, sicut differunt domus parua, & domus magna, ita quòd nihil est aliud familia, nisi paruum Regnum, nec Regnum sit aliud nisi domus magna: Item, vt ait idem Aristoteles, non eiusdem est facere, ac facto vti, alius enim facit lyram, & fistulam, & alius his vtitur; modò domus plures faciunt vnum pagum, plures pagi faciunt vnam ciuitatem, plures ciuitates faciunt vnam prouinciam, & plures prouinciæ faciunt vnum Regnum, & ipso sic constituto vtitur Rex, qui Regno imperat, sicut in œconomia paterfamilias coniugi, filijs, & familiæ.

Aristot. 1. Oeconom. cap. 1.

29. Respublica & Oeconomica differunt.

Cæterùm Christus Dominus, non solùm tradidit Regibus Christianis modum gubernandi Politiam, & leges Politicas, de quibus supra actum est, verùmetiam & œconomicas, vt iam dicetur.

30. Differentia inter Oeconomiam & Politiam.

Porro cùm familiæ regendæ regula, Regni quoque regendi sit simulachrum, duo sunt præcipuè, in quibus œconomia assimilatur Politiæ. Vnum est, quòd adsit sufficientia necessariorum in domo quoàd victum, & vestitum, ita & in Republica. Alterum, quòd sicut œconomia pluribus constat personis, ita & Politia pluribus ciuibus. Primum quidem breui complexus est Salomon: *Melius est* (inquit) *plures simul esse, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ, si vnus ceciderit, ab altero fulcietur, si dormierint duo, fouebuntur mutuò, si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistent ei.* Hanc ob causam domus, siue familia naturalis, est quædam communitas, signi-

Eccles. 4. 9.

ficans plures personas vnius potestati, aut naturâ, aut iure subiectas, quibus qui præest, paterfamilias dicitur.

31. Itaque domus si perfecta est, in ea plures personæ, & plures rationes regiminis concurrunt, seu potestates, nempe coniugalis, paterna, & herilis, cum recta instructione acquirendi opes necessarias ad regimen prædictorum, & sufficientiam necessariorum, sine quibus & filij, & famuli, rectè à patrefamilias non reguntur. Vtrumque etiam cernere est in Politia, vbi plures sunt personæ charitate coadunatæ, & ob victus comparationem, & vestitus præparationem, ob personæ defensionem, ob animi institutionem, vt supra dictum est. Itaque potestati œconomicæ assimilatur potestas Politica.

Potestas œconomica triplex: coniugalis, paterna, & herilis.

Potestas item coniugalis, atque relatio mariti ad vxorem, correspondet in Politia potestati Imperatoris ad Rempublicam, & Regis ad Regnum, vt sicut virum cum muliere cohabitare, (& fœdere tam arcto, vt ne separatione quidem rumpatur) multis de causis natura, in necessitatem adduxit, vt scilicet in societate degant, vt prolem producant, vt operibus communicent, ille foris, hæc domi, operaturi. At verò ne temerè, & ad libidinis fugam concupiscentijs impellantur, coniugij vinculo (nonnisi morte soluendo) duos nectere placuit, & fidei socialis, & prolis ratione id postulante. Vnde maximè improbatur Spiola Carbitius, quòd primus omnium Romanorum ab vxore diuertisset, (vtcunq; sterilitatem allegaret) communi calculo comprobante fidei rationem, prolis rationi longè præferendam. Persimili fœdere Rex Reipublicæ coniunctus est, vt similiter ne separatione quidem rumpatur, vt in vnitate degant, & in operibus communicent, cuius signum est annulus desponsatorius cum Regno, vt supra actum est.

32. Regenda autem est vxor, vt dextra, casta, honesta, abstinens, sobria sit, &c. Non minori solicitudine sedulitateq; regendam esse Rempublicam, quin potius easdem ferè regulas, ad vtrumque regimen exigi docent Politici, & excepto, quòd fœminæ puerorum moribus similes, sunt commendandæ in alijs, in alijs improbandæ. Commendandæ, quòd verecundæ sint, quòd misericordes. Improbandæ, quòd intemperantes, quòd garrulæ, quòd litigiosæ, quòd inconstantes. Verecundæ sunt, vel ex ambitione laudis, vel ex timiditate misericordes, vel ex mollitie, & ex innata misericordia cordis. Intemperantes, quòd à ratione perfecta deficiant. Garrulæ, & inconstantes, quòd complexionis imperfectæ, imperfectâ item ratione vtentes, discernere nesciant, vnde imperfecta omnia agunt, hoc in vniuersum peccantes, quòd medium tenere nesciæ, ad extremorum alterum semper inclinent, adeo vt omninò alter vtrinq; exce-

In regimine coniugali opus est vxoris directione ad honestè in omnibus agendum.

excedant. In his itaq; vitijs corrigendæ ſunt, & in virtutibus inſtruendæ.

Porro in inſtituenda conſorte in virtutibus, non Deſpotica, ſed Politica vir vtatur poteſtate : Ius enim coniugij nec omninò regiminis ſeruilis eſt, nec omninò abſque omni iure, ſed vir ſuperiorem ſe reputando, moderatè à vitijs mulierum ſupradictis reuocare debet conſortem. Duo tamen ei præcipuè cauenda ſunt: vnum eſt, ne conſilio eius, continuò vir vtatur, & ne eidem arcana reuelet. A conſilio eius cauendum eſt, quia in adiutorium, non conſultorium mulier viro data, vt ad iuſſa curandum, non ad curanda iubendum, data intelligatur. Niſi tamen vel rei leuitas, vel temporis anguſtia, maturiùs expectare virum non ſineret, vel tunc quidem, nonniſi repentè conſulat, vt repentè reſpondeat, quo enim plus fæmina deliberat, eò halucinatur amplius.

Præcauerunt itidem Politici, arcana ne leuia quidem illi pandenda eſſe. Etſi quid aliquando, rem omnem ne reuelandam, vtcunque optimè notam, ſed ſemper ſibi partem celandam ; vitium enim animi eſt, indignis & leuibus vulgare ſecreta, qui propalare ſemper ſolent, vel adulatione ad placendum, cui reuelant, vel iactatione ad oſtendendum ſe grauia ſcire ; vel incautâ loquacitate, ſine iudicio emittendo irreuocabile verbum. Porro fæmina nec occultare poteſt, quòd ratione deficiat, quòd corde mollis, quòd laudem ambiat. Nec enim quanti ea reuelare interſit, reputans, nec amicum ab æmulo diſcernens, temere cuicunque leuiter applaudenti repandet, vel inde laudari ſe credens, quod tanti à reuelante fiat, vt & arcana illi committat. Imò & hinc ſemper armatur, quomodo reuelanti dominetur. 33.

Aliud, ad quod Oeconomica attendere debet, eſt educatio filiorum, quod & Reipublicæ munus eſt, vnde maximus ſplendor & regiminis paterni, & Reipublicæ vtilitas reſultat. Quare in hoc maxima omnium diligentiâ attendendum eſt, ſecundùm ætatis gradus: In pueritia ad corporis diſpoſitionem : In adoleſcentia ad intellectus claritatem, vt pleno rationis vſu participes prudentiam aſſequi, rationem eruditione, congruis diſciplinarum ſtudijs valeant, & appetitus ordinationem, vt optimos mores, ad optimas literas adiungant. Quod ſi ad alterutrum inclinandum ſit, mores omninò literis præferendi, longè enim ſatius eſt, vt honeſtè viuant, quàm vt ſubtiliùs diſcant. Generatim ergo ad religionem, ad eruditionem, ad mores, quaſi ad certum patrimonium inexpugnabile conducendi ſunt. Ad religionem & credenda, quòd nonniſi colendi Dei gratiâ, quiſque naſcatur docentes eos, quod ſupra rationem ſit, quod ſimpliciter credenda, quod firmiter amplexanda. Quod ſupra rationem, vtilius eſt ea, in ætate hac eos inſtituere, quia dictorum ratio 34.

Educatio filiorum in Oeconomica qualis eſſe debeat?

non

non exigitur, sed dictis simpliciter acquiescitur, cuiusmodi ætas infantilis est. Quod simpliciter credenda, congruè tunc proponuntur, cùm simpliciter quis credulus est, & tempestiuus in religionem vsus, dociles in Deum facit, indociles neglectus & tardus. Quod firmiter amplexanda, citiùs ostendenda, vt consuetudo in naturam vertatur. Et concessum est firmius id hæsurum, quòd teneris hauritur, quæquè à puero discuntur, vna cum ipsa mente còálescunt, animumque mutare, & si quid penitus insitum moribus, id subito euellere difficile. Tandem in scientia, & moribus instruendi sunt, quantum opus est iudicio. Præceptorum, qui eos erudiant in illis scientijs, quas enumerauimus supra, & maximè erudiantnr in moribus, monitis, & exemplo: quare vt præceptor sit sciens, & vitæ non improbæ, opus est à quo mores primùm, mox & scientiam discant, quæ malè, & ad malum sine moribus discitur. Moribus verò formabuntur probis, si loqui, si videre, si audire nonnisi opportunè sinantur; si cibo, si potu, si venere frænentur, si in ludis, gestibus, vestimentis consuetudine temperentur; nec enim qualitercunque loqui, nec qualiacunque videre, nec quæcunque audire eos licet.

Tract. 3. cap. 5.

35. Vlteriùs splendor regiminis œconomici, est familiam, & seruos rectè regere, quos ad domesticum famulatum adhibent; cautè in hoc agendum est, quòd familiares quandoque hostes sint Rectoris domus, quasi serpentes, quos in sinu foueas, qui calefacti mordeant, quòd lupi, quos auribus teneas, qui parum laxi, lacerent ipsum. Reuocandum autem, quod dictum est in præcedenti capitulo, multiplicis conditionis esse seruos: Sunt enim naturales, legales, conductitij, qui differenti regimine regendi sunt, vt sua munia curent, & maximè attendendum, ne ex tot seruis, tot hostes sibi paterfamilias faciat, dum timeri magis, quàm coli velit. Et timeri quidem debet, sed cum modo, amari potiùs curare debet, vt timeri assuescant. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua. Tandem operum, & necessitatum prouisio ad patremfamilias spectare clarum est.

Herilis potestas in œconomia qualis?

Prædicta omnia, quæ de œconomico regimine dicta sunt, facilè in gubernatione, & potestatibus Politicis cernuntur. Nam sicut in domo parua est potestas coniugalis, paterna, & herilis, ita & in domo magna, potestas coniugalis, Regis cum sponsa, vt supra dictum est, per traditionem annuli insinuatur; potestas verò paterna in probis Principibus, si subditos, vt filios diligant.

Lib. 1. Tract. 2. cap. 20. quasi per totum.

Olim Principis mox inaugurati vetusta salutandi formula fuit: Quod bonum faustumq; sit tibi, & nobis, populus te in Patrem suum, & Patriæ consalutat. Et populus quidem sic Principem salutando exprimebat, quòd

quòd & cibo, & dilectione, & defensione opus habebat, atque Principem populo patrem esse insinuabat, & patris nomine ad omnia necessaria obligatum monebat; atque ita, si optimus Princeps celebrari volebat, atque in ciuibus gubernator, & in hostibus victor, simulq; post terrenum, cæleste Regnum adipisci, adeo vt vitâ functus, non desistat esse Rex, sed continuato sceptro, in cælis regnet, necesse fuit, vt tanquam Pater imperaret. Herilem autem potestatem, Regibus nullus denegare potest, sine qua nullum regimen esse potest, cauendum tamen ne in tyrannidem degeneret.

Denique quemadmodum opum prouisio, ita necessaria est in re familiari, vt sine ipsa Oeconomia persistere non possit; ita quoque & in Politia, ideoque & Christus Dominus, id Patresfamilias, atque Reges edocuit, alendo turbam in deserto, vbi quatuor insinuauit: modum quærendi cibum, dum proposuit quæstionem: *Vnde ememus panes?* deinde conseruare illum, cùm inquit, *Colligite fragmenta*; & tandem vsum, dum ait, *ne pereant*: & denique rectè dispensare, ne deficiant in via, insinuando, quòd omnes opes, debent esse subsidia ad virtutem, sicut alimenta fuerunt occasio turbæ, ne deficerent, & magnificarent Christum, gratitudinis ergô, ideo voluerunt eum facere Regem. Hoc idem docuit Aristoteles, proponendo leges œconomicas, vbi ait: *Quatuor oportet habere Patremfamilias, & quærere posse, & quæsita tueri, alioquin quærendi nulla foret vtilitas. Nam cribro haurire nihil aliud est, quàm (quod dici solet) terebratum vas implere: deinde, & vt ornari præsentibus, & frui sciat, horum enim gratiâ diuitias habere expedit, vt etiam ad virtutem honestæ sint, & ad rem familiarem vtiles.* 36.

Aliud quô opus est in œconomia, diuitiarum acquisitio, & qualis esse debeat?

Aristot. 1. Oeconom. cap. 6. & cap. 1.

Hæc doctrina sicut deseruit Oeconomicis, ita & Regibus, ideo leges œconomicæ, & his, & illis proponendæ sunt. Prima igitur est, quæ ex doctrina Christi, atque Philosophi ediscitur; non esse vituperabile rectâ intentione, & modis debitis quærere opes; consistit autem recta intentio in eo, vt non quærantur nimiè, eo solo animo, vt abundent, monente Salomone verbis, & exemplo: *Noli* (inquit) *nimium laborare vt diteris*: exemplo verò, sic enim legitur orasse Salomon: *Diuitias ne dederis mihi, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus?* Vnde lege Domini cautum est: *Non habebit Rex auri, vel argenti immensa pondera*, & iure merito, quoniam, vt inquit Diuus Paulus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum superbiæ, & auaritiæ*, in laqueum mortis, vt inquit Ecclesiasticus: *O mors, quàm amara est memoria homini habenti pacem in substantijs suis!* In laqueum priuationis cælestis Patriæ: *Auari Regnum Dei non possidebunt. Auarus non habet hæreditatem in Regno Dei.* In laqueum sunt nimiæ opes, quia ex illis impietatis periculum oritur; ea enim diuitiarum conditio est, quòd

Prou. 23. v. 4.
Prou. 30. n. 8.
Deut. 17. n. 17.
1. ad Timoth. 6. v. 9.
Eccles. 41. n. 1.
1. Corinth. 6. n. 10.
Ad Eph. 5. 5.

cum labore acquiruntur, cum periculo aduersantur, cum dolore amittuntur. Viriliter itaque agendum, ne nimius dolor, dum amittuntur, superueniat.

Ponendus est igitur prudentiæ & prouidentiæ humanæ modus, prudentiæ quidem, vt ea intentione opes quærantur, vt diuidantur cum indigentibus, vt sic ditentur diuites virtutibus & pietate, quæ sunt verè diuitiæ, teste Nazianzeno, *Cura vt proximo tuo, idcirco præstantior sis, quia benignior, Dei misericordiam imitando*: & Sanctus Ambrosius. *Esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis, & miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia, quam tu in terra defodis, nec enim minoris criminis est habenti tollere, quàm cùm possis, & abundans sis, indigentibus denegare.* hac intentione opes colligere, laudabile est, & meritorum, iuxta illud Isaiæ: *Qui proijcit auaritiam, in excelso habitabit, Regem in decore suo videbit, & oculi eius cernent terrã de longè.*

Nazianz. de paup. amore. Ambros. serm. 82.

Isaiæ 33. n. 15. 16.

Alia lex Oeconomiæ est, moderatas opes quærere, & rectè conseruare. Modus autẽ quærendi opes multiplex est, vt aliàs fusiùs dictũ est; quærere opes rapinis, furtis, astutiâ, infidelitate, damnabile est: quærere autẽ opes agriculturâ, ratione agrorum, armentorũ, nutrimento, venationibus, & piscationibus, vt quærunt opes Poloni, hæc ars ditandi antiquissima est, & prima in mundo cæteris melior, & quoniam longiùs videtur distare ab astu, & quia disponit & exercet corpora, atque robur administrat, ad fortiter præliandum in bello, atque defendendum proprium Regnum, & Ecclesiam Dei, vnde quidam depingens strenuum militem Polonum, concessit illi vna manu tenere stiuam, alterâ ensem: Et quia qui sic ditantur, totius mundi prouisores appellari possunt, persimiles Iosepho Patriarchæ in Ægypto, prouident enim tot Regnis frumenta, eorumque necessitati subueniunt, dum tot populos, & nationes alunt.

37. In institutionibus sacris artes ditandi proponuntur.

Quærere item opes industriâ, vt quærunt mercatores, est quoque ars ditandi laudabilis, si sit sine dolo, & astu. Nam mercatori pecunia est id, quod viro nobili ager; sicut ergo nobili ex agro licet decerpere fructum, aut ex fluuijs & lacubus pisces, vel ex syluis feras, ita mercatori ex pecunia, licet recipere victum & amictum, pro se, & domesticis suis, & ditari moderatè.

Ditari etiam labore coporali, & spirituali laudabile est, laboritio manuali, vt artifices, quærere victum & amictum honestum est, modò non accedat dolus fictæ dotationis, mendacium & delusio, quâ communiter artifices vtuntur.

Super omnia autem quærere possessô opes, labore spirituali, qui proprius est Sacerdotum & Religiosorum; quærere victum & amictum laudabile est, promereri præmia, eruditione disciplinarum diuersarum, & cæ-

& cæteris, quæ laborem annexum habent, vt est medicina, Iurisprudentia, modò adsit debita peritia, non est vituperabile.

An autem licitum sit Regibus ditari, & ditare Regna iure belli, &c.? Id certum est, quòd in barbaros, id est moribus, vitæ ratione, & religione à Principe diuersos, & omnino efferos Principes, bellum mouere potest, ne altiùs extollantur, maximè qui cùm potentiores sint, alios temere infestant, solam enim feritatem, & iustam belli causam sufficere putârunt prudentes, & ad veram religionem bello adigi possunt; nam & in cœlo Michael contra Luciferum bellum mouit, & victoriam obtinuit. Quod si contra rationabiles bellum mouendum sit, priusquam ad arma veniat, iuris controuersias attendere debent Principes, & summi Pontificis consilia sequantur.

Verùm neque contra barbaros gloriosum est mouere Principi bellum diuitiarum intuitu, debet meminisse se esse Regem, non mercatorem, quia nihil magis honorificum est Principi, quàm pauperem appellari. *Principem*, inquit Agesilaus, *decet, nullam rem grauius ferre, quàm si diues dicatur, nullâ item magis lætari, quàm si pauper appellatur. Principis enim boni gloria, non in pecunijs, quas in thesauro reponit, sed in magnis, quæ præstantur, beneficijs sita est.* *Agesilaus Lacedamoniorum Rex.*

Alia Oeconomiæ lex est, acquisita tueri, hanc præcipuè approbauit Christus Dominus, cùm dixit: *Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* *Ioan. 6. n. 12.* Et reuera Regnorum opes non solùm in negligenter conquirendo ære, sed etiam in immoderatè demendo, & nimio sumptu, diminuuntur, sine quo, tandem in quocunque Principatu, Princeps egebit semper, & debita contrahet, & erit subiectis in postulanda pecunia grauis, quâ & ipse sensim minuetur, populus verò crescet, & instar mortuorum pene reddetur.

Non solùm ergo amplificare prouentus, sed etiam eosdem tueri ad Reges, & Oeconomiam spectat, quod facilè perficient, si adsit debita thesauri custodia, moderati, pro dignitate tamen, sumptus, & ab œconomis, & ministris, atque officialibus Regijs rationes expensarum, atque receptarum debitè accipiantur. Eam ob causam suadet Aristoteles, & Diuus Thomas. *Principes debere habere in sua iurisdictione, arces & munitiones fortissimas, & castra atque præsidia tutissima, ne thesauri ab hostibus rapiantur, & vt eisdem possint cum sua familia liberiùs vti.* *D. Thomas de regimine Principum lib. 2. cap. 11.* Meminerint etiam, quòd nulla arx, domus, aut munitio, securior est illâ, de qua Christus Dominus: *In domo Patris mei*, ibi tutè conseruantur thesauri, *& nullus eas rapiet de manu Dei.* Ioannis 10. *Ioan. 14. n. 2.*

Priuatis itaque hominibus suadet Christus, vt opes suas seruent in sacculis: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt*, marsupia implete, quæ tunc *Luca 14. n. 33.*

 maxi-

maximè implentur, cùm in vsum pauperum euacuantur. Et Propheta idem suadet, vt reponamus eas in manus Christi, quippe *nullus eas rapiet de manu eius.* Ioan. 10, 28.

Tandem tertia lex Oeconomiæ est, rectus diuitiarum vsus, & distributio, quem vsum approbauit Christus Dominus præcipiens Apostolis, dare turbæ panes, docuit vsum, & rectam opum distributionem, damnans prodigalitatem, ex qua ruina Regnorum, & familiarum; prodigaliter viuere non est aliud, quàm vel congregare, vel hæreditate opes accipere, vt pereant. Non sunt thesauri Regum infiniti, sicut sunt illius, de quo dicit Sacra scriptura: *Ponens in thesauris suis abyssos.* Psal. 32. n. 7. Habet Rex cæli in abyssis thesauros infinitos, in profundo mari, in subterraneis meatuum venis. Habet & in thesauris abyssos. Non est numerus diuitiarum eius, ille tamen abominatur prodigalitatem temporalem, esto non abominetur prodigalitatem spiritualem. Prodigalitas est vitium iuuenilis ætatis: vnde antiqui per taurum imberbem significabant prodigum, quem sacrificabant Deo Apollini, vt Pòëta habet:

Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo.

Et rectè nihil enim ita dissipat substantiam, sicut taurus, cui cùm datur fænum, non consumit, sed pedibus conculcat, & ferocitatem spirat, vt insinuat Pierius.

Fænum habet in cornibus, longè fuge.

Omnia dissipat prodigus, & substantias corporales, & spirituales dissipat virtutes, & bona animæ & corporis, & breui egebit, atque in penuriam labetur; ideoque ab omnibus prodigus contemnitur, & quòd maius est, ad iudicium Dei citabitur, iuxta illud Christi Domini: *Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius.* Luca 16. n. 1. Nimia diuitiarum accumulatio Reipublicæ nociua est, sed neque dissipatio diuitiarum iuuat Rempublicam, quin potius nocet, dum dissipatis opibus, Regnum iuuari non potest, in necessitate & periculis, nec relictis opibus ali, nec contributionis sustentari, nec militibus stipendia solui: bona priuatorum, sunt bona publica, quia dum illa crescunt, crescit bonum publicum, si deficiunt, deficit; ac proinde si prodigalitas consumit omnia, necesse est, quod & bonum commune consumat. Prodigalitate domus antiquæ generosæ, nobiles, moribus laudabiles, & bonæ ac meritæ Reipublicæ corruunt, & succumbunt, qui opes, & pecuniam effundunt in vestes superfluas, & luxum; & ipsi, & diuitiæ pereunt, dum diuites splendidi, equites pro canibus, histrionibus, haidonibus, & numeroso, sed inutili seruorum agmine, ac vanis pompis opes non solùm proprias, sed quæ ex bonis communibus Reipublicæ supersunt, consumunt & dissi-

dissipant, vt aliàs fusiùs dictum est. Cæterùm liberaliter erogare opes in egenos, non est prodigalitatis vitium, sed modus augendi opes, vt iam dicetur.

Quippe bonus diuitiarum vsus maximè consistit in erogandis opibus indigentibus, hæc Christi doctrina est. *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* 38. Bonus opum vsus quinam sit?

Nec est, quòd quis alleget quandoque pluribus tunicis opus esse, maximè in frigidis regionibus, neque enim id ad litteram accipiendum est, sed conformiter ad illud Diui Pauli: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus:* nomine igitùr vnicæ tunicæ intelligitur, sufficientia victus & amictus. Atque ita si plus habes, quàm opus sit, eroga pauperibus, & in illo debitorem te esse noueris, sicut & illud: *Nolite soliciti esse in crastinum:* hinc, quidquid corpori nostro sufficere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc vna appellanda est tunica; & quidquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc vnius diei victus appellatur. *Luca 3. n. 11.* *1. ad Timoth. 6. n. 8.* *Matth. 6. n. 34.*

Timeant ergo præcipuè Ministri Ecclesiæ. magnæ Oeconomiæ solicitudine occupati, ne de illis dicatur illud: Nihil patiebantur super contritione Ioseph: scilicet super miseros captiuos, pauperes, &c. maximè quia eorum obligatio est, non solùm curam gerere animarum, sed & panem egenis erogare, & porrigere, quoniam & Christus cùm multitudinem in deserto, pabulo reficere vellet, dixit ad Apostolos: *Date vos illis manducare.* Docens eos, qui in aliquo Magistratu constituti sunt, non suis commodis, sed vtilitati subditorum inseruire debere, inquit Theodoretus, maximè si sint Ecclesiasticæ dignitatis, qui in eo passu sæcularibus exemplo esse debent. Vnde, quæso, tot in Regno sumptuosæ prouisiones, quas pro Ecclesiasticis, antiqui viri pientissimi reliquerunt & fundârunt? nisi vt nomine ipsorum indigentibus, pupillis, viduis, captiuis, in carceribus detentis redditibus illorum subuenirent. Meminerint præmij æterni, quod, vt inquit Diuus Augustinus: Fertilis est ager pauperum, & citò reddit donantibus præmium, supple æternum. Non sufficit pro illis orare, quia multoties citiùs sentiunt beneficium ventris, quàm mentis homines. Et hoc indubitatum, quòd quidquid tribuitur pauperi, non est donum, sed mutuum, & sic quod datur, sine dubio multiplicato fœnore recipietur, inquit Diuus Gregorius. *Matth. 14. n. 16.*

Denique lex Oeconomica est, tenere seruos fideles, non fouere, persimiles illis, quorum infidelitatem discòòperuit Daniel dicens ad Regem: Cuius vestigia sunt hæc? erant nimirum eorum, qui omnia à Rege Deo suo oblata cosumebant: Quin potius sint persimiles Ioseph, totius

tius Ægypti ſaluatori, de quo teſtatur ſacra Scriptura. Contentus erat illis, quibus remunerabatur à Rege, nihil ſibi ex bonis Regijs, & communibus vſurpabat, ſed ſolario & præmijs regijs contentus: Et Moyſi, qui tam excelſo officio non eſt vſus, ad augendas opes proprias, aut ad ditandos conſanguineos, quia potius (eſto habuerit filios) immemor illorum, non ipſis ſed fideli ſeruo ſuo Ioſue, quem ad gubernandum populum, aptum nouerat, officium deducendi populos

1. *Reg.* 25. Iſrael, ad terram promiſſionis reliquit. Ex quo argui poſſunt Nabaliſtæ, quibus cùm ſint conuiuia quaſi regia, vt erant Nabalis, tamen dicunt mendaciter, quòd non poſſint iuuare Rempublicam, egenos, &c.

Eccli. 25. 3. Vnde prædicti odibiles redduntur Deo, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Tres ſpecies odiuit anima mea. Diuitem mendacem, pauperem ſuperbum, & ſenem fatuum*; imò digni ſunt pœnâ Nabal, de quibus dicitur:

1. *Reg.* 25. 37. *Emortuum eſt cor eorum intrinſecus, & facti ſunt quaſi lapis.*



LIBER



LIBER SECVNDVS
De Splendoribus Hierarchiæ Politicæ & Ecclesiasticæ.

TRACTATVS PRIMVS
De Splendoribvs Primæ Hierarchiæ, seu Sacri Principatus Ecclesiæ militantis.

CAPVT PRIMVM.
Splendor Politiæ Ecclesiasticæ, quòd sit Monarchia sancta Catholica visibilis.

CVM proles Hierusalem cælestis sit Ecclesia militans, & Ecclesia illa, quæ est mater huius, sit Monarchica, hæc quoque Monarchica est. Et reuera inter omnes formas & species gubernationis, hæc est præcipua inter illas, inquam, quas enumerat Aristot. & in duas classes diuidit, bonæ scilicet, & malæ administrationis, ita vt bona administratio sit, quæ ad bonum publicum attendit, qualis est Monarchia, Aristocratia, & Politia, seu Resp. aut gubernatio ciuilis. Mala verò, quæ proprium commodum respicit, qualis est Tyrannis, Oligarchia, & Democratia, seu popularis status. Cæterùm inter bonas administrationes præcipua est Monarchia, teste Aristot. hac gubernationis formâ, politia Ecclesiæ triumphantis gubernatur, ad cuius typum à summo rerum Opifice ordinata est militans Ecclesia. Hanc quoque cernimus in motu, & gubernatione sphærarum cælestium, vbi ad raptum primi Mobilis cæteri orbes reuoluuntur, hanc in elementis videmus simplicibus, & mixtis corporibus. Testatur enim experientia, quòd inter sese elementa còalescunt, & coagmentantur corpora mixta, necessa-

I.

Ecclesia militans est Monarchica, quæ inter omnes formas gubernationis est præcipua.

Aristot. in lib. Politicorum.

necessarium tamen est, vt penes vnum elementum sit imperium, inter cætera; atque ita apparet, teste experientiâ, in corporibus grauibus, elementa aquæ, ignis, & aëris, parere, elementum verò terræ imperare, illaque deorsum trahere. Hoc & in expertibus vitæ ait esse Aristot. *Et in expertibus vitæ est* (inquit) *quoddam imperium instar harmoniæ.* In homine quoque cogitando dominatur animus, operando seruitium exhibet corpus, corpus enim neque audit, neque sentit, neque intelligit absque anima; ipsa verò sine corpore audit, sentit, intelligit. Tandem in animatis (quorum gubernium primo homini à Deo traditum est, vt præesset piscibus maris, volatilibus cæli, &c.) id cernere licet, & in summa, nulla multitudo ordinatior est, & meliùs gubernatur nisi ab vno, ideoque & Ecclesiam militantem ab vno gubernari necesse est, atque ideo Monarchiæ gaudet gubernatione, hoc quippe nomen Græcum deducitur à verbo *monos*, quod significat *vnum*, & *Archos*, quod significat *Princeps*.

Aristot. 1. Polit. 3.

In exercitu vni omnes parent Imperatori, in naui omnes vni gubernatori, in monasterio vni Cænobiarchæ, in alueari omnes apes vni reginæ obedire videmus. Non est igitur æquum Ecclesiam nisi ab vno gubernari, alioquin in alueari mellis dulcedo, in Ecclesia fellis amaritudo abundaret, quam degustauêre antiqui, siue ab eis assumpta fuerit gubernatio Aristocratica, siue Democratica, vtraque enim est imperfectior.

2. Gubernatio Aristocratica persimilis œconomicæ, vbi vir & vxor domum gubernant.

Monarchia, Aristocratia quidem, quæ est regimen paucorum & sapientum, quando nimirum aliquot sapientes rectè & iustè gubernant subditos, persimilis gubernationi œconomicæ, vbi duæ personæ gubernant domum, vir & vxor; in hac gubernatione inconueniens est, si illi pauci diuites, nobiles, & virtuosi non perseuerent in amore, & bono affectu erga bonum commune, si multos quærant amicos, & illis solis benefaciant, reliquos nihil curent, si sint timidi; cùm enim sint pauci, possunt opprimi à plebe, & ideo oppressionem anteuertere, & plebem corripere non possunt, quæ de fidelitate ipsorum dubitat: & dato quòd hoc non esset, plebs inuidere posset, quod perpetuò in naui Reipub. gubernacula teneant, atque ita mutationem regiminis procurent, vt de facto in Polonia accidit, vbi à regimine Aristocratico duodecim Palatinorum, ad gubernationem regalem deuentum est.

Cromerus.

3. Gubernatio Oligarchica est persimilis plurium fratrum domui

Regimen verò Democraticum, seu status popularis, vbi penes populum est gubernatio, plura afferre potest inconuenientia, vt experientia edocuit in regimine antiquo populi Romani. Et licet ista gubernatio sit persimilis gubernationi plurium fratrum in eadem domo, vbi maior natu dependenter ab ipsis gubernat, ita in prædicta gubernatione populus gubernat; ita tamen, quòd inter eos sint aliqui excellentiores, qui

vnâ cum populo iuſtè, & rectè gubernant. Sunt Magiſtratus ab ipſa ple- non diu du-
be conſtituti, hoc tamen inconueniens eſt, quòd omnis auctoritas gu- rabili.
bernandi ad plebem pertineat, & cuncta beneficia populi fiant, appel-
latio etiam à ſententia Magiſtratus ad populum deuoluatur. Populus
autem cùm ſit rudis, plus ad labores, & opera artium attendit, nec vno
loco conſiſtere poteſt ad iudicandum. Præterea regimen populare in
duobus præcipuè fundatur, in libertate, & æqualitate ; ſi ergo libertas
conuertatur in petulantiam, æqualitas in potentiam alicuius, vel ali-
quorum, vel nullum regimen & ordo fiet, vel tyranniſatio, periculoſum
ergo eſt & debile regimen multitudinis, multitudinem potiùs ſubeſſe,
quàm præeſſe, potiùs obedire, quàm imperare decet: & licet hæc guber-
natio ad hæc vſque tempora cernatur apud Genuenſes, Lucenſes, & Hel-
uetios, iam tamen pridem defluxiſſet, ſi non manu teneretur à Principi-
bus, ſicut de facto accidit in gubernatione Senenſium, vbi regimen po-
pulare mutatum eſt, & nunc magno Duci Hetruriæ ſubiecti ſunt.

Firmius itaque eſt, & paucioribus periculis ſubiectum regimen Mo- 4.
narchicum, quo Chriſtus Eccleſiam gubernari voluit, quicquid dicat
impijſſimus blaſphemus Caluinus, qui Epiſcopos & Sacerdotes pares eſ- Error Caluini circa guber-
ſe ait iure Diuino, & in cætu populi ſupremam Eccleſiæ poteſtatem, ac nationem Ec-
in conſilio Sacerdotum reſidere latrabat. Quanquam enim Chriſtus cleſiæ.
duodecim Apoſtolos elegerit, Petrum tamen tanquam eis Præpoſitum
inſtituit, vt iam dicetur contra illum capitalem Eccleſiæ ſanctæ hoſtem,
nullus enim capitalior hoſtis eſt Reipublicæ, quàm qui author eſt, vt multi
in illa imperent, & vnius ſceptrum veretur maioris libertatis, & diſſolu-
tionis gratiâ. Immemor fuit ille blaſphemus, quòd libertatis extremæ
licentia, extremæ ſeruitutis eſt principium, vt inquit Plato, & Chriſtia- *Plato.*
nopoliticè loquendo, *eſt origo æternæ ſeruitutis ſub Luciferi imperio in inferno.*

Nec obſtat, quòd aliqui aduerſarij objiciant, plures meliùs defendere 5.
arcem, ne ab aduerſarijs occupetur. A pluribus item oculis perſpica-
ciùs aliquid cernitur, quàm ab vno, & pluribus intellectibus faciliùs res
percipiuntur, & pluribus manibus perficiuntur commodiùs, vt Politici,
qui multa præcepta præſcribunt Principibus, & de erigendis arcibus do-
cent. At non oportet de hac Arce Eccleſiæ ſanctæ adeò ſolicitos eſſe Arx Eccleſiæ
hæreticos, aut Politicos, quoniam Dei munere, & prouidentiâ hæc Arx inexpugnabi-
inexpugnabilis conſiſtit. *Si enim arx animæ fulcitur Chriſti Domini ſolicitudine, &* lis eſt diuina
auxilio, vbi dæmon nobiſmetipſis (quo nihil eſt miſerabilius) tanquam armis in perniciem prouidentiâ. *D.Bern. Hom.*
noſtram vtens, peccati morte nos efficere conatur, inquit D. Bernardus. *Sed forti ar-* 21. *ſup.* Miſ-
mato fortior ſuperueniens ipſum debellat, eiq; vaſa captiuitatis potenter eripit ; nam vt ſus eſt.
inquit Beaux: *In agonia Chriſtus poſitus pro extremis mortis conflictibus noſtris depug-* *Beaux de Paſſ.* 9.

nabat, ne succumberemus, quantò magis Arx Ecclesiæ Sanctæ tuta est, pro cuius incolumitate Christus exorauit Deum Patrem?

Accedente igitur & oratione Christi, & depugnatione pro arce ab inexistentibus in ea, qui cibo cælesti pasti sunt, consortes Diuinæ naturæ facti, ibi certè nullum periculum arci, & in ea existentibus imminet, vt ait D. Chrysostomus: *Faciliùs est cælum exterminari, & terram perire, quàm aliquid mali pati Ecclesiam.* Maximè quia difficilis est ad hanc arcem accessus, est enim in altissimo monte collocata.

Præterea cùm vni viro plures sapientes adsciscuntur, vt de facto Summo Pontifici tunc adsunt multipes, & multimanus, & multioculi, & multocij, atque ibi ruina, & error locum non habet.

6. Iuuant etiam huius arcis fortitudinem Ecclesiæ latera, de quibus inquit Rex Dauid: *Latera aquilonis ciuitas Regis magni*; ideo tota terra exultat
Psal. 47. v. 2. in fortitudine eius: *Fundatur* (inquit) *exultatione vniuersæ terræ*, lætatur terra ac orbis, quia nec fame, nec insultibus hostium subijci, aut destrui potest: hæc arx est firma & immobilis, ac persimilis arci cælesti, Ecclesiæ triumphanti, & ratione Fundatoris, qui est Rex cæli & terræ, & ratione modi fundandi, vt iam dicetur, & ratione operariorum, qui sunt iustitia, & misericordia. Iustitia namque præparat materiam, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Misericordia autem ædificat, quia quemlibet electorum pro qualitate meritorum in gradu, & loco conuenienti collocat, & latera aquilonis, id est, eorum qui erant latera
Latera aquilonis facta sunt latera Ecclesiæ. aquilonis, à quo pandebatur omne malum, sunt latera ciuitatis Regis magni. *Latera* (inquit Diuus Augustinus) *aquilonis sunt, qui inhæserant diabolo, quicunque enim alicui adhæret, ad latus eius esse dicitur, sed per pænitentiam de peccatis euaserunt in latera montis Sion spiritualis, meridionalis, qui est Ecclesia Romana ad meridiem situata, quam pænitentes euehunt in ciuitatem magnam*, vnde exultatio vniuersæ terræ dicentium: *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri.*
Psal. vbi supra 4. n. 7. Non est igitur, cur pertimeant hostes Ecclesiæ, ne ruat, quòd Monarchiâ gubernetur.

7. Accedit quòd multitudo pariat multas disturbationes, & confusionem, in vno verò firmius solidantur rationes, quia nec disturbantur, nec sufficit dicere multitudinem posse conuenire in vnam voluntatem, quoniam
Multitudo in regimine periculosa. id improbat Doct. Subt. vbi sic habet: *Quod si dicas somniando, quòd concordabunt in voluntate, quamuis de hoc nulla sit necessitas, sed quasi faciant pacta.* Sed contra arguit *id impossibile esse, quia impossibile est plures causas esse totales vnius effectus, &c.* non solùm Physicè, sed moraliter ex mobilitate naturali voluntatis atque indifferentiæ. Item in omni genere est deuenire ad vnum, quod est mensura aliorum.
Doct. subt. in 1.

Deinde

Deinde vel hoc ipsum aduersarios conuincit, quod facilitas Reipub- 8.
licæ consistat in eo, vt iuuetur in pace, vt in sufficientia necessariorum viuatur, vt ex ratione viuatur, hæc faciliùs possidentur ex gubernatione vnius. Nam vt viuatur, occurritur voluntate, & imperio vnius, & obedientiâ plurium, hoc idem vt in sufficientia rerum viuatur, operatur. Vt verò pacificè viuatur, quod est finis principaliter intentus in Repub. sicut in intentione medici sanitas ægri, hæc fortior est in vnius virtute, quàm in multorum, vbi distrahitur, his hoc, illis illud volentibus, & ex eodem concluditur, vt virtuosè viuatur; nam sicuti voluntas vnita semper est fortior, ita & virtus ex quo sequitur, quòd quò pauciores sunt ad virtuosè & rationabiliter viuendum directores, eò perfectiùs dirigere dicuntur, & vnus omnium perfectissimè dirigens, omnium optimus dicetur, rationis ipsius instar, quæ ideo perfecta & optima est, quòd nonnisi vna est: Alexandri Monarchia in plures discerpta, & diuisa, multiplicauit mala in terra. Et Deus de pastoribus multis lamentatur: *Pastores multi demoliti sunt vineam meam*, quare

Facilitas Reip. faciliùs acquiritur in Monarchia.

Hier. 12. ℣. 10.

Multos imperitare malum, Rex vnicus esto.

Agamenon 2. Illiade.

Quòd si habeat plures sapientes substitutos, iam est multimanus, & multoculus, & multoscius, vt dictum est.

Iuuat autem Monarchiam Ecclesiæ & hoc vel maximè, quod non so- 9.
lùm sit vna, sed etiam sancta Catholica visibilis, Apostolica Spiritu Christi sanctificata, à quo Ecclesia duplicem spiritum accepit, remissionem peccatorum, & dona virtutum in eum credendo, quemadmodum Eliseus ab Helia: Helias quippe significat Christum, Eliseus Ecclesiam, de quo S. Cyprianus sic scribit: *Heliæ spiritum duplicem recipit Eliseus, non quod in duas substantias idem spiritus sit diuisus, sed quòd populo Christiano, cuius typum Eliseus gerebat, accepto Spiritu Sancto, data sit potestas in opere, & sermone, & ascendentem Heliam (id est) Christum, pio desiderio prosecutus, fide claruerit, & intellectu, vita, & signis, miraculis fulserit & exemplis.* Hæc Cyprianus. Et sicut de Eliseo dicit Ecclesia, & in Eliseo completus est spiritus eius, non solùm dicit, quòd requieuit spiritus Heliæ in Eliseo, vt dixerunt filij Prophetarum, sed etiam completus, vel quia duplicatus fuit in Eliseo, id est, duplo maior, quia datus est illi cum incremento, vel quia post ablationem Heliæ remansit in Eliseo, & vtrumque quadrat pro sanctitate Ecclesiæ, quia in ea impletum est illud Christi Domini: *Eadem miracula faciet, & maiora horum.* Ideoque à Diuo Paulo *vocatur columna, & firmamentum veritatis Ecclesia Dei viui*, cui contradicunt quidam discedentes à fide, in nouissimis temporibus attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, sed non præualebunt, quia est firmamentum veritatis, Spiritus Sancti gratiâ firmata in

Ecclesia non solùm est Monarchia, sed & sancta à Spiritu S. sanctificata, duplici spiritu informata, eadem Catholica & visibilis.

S. Cyprianus Tom. 3. de Spiritu sancto.

1. Ad Timot. 3. 15.

veritate,& sanctitate. Est itaque Ecclesia vna sancta. Est quoque Catholica atque vniuersalis sanctitate fulgidâ, non pro singulis generum, cùm multi sint in Ecclesia peccatores, sed pro generibus singulorum, quia in omni lingua, & natione fuerunt multi sancti Martyres atque Confessores, Virgines, Viduæ, Anachoritæ, &c. Et tandem est visibilis, filia inuisibilis & triumphantis, quæ in cælis est.

10\. Verùm cùm Ecclesia sit vna sancta Catholica, &c. quâ ratione sit talis, & vnde habeat has appellationes? decidendum est. Vnde, inquam, hanc appellationem Monarchiæ habet Ecclesia, quòd sit vna & inexpugnabilis, similiter quòd sit sancta, item quòd sit Apostolica? cui facilè respondetur. Est vna partim ab vnitate Principis, partim ab vnitate Fundatoris, ac fundamenti, & ab eodem habet firmitatem conformiter ad superiùs dicta: ab vnitate Principis, quoniam ait de se Christus: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem Sion, & prædicans, &c.* Ille solus vt caput Ecclesiæ, vt Rex sacrorum est, non electione, sed naturâ, & voluntate Patris æterni, qui etiamsi Adam non peccasset, venisset vt Rex, & caput Ecclesiæ, secundum veriorem opinionem, Doct. Subt. quoniam ille est primus prædestinatorum, post quem cæteri, & propter quem prædestinati sunt, etiam ante præuisionem lapsus Adami, esto de facto venerit non solùm vt Princeps, & caput Ecclesiæ, sed etiam vt Redemptor. Fundamentum etiam primarium fabricæ Ecclesiasticæ vnum est. *Aliud fundamentum nemo potest ponere, nisi id, quod est Christus Iesus.* In hoc fundamento erecta est Ecclesia sancta, non in pluribus, sed vna primario, ideo firma & stabilis, ac inexpugnabilis. Primario, inquam, quia & D. Petrus fundamentum est secundarium, dicente Christo: *Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Ecclesia dicitur Monarchia ab vnitate Fundatoris, & ab vnitate fundamenti.
Psal. 2. 6.
Doct. Subt.
1. Cor. 3. n. 11.
Mat. 16. n. 18.

11\. Non est mirum, quòd synagoga corruerit, quoniam non in petra, sed in simplici terra erecta fuit, in ordine, ad abundantiam bonorum terrenorum, quam postulabat Isâac Iacobo Patriarchæ: *Det tibi Deus, de pinguedine terræ benedictionem*, imò hic erat finis, propter quem colebant Deum, scilicet abundantia terrenorum. Non est mirum, quòd plura regna sæcularia corruerint, fundata in aëre superbiæ, in aqua vanitatis. Cæterùm Ecclesia in petra, vnde & fundatio, & fundationis modus, firmissima sunt, nisi fortè velis dicere, initium huius fundationis fuisse sanguinem, & aquam, merita Christi, propter quæ mundantur conscientiæ nostræ per sanguinem, & aquam, sed & hæc sunt petra, cui etiam Sacramenta innituntur.

Ecclesia item est firmior ratione fundamenti secundarij, quàm Synagoga.
Gen. 27. 28.

Non est ergo timendum, quòd aliqua potestas temporalis debeat nocere Ecclesiæ, imò nec potestas infernalis, subiecit enim Christus: *Et portæ*

te inferi non præualebunt aduersus eam. Est firma & immobilis adeò, vt insultibus inimicorum visibilium, & inuisibilium resistere possit. Plura sunt, quibus castellum aliquod ab hostibus capi potest, vel defectus victualium, vel insultus inimicorum, vel facilis ad illud accessus. Hæc porta Christi minimè veretur, nam prouidit Christus sufficientia alimenta, nempè Sacramenta, & præcipuè alimentum panis Angelorum, corporis & sanguinis sui, quibus non solùm aluntur, qui inibi in arce resident, sed etiam *consortes Diuinæ naturæ redduntur*, vt inquit Apostolus. Negari non potest hoc castellum, & eos, qui in eo resident, maximos insultus inimicorum sustinere, hoc enim prædixit Christus huius arcis præfecto: *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret vos, sicut triticum. Et ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Magni insultus, vbi opus est oratione eius, qui est Deus & homo, pro Capitaneo arcis Summo Pontifice, & omnibus Christianis. *Respiciebat*, (inquit Hilarius) *varia tormentorum genera, quæ fideles essent subituri, quibus compatiens, ne vacillent in fide, pericula prænunciat, & vt cauti essent, monet.* Ne existimet quis, inquit Beda, humanos solùm & non sathanicos impetus imminere, & ideò orat Christus. Neque enim dæmon permittitur tentare, in rebus fidei sine speciali licentia Dei, iuxta illud: *Verumtamen animam eius serua*, quæ est subiectum fidei, quod oratione postulat Christus, ne etiam tangere animam permittatur ei, aut cribare, qui enim cribat, triticum agitat, allidit grana, vt saltim aliquod ex ipsis granis in terram, ex cribro ad pedes agitantis cadat: hoc idem facit dæmon nequitiâ suâ, agitat, turbat, commouet, vt vanis cogitationibus allidat, debilitet fidem, de spe imminuat, ait Macarius: *Nunc vsque ad cælos per superbiam eleuat, nunc vsque ad profundum per impatientiam deprimit, nunc per tristitiam ossa exsiccat, nunc lætitia ad dissolutionem incitat; nunc procurat cor deuotum, nunc frigidum, & in summa id contendit, vt nunquam in eodem statu permaneat homo.* Et quod peius est, etiam id sibi à Deo permitti postulat instanter, nam non tantum dixit Christus Dominus: *petijt vos, sed expetiuit vos*, id est, vehementer petijt, *vt cribraret vos.* Triticum vel ideo cribratur, vt ad molendinum deferatur, & ibi lapidibus molendini conteratur & frangatur, adeò vt formam grani amittat, vel vt cadat ad pedes cribrantis & conculcetur, vtrumque expetiuit sathan, vt viros sanctos, Martyres, aliosque Christianos probos lapidibus impatientiæ frangat, ita vt ne forma quidem sanctitatis in illis remaneat, vel ad pedes eius prosternantur, eiusque voluntati se subijciant in omnibus obtemperando, atque carnificem proprium deprecando, vt dicit Tertulianus: *Perniciosissimus hostis est*, qui tunc plurimùm accenditur, dum desiderijs extinguitur, quare vel maximè in articulo mortis vires suas exerit contra hominem, ideoque Christus Dominus *voluit in horto esse in agonia*, ne dum homo

2. Petr. 1. 4.

Luc. 22. 31.

Beda super illud expetiuit.

Iob. 2. n. 6.

Macarius Ægyptiaticus Hom. 5.

 transit

tranſit ex hoc mundo, & validiſſimè tentatur, ſuccumbat.

Iure igitur Eccleſia Catholica dicitur vna, ſi quidem Eccleſia eſt corpus, ſed vnius hominis vnum tantum eſt corpus. Vnde & D. Paulus dicit: *Diuiſus eſt Chriſtus?* Quaſi vellet dicere, vbi vnum caput Chriſtus, vna tantùm eſt Eccleſia, quæ eſt eius corpus. Et ad Romanos ſcribens ait: *Sicut enim in vno corpore &c.* Quod ſi quis dicat caput Eccleſiæ eſſe ſummum Pontificem, ergo erit Eccleſia biceps, quoniam & ſi duæ perſonæ Chriſtus & Papa; Papa tamen eſt Eccleſiæ caput ex inſtitutione Chriſti, & ſic potius eſt vicecaput, vel caput ex ſupremo capite. Papa caput viſibile, Chriſtus inuiſibile: Chriſtus caput in cælis propria virtute gubernans Eccleſiam per vicarium in terris. Eadem ratione dicitur, ſi quis dicat fundamentum eſſe S. Petrum, cùm etiam Chriſtus ſit fundamentum principale, & ſic eſt duplex fundamentum Eccleſiæ, ſed facilè ſoluitur dicendo; quod Chriſtus eſt fundamentũ authoritatiué, S. Petrus ſubauthoritatiué & ſubordinatè, quare optimè dicitur in Synodo Niceno: Credo vnam ſanctam &c. Rationes in oppoſitum euanuerunt ex dictis ſupra; iure item dicitur inexpugnabilis, vt modo dictum eſt.

1. Cor. 1. 13.

12.

Summus Pontifex Eccleſiæ inſtitutione, ſicut & D. Petrus, Chriſtus naturâ: Papa caput viſibile, Chriſtus inuiſibile, Chriſtus caput Eccleſiæ naturâ, Papa ſucceſſione in ſedem D. Petri.

Iam verò ſicut ratio vnitatis, & inexpugnabilitatis ſumitur ex vnitate Principis, & vnitate fundamenti, ita ratio ſanctitatis Eccleſiæ ſumitur, partim ex ſanctitate ſanguinis, partim ex ſanctitate aquæ, quæ profluxit ex latere Chriſti, partim ex aſſiſtentia Spiritus ſancti, partim ex cultu interno & externo ſanctitatis genitore, ex his ſcilicet dicitur ſancta, ex ſanguine quidem, quoniam Chriſtus Dominus ſummus Rex & Sacerdos pro Eccleſia paſſus, effuſione ſanguinis populum ſuum ſanctificauit, quam ſanctificationem etiam à Patre poſtulans dicebat: *Pater ſanctifica eos in veritate & pro eis ſanctifico me ipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Non eſt dubium ſemper & ab inſtanti conceptionis, Chriſtum ſanctum fuiſſe, dicit tamen ſanctifico me ipſum (id eſt) offero me ipſum ad ſanguinem effundendum, vt ipſi ſancti ſint, ſi enim ſummus Pontifex antiquæ legis *accepto hyſopo, & aſpergens populum ſanguine ſanctificabat eum*, quantò magis ſanguis Chriſti emundat conſcientias hominum & ſanctificat, atque adaptat ad ſeruiendum Deo viuenti?

13.

Origo & ratio ſanctitatis Eccleſiæ eſt, quia à Chriſto ſanctificata aqua & ſanguine.

Ioa. 17. 17. 19.

Exod. 12. 22. n. 19. 18.

Aqua item eſt ſanctificationis inſtrumentum, quâ abluti in baptiſmo, ſancti redduntur, & eâ ratione primum Eccleſiæ Sacramentum eſt Baptiſmus aquæ, pro quanto inſtrumento aquæ adhibito ex meritis & paſſione Chriſti animæ ſanctificantur, non ex meritis proprijs, ex theſauro Eccleſiæ, non ſumptu proprio. Lege ſancitum eſſe dicitur Venetijs, quòd ſi quis vellet ſibi erigere palatium, quia vrbs illa ſuper maria fundata eſt, ideo ex theſauro publico fundamenta eriguntur ſuper aquam, quibus

erectis

erectis, quilibet proprijs sumptibus tenetur vlterius ædificium perficere; ita Christus Dominus super aquas erexit primum Sacramentum, & primæ sanctificationis instrumentum, vt tandem bonorum operum meritis, gratiâ Dei auxiliante ædificium crescat & perficiatur, necesse est. Manifestatur item Ecclesiæ sanctitas, cogniti Numinis veneratione certis legibus, ceremonijsque deuincta, fidei professione, & externa demonstratione, vnde hic cultus partim est internus, partim externus. Internus in coniunctione ad Deum per intellectum, & affectum in mentis deuotione, quâ ex animo Deo vero preces, ac laudes referimus. Vnde illud Ciceronis: *Optimus animus pulcherrimus Dei cultus est.* Et Aristoteles ait: *Dei venerationem potissimam hominum gloriam esse.* *Cic. 2. de Natura Deorum.*

14\. *Sanctitas quoque Ecclesiæ manifestatur cultu veri Dei interno et externo diffuso per Spiritum sanctum in hominibus existente.*

Externus autem cultus consistit in sacrificijs, oblationibus, cæremonijs, & gestu humili, quo homo Deum in reuerentia habet, & hic cultus est sanctitatis genitor, sic enim pietas causat religionem, religio sanctitatem edit, & rursùs sanctitas pietati, tanquam suo principio connectitur.

Item assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia sancta, est sanctitatis causa, cùm enim in Diuinis Spiritus Sanctus non possit producere aliam personam, nec essentiam, & bonitatem communicare alteri personæ, & bonitas, quæ est essentialis, & appropriata Spiritui Sancto, est natura sua diffusiua, & communicabilis, ideo Spiritus Sanctus bonitatem suam diffundit in Ecclesiam in donis sanctitatis, vnde totius sanctitatis Ecclesiæ incrementum oritur.

15\. *Ratio, ob quā Ecclesia sancta dicitur Catholica & Apostolica?*

Tandem ratio, ob quam Ecclesia appellatur Catholica, est, quia ratione loci, temporis, doctrinæ, & materiæ vniuersalis cernitur. Ratione loci, nam vbique regnat Ecclesia, dominatur à mari vsque ad mare cum Christo Domino, à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, à polo arctico vsque ad Americam, à Septentrione vsque ad Iapones, à Meridie vsque ad Brasiliam, & per omnia mundi climata ad ipsos vsq; Antipodes protenditur, nec obstat, quòd non in prædictis omnibus partibus receptum fuerit Euangelium, nam satis est, quòd omnes obliget, vt saltem successiuè omnes illud suscipiant. Ratione temporis, est etiam Ecclesia Catholica vniuersalis, quia ab initio mundi perseuerabit vsq; ad finem, iuxta illud Angeli dictum: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* *Luc. 1. 33.* Quantæ Monarchiæ fuerunt in mundo? & omnes finem acceperunt Imperium autem Christi in Ecclesia nunquam cessabit. Et præterea vniuersalis, ratione doctrinæ fidei, quia ita est vniuersaliter vera, vt nullum errorem admixtum contineat; aut continere possit. De quo S. Ambrosius: *Tradiderunt veritatem, & elegerunt iniquitatem, sola Ecclesia veritatem possidet in generationem,* *De Veritate inquit D. Ambrosius.*

tionem, & generationem. Denique ratione materiæ, est vniuersalis, quia omnes vocat ad fidem, omnes præceptis suis obligat, non quòd omnes pro eodem tempore sint fideles, multi enim moriuntur in sua infidelitate, sed quia ex omnibus nationibus plurimi in fide moriuntur. Tandem dicitur Apostolica, quia succedit Ecclesiæ, quam moderati sunt Apostoli, quam Apostolus Petrus gubernauit, & hâc ratione successor Petri dicitur Apostolicus, sic enim oramus: *Vt domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines conseruare digneris.* Summus Pontifex etiam, cùm sit doctrinæ Apostolicæ custos, & successor Apostoli Petri, iuremeritò dicitur Apostolicus.

Matth. 18. Denique Ecclesia dicitur visibilis, *cui delicta inuisibilia denuncianda monuit Christus Dominus,* quod fieri non posset, si Ecclesia non esset visibilis. Deliramentum Lutheri floccipendendum, dum dicit: *Si credimus Ecclesiam sanctam Catholicam? ergo non videmus, cùm tamen dixerit Christus Thomæ, Quia vidisti me Thoma, credidisti,* aliud ergo vidit, aliud credidit, inquit D. Gregorius: Vidit hominem verum, & eundem credidit esse Deum, sic & nos videmus collectionem hominum, qui adunantur in confessione veræ fidei sub vno Christi Vicario in terris, & aliquid inuisibile est in Ecclesia, nempe fides, charitas, potestas spiritualis, & hæc sunt quæ credimus. Compossibilis est igitur fides cum visione, de quo subtilissimè disputat noster Doctor Subt. in tertio. Credimus igitur Ecclesiam vnam sanctam, &c. credimus virtutes dispersas in diuersis Monarchijs antiquitùs in Ecclesia in vnum cumulatas, præcipuè fortitudinem, sapientiam, & sanctitatem. Gloriabantur Romani & Græci sapientiâ. Gloriabantur Iudæi sanctitate, vt dicit D. Paulus: *Iudæi signa quærunt, Græci sapientiam volunt.* Et quis enarrabit fortitudinem Ecclesiæ in Martyribus, qui cadendo vincebant, patiendo regnabant, moriendo triumphabant? *Cæduntur gladiis more bidentium.* Sanctitas item Ecclesiæ esto non in omnibus, & singulis generum, bene tamen in generibus singulorum creuit, & crescit, vt dictum est supra. Licet, dum esset in cruce Christus tempore Passionis suæ, in sola Beatissima Virgine sicut fides, ita & sanctitas conseruata fuerit.

16.

Ecclesia sancta est visibilis & inuisibilis.

Ioan. 20. 29.

Doct. subt. in 3.

Sapientia etiam Christiana in Ecclesia præcipuè cernitur, quæ docet artem saluandi animam, & sic quæ in alijs Monarchijs erant dispersa, in Ecclesia sunt coàdunata, ideo Ecclesia in Missa, triplici vtitur idiomate Hebraico, Græco, & Latino.

CAPVT

CAPVT II.

Splendor Ecclesiæ militantis ex Hierarchico ordine, per comparationem ad Ecclesiam triumphantem, & Hierarchiam Politicam, colligitur.

QVoniam eminentia rei comparatione vel maximè innotescit, ideo Ecclesia sancta comparatur à Theologis ad Ecclesiam triumphantem, ad legem naturæ, atque Synagogam, & ad Politiam sæcularem. Si ad Ecclesiam triumphantem comparetur, ab illa in perfectione superatur, nam se habet ad ipsam vt participans ad participatum, quoniam multam eminentiam ab illa, quæ est Beatorum & Angelorum in cælis, participat; comparatur enim vt atrium ad palatium, vt luna ad solem, nam quòd ciuitas sursum sit & Ecclesia, & celebritas, S. Chrysostomus ex Diuo Paulo deducit: *Accessistis ad ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, & Ecclesiam primitiuorum,* qui conscripti sunt in cælis ad multitudinem & Angelorum frequentiam. *Hebr. 12. 23.*

Quod etiam hîc in orbe sublunari sit Ecclesia, id quoque certum est. Digressus, inquit S. Chrysostomus, ab hac Ecclesia, ad illam peruenit, &c. Et hæc Ecclesia est congregatio hominum per veram fidem, & Sacramentum Baptismi inter se adunatorum, quæ quidem Ecclesia est visibilis, vt supra dictum est, in qua pastores debent visibiliter suos subditos gubernare, docere, corrigere, excommunicare, Sacramenta conferre. Vnde S. Augustinus: *In sole posuit tabernaculum suum, in manifestatione posuit Ecclesiam suam, quoniam & omne regnum temporale est sensibile, Ecclesia autem est Regnum Christi.* His ergo vt certis suppositis, si Ecclesiam militantem comparemus ad triumphantem, ab illa (vt dictum est) superatur dignitate, & perfectione: Si verò comparetur ad illam, quæ sunt sub lege naturæ, & Synagogam, eam superat eiq; præeminet, & ex hac comparatione maxima nobis Ecclesiæ innotescit dignitas, & splendor, quoniam superat illas Ecclesias fide, & *est*, vt inquit Saluator, *ciuitas supra montem posita*, quemadmodum ergo ciuitas superat ruralia tuguriola, ita præsens Ecclesia superat supra dictas fidelium congregationes. 17.

Ecclesia militans superatur à Triumphante, superat autem synagogam & politiam, atq; Ecclesiam in lege naturæ.

Augustus Cæsar comparans Romam, quam varijs structuris ornauerat, ad illam, quæ ante ipsum erat, ait: *Romam accepi lateritiam, & reliqui marmoream.* Hoc quoque dicere potest Christus Dominus de Synagoga, & Ecclesia sancta. Imo & Successores eius.

Piasecius comparans Romam à Sixto Quinto Pontifice Maximo potentiâ, opibus, auro, & thesauris collectis, in vsum Pontificum pro recu- *Piasecius in Chronica gestorum in Europa*

sub Anno 1588. *fol.* 99. peranda terra sancta, potiùs parsimonia, quàm ex censu Ecclesiæ vbertate collectâ auctam, præcipuè ingentem auri vim; præterea à latrocinijs statum Ecclesiæ purgatum, Vrbem structuris magnificis exornatam, memorias antiquorum instauratas, aquas torrentibus à longinquo in Vrbem inductas, pyramides Imperatorum collapsas erectas, & alios his similes splendores considerans, applicat dexteritati, & potentiæ, ac virtutibus illius Pontificis illud Augusti Cæsaris dictum, nimirum quòd Romam acceperit lateritiam, & reliquerit marmoream. Sed quæ comparatio istorum ad institutionem lumine cælestis doctrinæ, & reformationem Synagogæ, quam Christus tenebrosam, obscuram, peccatorum multitudine abominabilem accepit, & lucidiorem sole reddidit, stabiliuitque ciuitatem suam Ecclesiam sanctam supra firmitatem omnium temporalium regnorum?

Itaque si comparetur Ecclesia militans ad triumphantem, participat

18. ab ea, non solùm supra dictas proprietates, nimirùm quòd sit Monarchica vna, inexpugnabilis, antiqua, diuturna, sancta, non interrupta, verumetiam accepit ab illa ordinem, & dispositionem Hierachicam, siquidem militans Ecclesia ad triumphantis typum, & ordinem constituta est, quòd non postremæ est perfectionis, & splendoris, quoniam prima benè regendi regula est ordo. Prudentia enim, quæ est prima regendi magistra, in confusione nihil operari potest, perinde vt ab oculis in tenebris nihil videtur, porro radix ordinis est inæqualitas personarum, dignitatum, & officiorum.

Ecclesia militans participat à Triumphante ordinem Hierarchicum.

Negari non potest in illa Repub. quam in paradiso intendebat, & instituerat Deus æqualitatem in omnibus benè cohærere cum ordine; ideoque si Adam non peccasset, homines æquales fuissent, quoniam omnes naturâ sunt æquales, teste Diuo Gregorio. Et ideo in illa Repub. non essent Domini & serui, captiui & liberi, Reges & populi, sed omnes filij eiusdem patris Adæ, omnes æquè digni, prædestinati, æquè boni, æquè nobiles, nec vllus mortis, aut hostis pauor, pax, & abundantia omnium ibi esset.

Et sic illa Respub. non Monarchico, neque Aristocratico regimine gubernaretur, sed Politiæ seu Reipub. persimili gubernationi plurium fratrum eiusdem patris filiorum. At vbi naturæ nostræ horologium variatum est, ne plura ex illa variatione sequerentur incommoda, Monarchicum regimen, & Regium pro statu isto diximus esse optimum, & ordinem, qui in eo statu reperitur Hierarchicum esse, sicut & ordinem Ecclesiæ triumphantis, vt docuit S. Dionysius, & sic inferior hæc Ecclesiæ gubernatio, ad superioris illius instar ordinata est. Vnde & ministerio- *S. Dionys.*

rum

rum ordines in terra, ad cælestium ordinum similitudinem compositos esse docet idem, vt quo ordine militatum hîc fuerit, eò & triumphatum illuc eatur, quoniam constituit Altissimus terminos populorum, dignitatum, & officiorum in Ecclesia iuxta numerum Angelorum, & secundum altitudinem suam multiplicauit ordines in Ecclesia iuxta Angelorum dispositionem.

Dispositus est autem vniuersus cælestis exercitus in tres mansiones, vt Christus Dominus appellauit, alij distinctiones dixêre, alij Hierarchias, id est, sacros Principatus. Sicut ergo in cælesti Ecclesia sunt tres Hierarchiæ, & in qualibet Hierarchia tres ordines, & in quolibet ordine multi Angeli, ita & in Hierarchia Ecclesiæ militantis. Hierarchiæ cælestes institutæ sunt, & distinctæ secundum gradum cognitionis Dei, ordinum verò differentia est secundum distinctionem actuum, & officiorum. Nam ad primam Hierarchiam pertinet consideratio finis, qui est Deus, ad secundam dispositio vniuersalis de rebus agendis, ad tertiam executio operum, & hunc ordinem etiam participat Ecclesia militans. 19.

In Ecclesia militante sunt tres Hierarchiæ, & in qualibet Hierarchia tres ordines, sicut & in Hierarchijs Ecclesiæ triumphantis, similiter & in Hierarchijs Politicis.

Iam verò hunc ordinem, & Hierarchiarum dispositionem, etiam per comparationem ad statum sæcularem, habere Ecclesia facilè intelligitur. Esto omninò sit diuersa Hierarchia sæcularis, & Ecclesiastica, est tamen illi persimilis, quippe in Regno est Rex, qui personam Dei gerit, sunt ministri circa personam eius, nempe consiliarij, atque Senatores, assessores, atque cubicularij, & hi pertinent ad ordines primæ Hierarchiæ; sunt etiam officiales Regni, nempe Domini Curiæ, Principatus militiæ, Iudices in Regno, Præsides, & eiusmodi, & hi assimilantur ad ordines secundæ Hierarchiæ. Sunt etiam qui legationibus funguntur, consiliata, & imperata, atque peragenda exequuntur, inter quos priuati collocantur addicti suis quippe officijs, & exercitijs, & hi assimilantur Angelis tertiæ Hierarchiæ. Itaque quod in Ecclesia triumphanti reperitur, & in Regnis temporalibus cernitur, hoc quoque in Ecclesia sancta reperiri, nulli dubium est, imò perfectius, quàm in Regnis temporalibus. Siquidem Ecclesia est, vt castrorum acies ordinata, & illi ordini iurisdictio est annexa, sicut & in Hierarchia Politica. Vnde id, quod olim Baláàm de pulchritudine exercitûs Hebræorum dixit, potiùs Ecclesiæ sanctæ conuenit. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Isrdël vt valles nemorosæ, & horti iuxta fluuios irrigui*, vt fructus decori, & sapidi malogranati. Vt inquit Gregorius. Per malum autem punicum Ecclesia designatur, quia dum multos populos in vnitate fidei nutrit, quasi multa grana sub vno cortice stringit. Et D. Hieronymus: *Malum* (inquit) *granatum propter granorum nimiam multitudinem, & intertextis membranulis, quandam Geòmetricam compositionem*

Num. 24. 5.

D. Greg.

D. Hieron.

positionem habet, & diuersas quidem mansiunculas, sed tamen omnes vno cortice comprehensas, semper in Ecclesiæ persona sumitur.

Quemadmodum igitur sub vno cortice, ingens granorum rubeòrum multitudo comprehenditur cellulis distincta ad inuicem, ita in Ecclesiæ gremio omnes Christi fideles continentur sub debito ordine, iurisdictione, & charismatibus, quæ tria sunt de ratione Hierarchiæ, iuxta D. Dionysium, & non solùm charismate instructa est, vt latrant Hæretici.

Hierarchijs, & ordinibus cuiuslibet Hierarchiæ cœlestis indita sunt diuersa nomina, & conformiter ad illa diuersa officia, ita vt in Hierarchijs Ecclesiæ militantis. Omnes igitur ibi Angeli diuiduntur in assistentes, & ministrantes. Primæ Hierarchiæ Angeli sunt assistentes Deo; aliarum verò Hierarchiarum Angeli sunt ministrantes, sed diuersimodè, alij enim ministrant imperando, Dominationes enim præcipiunt, Virtutes prohibent violentiam fieri, Potestates ordinant, Principatus dirigunt, alij tandem nunciando, exequendo, & custodiendo, & sunt Archangeli, & Angeli. Ratio autem huius ordinis est, vt infima reducantur ad Deum per media, sicut cernere est in toto vniuerso corporali.

Itaque in primæ Hierarchiæ ordine primò sunt Seraphini, qui ordo dignitate, atque officio cæteros excellit. Siquidem Angeli primæ Hierarchiæ & dignitatis, præ cæteris incendio amoris Diuini sunt præditi, & præ cæteris inflammati, atque aliorum inflammatiui. In secundo verò ordine primæ Hierarchiæ sunt Angeli, qui dicuntur Cherubin, & hi habent prærogatiuam limpidissimæ cognitionis, & plenitudinem sapientiæ. Jn tertio tandem ordine primæ Hierarchiæ Angeli dicuntur Throni, eò, quòd per ipsorum ministerium Diuinæ dignitatis excellentia, benignè, & sapienter iudicantis vniuersa hominibus innotescat. Seraphin, qui interpretantur ardentes, vel incendentes, sunt sedes Regis cœlestis, in quibus sedet Rex cœlestis, vt super Regias sedes; super Cherubin verò tamquam super cathedram Magisterij, & super Thronos, tanquam super Tribunal iudicij, quod ipsi manifestant, & exequuntur.

20. Officia præeminentiæ diuersarũ Hierarchiarum, atq; à Deo cognitionum notãtur & sedilium Maiestatis Dei diuersitas colligitur.

In secunda item Hierarchia, alij sunt Angeli, qui instruunt, & informant inferioris ordinis Angelos, atque præcipiunt, qualiter in prælationis officio debeant subditos ad Dei similitudinem reuocare, & vocantur Dominationes, quia inferioribus dominantur, eos informando, & illuminando, ac præcipiendo. Alij dicuntur Virtutes propter fortem, & immutabilem virilitatem, ad susceptionẽ Diuinarum illuminationũ & splendorem. Alij tandem scilicet tertij ordinis secundæ Hierarchiæ dicuntur Potestates, quoniam eorum officium est præcipuum còercere potestates infernales, ne lædant, aut noceant hominibus, quantum desiderant, vt insinua-

sinuauit ille, qui inter adamantem, & magnetem depicta virgula ferrea, super magnetem hanc inscriptionem dedit: VIS ALTERA VETAT. Scilicet vis adamantina vetat, ne magnes attrahat ferrum, sic vis, & potestas Angelorum vetat, ne aliquid mali à dæmonibus homines patiantur.

Deniq; in tertia Hierarchia alij sunt Angeli, qui dicuntur Principatus, quorum officium est, docere, & dirigere homines maximè subditos, vt reuerenter se habeant ad superiores, quemadmodùm dictum est, quod ad Dominationes spectat, vt subsidio eorum superiores in onere regiminis adiuuentur, ita subditi Sanctorum Principatuum subsidio ad obediendũ superioribus prouocantur. In secundo ordine tertiæ Hierarchiæ sunt Archangeli, qui Principatibus immediatè sociantur, & quia eorum officium est magna nunciare, & mentis, ac vitæ munditiam inspirare, ideo à carnalibus passionibus abstinere, & ab illecebris suadent. Tandem tertij ordinis Hierarchiæ tertiæ Spiritus cœlestes dicuntur Angeli, quorum officium est, Ecclesiasticam Hierarchiam purgare, perficere, illuminare, vt ipsis mediantibus, illuminationes à superioribus ad Ecclesiam, & populũ eius deferantur à fonte luminis, secundùm quas, iuxta diuersos gradus, vitam humanam ordinant, & disponunt. Hanc ordinationem, & distinctionem Hierarchiarum à Diuo Dionysio habemus, vbi etiam ex dictis eius colligit S. Bonauentura. *Quòd amor Seraphin est continuus summè intensus, Cherubin speculatur præclarè, Throni manifestant consilium Dei per iudicium, Dominationes præsident, Virtutes occultas virtutes reuelant, Potestates repellunt contraria. Principatus deducunt, Archangeli reuelant, annunciant, &c. Angeli custodiunt, &c.* *D. Dionysius de Angelica Hierarchia cap. 7.*

21.

Omnes Hierarchiæ Angelorum recipiunt illuminationes, Diuina Hierarchia non ita, cuius rationes assignantur.

Porro sicut Angelicæ Hierarchiæ, seu Classes cœlestium spirituum, & Ordines earum in his, quæ dicta sunt, distinguuntur, ita etiam in alijs conueniunt, & inprimis, quòd omnes illuminentur, & alij quidem mediatè scilicet inferiores, mediantibus superioribus, alij immediatè à Deo, scilicet Seraphim. Nullus Sacer Principatus recusat illuminationes, quoniam Hierarchiæ Angelicæ per hoc distinguuntur, à Hierarchia Diuina, quòd hæc non sit capax illuminationum talium, illa verò Angelica eget illuminationibus prædictis. Cuius ratio est, quia illuminatio Angelica, & Ecclesiastica est in ordine ad purgandum ab ignorantia, ad docendum in scientia, cùm enim Angeli sint Spiritus creati, sicut limitationem in natura, ita & in scientia habent, & consequenter illuminatione egent, vt scientiam eius, quod ignorant, acquirant, quod longè est à Deo & personis Diuinis, ideò ad Hierarchiam Diuinam spectat illuminare, non illuminari, de qua illuminatione dicit Propheta: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.* *Psal. 75.5.*

Montes æterni sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Hi mirabiliter, &

 penè

penè intelligibiliter, ac incomprehensiuè illuminant Spiritus incorporeos, ab illis montibus descendit in Angelos purgatio ab ignorantia, & scientiæ perfectio, dum ipsis communicat præcipuè notitiam futurorum, vt notitiam Incarnationis, ex qua insipientes corde, & indignabundi mali Angeli turbati sunt, inuidentes in tanto honore naturam humanam præponi naturæ Angelicæ: sicut ergo Hierarchiæ Diuinæ proprium est illuminare, ita Hierarchiæ Angelicæ illuminari, & illuminare, quoniam illuminatio est locutio de vero reuelato, vnde dicitur specialis locutio, de quo fusiùs supra dictum est in commento.

In Commento 2. Sent.

22. Sicut autem Deus ordinariè loquitur inferioribus per superiores, ita licitum est ei loqui inferioribus, & non superioribus, & sic de facto locutus est de Incarnatione ad Archangelum Gabrielem, & ille poterat loqui, v. g. Michàéli, &c. & tandem hominibus, sicut de facto locutus est ad Beatissimam Virginem, sic & cæteris hominibus, iuxta beneplacitum Dei, loqui possunt, eosque illuminare, qui nascuntur in tenebris & vmbra mortis, iuxta illud Sacræ Scripturæ: *Refulsit sol ille æternus in clypeos aureos, in Spiritus cælestes, & resplenduerunt montes ab eis,* scilicet superiores in Ecclesia, & per illos cæteri homines; in hoc igitur conueniunt prædictæ Hierarchiæ, quòd illuminentur, & illuminent. Ex quo intelligitur, quòd quantò propinquiores Angeli sint Deo, tantò perfectiùs illuminantur, & vna Hierarchia perfectiùs, quàm altera; si enim in ordine rerum naturalium, ita ab auctore naturæ constitutum est, quòd in ordine rerum calidarum ignis sit calidissimus, in ordine corporum splendentium sol, inter flores odoriferos rosa, inter arbores palma, inter metalla aurum, inter gemmas & lapides pretiosos carbunculus, inter pisces cete, inter aues aquila, inter animalia leo, quæ sunt quasi metra à se descendentium, ideoque quantò aliquis est propinquiùs suo metro, tantò perfectiùs. Certè multò magis id dicendum est de natura Angelica, & illuminatione eius, quòd quantò viciniores sunt Angeli Deo, tantò perfectiùs illuminantur.

Illuminatio est locutio de vero reuelato.

1. Mac. 6. 39.

23. Supra dicta omnia, quæ de Hierarchia, seu sacro ordine Angelico dicta sunt, Seraphicus Doctor seraphicis conceptibus fusè confirmat, & applicat ad Hierarchiam Diuinam, & ad Hierarchiam mentis humanæ dicens: quòd contemplatio consistat in consideratione cœlestis Monarchiæ, in consideratione luculenta mentis humanæ Hierarchizatæ siue Hierarchicæ ordinatæ, prima intelligitur per solem æternum, altera per stellas, qualiter autem fiat hæc Hierarchizatio, fusè ibidem declarat, sicut, inquit, in sole materiali est vigor, & ideo cuncta viuificat. est item splendor, & ideo cuncta illustrat, est calor, & ideo cuncta calefacit, & tamen non sunt tres soles, sed vnus sol, sic Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres sunt personæ,

Hierarchiæ & Circumcessio Diuina, quid item sit Hierarchia mentis?

& v-

& vnus Deus. Pater est summè vigens, Filius splendor pulcherrimus, & fulgentissimus, Spiritus Sanctus amor ardentissimus. Hæc Trinitas, inquit, est sol vniuersorum originans, seu principium omnium gubernans, & beatificans, qui Hierarchiam Diuinam instituit, vbi etiam nouem illuminationes assignat per circumincessionem Diuinarum personarum, quæ notat identitatem cum distinctione, de quo ille fusiùs. Hierarchiam verò mentis, inquit, instituunt diuersæ Angelorum illuminationes, vnde inquit, sicut homini cæcutienti seruiunt stellæ omnes, sic homini seruiunt Angeli, secundùm quod mittunt mirabiles illustrationes, & subdit: Vnde peccator reprehendendus est, qui negligit ista, & adiutoria eorum. Idem quoque ad Ecclesiam militantem applicat copiosè, quò Hierarchia Angelica dixit; quò lectorem remitto. Nobis sufficit insinuâsse, quid sit Hierarchia? nimirum Sacer Principatus, seu vt inquit D. Dionysius, Ordo Diuinus, scientia, & actio ad Dei formam, quantum possibile est, assimilata, & ad inditas ei illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem ascendens. Deinde quotuplex sit Hierarchia; scilicet Diuina, Angelica, Regalis, & Ecclesiastica Tandem quomodo distinguuntur, & in quo conueniunt prædictæ Hierarchiæ.

24 Quod de Hierarchijs Angelorum dictum est, & illuminationibus, hoc idem in Ecclesia militante cernitur, & ex illis concluduntur splendores Ecclesiæ militantis, quod eadem ratione sit ordinata, & disposita, & ad instar ordinationis, ac dispositionis cœlestium Hierarchizata, sic enim ad Hierarchiam Ecclesiasticam spectat, sicut & ad Diuinam, & Angelicam originatio, gubernatio, & beatificatio, est enim vna, vera, sancta, &c. Vigens, fulgens, calens circa speculationem, operationem, actionem occupata, quæ, quia ab vno perfici difficile est, Hierarchia in ordines tanquam in Classes, quæ adiutores continent, diuidenda est, ita quod licet gubernatio Ecclesiæ ex vi institutionis sit penes vnum, coàdiutores tamen illius in diuersas Classes, & ordines sunt diuersi, nam sicut inter Angelos est differentia, & ordo diuersus, tam nominum, quàm officiorum, est enim nominum ratio, quasi indicium ordinum, sicut inter homines est indicium morum. Hinc Deus dixit ad Moysen, *noui te ex nomine*, ita quoque & in Ecclesia sunt diuersa nomina, & diuersa officia, atque cognomina diuersorum statuum, in Ecclesia inquam militante, & hoc siue comparentur ad Hierarchiam Angelorum, siue etiam ad Hierarchiam Politicam.

Ecclesia militans ad instar triumphantis est Hierarchizata.

1. Exod. 33. 12.

Siquidem in prima Hierarchia primus Hierarcha assimilatur Seraphinis, & est Christus Dominus. Alter Hierarcha in secundo ordine primæ Hierarchiæ est D. Petrus, & successor eius, & assimilatur Cherubinis. In

tertio ordine eiusdem Hierarchiæ, sunt Cardinales, & assimilantur Thronis. In secunda Hierarchia, in primo ordine collocantur Episcopi, & assimilantur Dominationibus. In secundo ordine secundæ Hierarchiæ sunt Doctores, & assimilantur Virtutibus, quia lumine doctrinæ subministrant vires animæ, & potentijs eius. In tertio ordine sunt Prælati, & curam animarum habentes, & assimilantur Potestatibus, quia eorum officium est hostes animarum repellere, & deuincere, & omne quod in Deum ordinatur, promouere. In tertiæ Hierarchiæ primo ordine sunt Patriarchæ Regularium, & assimilantur Principatibus, quia ad illos spectat roborare regulis viuendi, quas instituerunt. In secundo ordine tertiæ Hierarchiæ sunt viri Religiosi, & assimilantur Archangelis, quorum est salutaria reuelare. Et tandem in tertio ordine sunt Virgines, & Viduæ, quas puritas Angelica decet.

Quod si prædicti Hierarchiarum ordines comparentur ad Hierarchiã Politicam, tunc primus ordo assimilatur Christo, scilicet Seraphin. Secundus in quo est Pontifex Maximus, assimilatur Regi Politico, est enim Pontifex Rex sacrorum. Tertius ordo Senatoribus, scilicet Cardinalium, qui assistunt Papæ. In secundæ verò Hierarchiæ primo ordine Episcopi, assimilantur Ducibus, Doctores, qui in secundo ordine, thesaurarijs, Parochi Iudicibus, Religionum Fundatores Principatibus militiæ, Religiosi militibus. Virgines, & Viduæ pedissequis Reginarum, secundùm quam participationem, & comparationem licet omnes fideles vnius sint Hierarchiæ, vnamque constituant societatem Christianitatis, ex officiorum tamen, & nominum distinctione, tres eorum distinctiones, tres Hierarchias, quas tres mansiones, & contignationes in arca Noë significârunt, Ezechiel in rota illa quadrifaciali repræsentauit.

25. Esto Ecclesiæ S. vnus sit Rector, diuiditur tamen in plures Hierarchias & ordines Ecclesiasticos, tam per comparationem ad Ecclesiam triumphantẽ, quàm etiam ad statum Politicum.

Concluditur præterea, quòd sicut inter Angelos, alij sunt qui illuminant, alij qui illuminantur, ita & in Ecclesia militante, alij sunt qui lumen recipiunt, & in fide instruuntur, vnde maximus splendor refulget in Ecclesiam, & in gloriam Dei refunditur, dum *sedentibus in tenebris, & vmbra mortis lux oritur* à sede Apostolica, veritatis Magistra fidem suscepit Polonia, Miecislao Monarcha primo Christiano postulante, postquam sacro baptismate tinctus est, quippe religionem illam, quam susceperat, non nisi ex præscripto summi Pontificis Iesu Christi Vicarij, ac D. Petri Principis Apostolorum in Romana Cathedra successoris, in Poloniam introducere voluit, & introduxit fæliciſſimo omine, nam ea prærogatiua deuotionem eius remunerauit Deus, vt si qui irrepserint errores in eam, hi facilè curantur. Quanto labore in alijs Regnis contra hanc pestem frustra pugnatur? quantum sanguinis ciuilis, eius rei causâ, in Gallijs & Belgio fluxit?

quot

quot bella exorta? cùm è contra in Polonia ſponte quâdam hoc malum ſubſidat, & aboleatur adhibita ſedula Principis curâ. Ante quadraginta annos inualuerat hæc lues. Nunc Sigiſmundi Tertij, Vladisiai Quarti pietate ad paucos redacta cernitur, & niſi à Ruthenis Græcorum ſchiſmati addictis adiuuentur, vix in publico comparere auderent.

CAPVT III.

Splendor primi Hierarchæ Chriſti Domini eſt, quod aſſimilatur Seraphim re, & nomine, & proprietatibus.



Tſi Chriſtus Dominus, vt Deus ſit extra omnem ordinem Hierarchiæ Angelicæ, nihilominus tamen vt Deus, & homo primus in primo ordine primæ Hierarchiæ collocari poteſt, quemadmodùm etiam libro præcedenti dictum eſt, quòd eſto ſit Deus, & homo, in corpore tamen politico locum cordis obtinet, maximè quia non alicuius alterius Angeli perſonam aſſumpſit, deſcendens de dextera Patris in montem Aluernæ, præter Seraphim. Omnes Angeli, ſicut & Seraphim, ſunt liberi à corruptibilitate, & puritate decori. Vnde cùm dicit Sacra pagina, quòd *creauit Deus cælum & terram*, per cælos plures Doctores intelligunt Angelos, tum quòd nihil habeât de corruptibilitate, aut impuritate paſſionum, tum quòd ſint ſemper ſereni, nullis affectuum nebulis obtenebrati, ſolidiſſimi ſunt vt cæli ſtabiles, & firmiores cælis, quos tamen Iob dicit ſolidiſſimos eſſe, quaſi ære fuſos, & quod maximum eſt, ſicut cæli intellectuales. Vnde dicit Propheta. *Qui fecit cælos in intellectu.* Cùm igitur Angeli etiam inferioris Hierarchiæ ſint adeò nobiles, cur Chriſtus Dominus non aliam perſonam aſſumere voluit ex multitudine Angelorum, niſi perſonam Seraphim? Vt quid eſſet, & quam ob cauſam de cælis ad montem Aluernæ deſcendiſſet, cunctos edoceret. Eſt igitur Chriſtus Dominus Seraphim quantum ad nomen, & quantum ad proprietates, & quantum ad formam, & quantum ad effectum lucendi, & incendendi. Porrò ſicut nominibus dignoſcuntur homines communiter, quòad mores, an ſint probi, vel ad malum propenſi, & virtutis inimici, vnde grata ſunt omninò nomina, quæ deſignant protinus actiones, & faciunt intelligere mores. Hinc loquens de Angelis D. Gregorius, inquit: *Qui idcirco priuatis nominibus cenſentur, vt ſignetur per vocabula, etiam in operatione quid ſapiant.*

26. Cur Chriſtus Dominus non in perſona alicuius alterius Angeli, niſi Seraphin in mõtem Aluernæ deſcenderit?

Pſalm. 135. 5.

D. Gregor.

Communiter etiam non alio nomine vocari poſſunt homines feroces,

niſi nomine barbarorum, ſcilicet crudelitatis,& terroris vocabulo, quoniam tales res ſingulæ, qualia eorum nomina, quarum ſcilicet & vim quodammodo ſeruant, adeò vt per illa quaſi per imagines res ipſæ cognoſcantur; ita quoque nomen Seraphim Chriſtus Dominus aſſumpſit, ex quo dignoſceretur quid eſſet, & quæ functiones, atque actiones eius. Seraphim enim idem ſignificant, quod lucens, ardens, incendens, inflammans. Ardet Chriſtus amore in ſalutem totius generis humani, in ſalutem & beatificationem: Eſt igitur Chriſtus Seraphim quantum ad nomen, & proprietates, quæ per tale nomen inſinuantur. Cæterùm an Seraphim quantum ad naturam apparuerit D.Franciſco dubitant aliqui, & non deſunt, qui affirment,& qui ſentiant,non ipſum Chriſtum Dominum in forma Seraphim apparuiſſe D.Franciſco, non illud Verbum abbreuiatum,ſed Angelum ex prima Hierarchia,quæ eſt Seraphinorum,deſcendiſſe in montem ſacrum. Cæterùm veritas leuiuſculis rationibus præponenda eſt.

Nam quæcunque in illo monte acta ſunt, Chriſtum Dominum in forma
27. Seraphim fuiſſe teſtantur in propria perſona, & inprimis cauſa deſcenſus Chriſti id inſinuat, nimirum feruens D.Franciſci cum lachrymis oratio pro peccatoribus, quæ multùm placuit Chriſto; eò, quòd ſicut ipſe in cruce pro illis ad Patrem intercedebat, ita Sanctus Franciſcus amator ſalutis hominum,vt miſericordiam conſequerentur,exorabat; dumque Seraphicis ardoribus in Deum ibidem agebatur, duram affixionem crucis contemplabatur, & ne tantorum dolorum,blaſphemiarum, ac irriſionum, & contumeliarum eſſet fruſtranea, inanis,& vacua perpeſſio, poſtulabat miſericordiam Dei: Chriſtus Dominus cernens ab alto id prouenire D.Franciſco ex amoris ardore, quo in ipſum ferebatur, deuotioni eius condeſcendens, ex dextera Dei Patris deſcendit, & paſſionis ſuæ, ac dolorum,& ſtigmatum,atque clauorum participem eſſe voluit,vt tantò magis cordi eius infigeret cauſam paſſionis ſuæ & modum, ex quanto amore pro peccatoribus mortuus ſit, quibus remiſſionem culparum liberè concederet, modo ipſi non ponant obicem ingratitudinis. *Hiericho* (inquit D. Auguſtinus) *expugnabant orationes Sanctorum vltionem Diuinam, communiter autem peccatores ponunt obicem intrinſecus expugnando, miſericordiam Dei impediendo, ne ruant muri obſtinationis in peccatis, ingratitudine erga Verbum Diuinum in cruce pro ipſis ſupplicans, ne igitur obicem ponerent peccatores gratiæ Dei, orabat Sanctus Franciſcus.* Præterea ipſa Verbi abbreuiati poſitio & effigies, non Seraphim, ſed Ieſum Chriſtũ fuiſſe teſtatur in natura, nam apparuit etſi in ſpecie eximius, dirè tamen cruci affixus, non ſecus, atque à Iudæis crucifixus cernebatur, vt refert S. Bonauentura, dicens: Quod B. Franciſcus ſupernæ contemplationis dulce-

Quam ob cauſam Chriſtus Dominus voluit eſſe participem paſſionis propriæ, atq; dolorum S. Franciſcũ?

D. Auguſt.

S. Bonauen.

dulcedine in monte Aluernæ abundantiùs solito superfusus, àc cœlestium desideriorum ardentiori flammâ succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatiùs dona sentire, & cum Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, quòd ex charitate nimia crucifigi eidem complacuit, vidit quasi speciem vnius Seraphim sex alis tam fulgidis, quàm ignitis tectum (vt sol tegitur radijs) volatu celerrimo ad locum viro Dei propinquum descendentem, aduertitque cruci affixum, manus, ac pedes extensos, & cruci affixos, vultum gratiosum & familiarem, sed mœrore plenum, & oculis sanguine rubicundis, sydereum lumen radiare ex facie, quæ despiciebatur, alapis cædebatur, splendorem emicare ex auribus, quæ audierunt verba præcipitationis dicentium: *Si Filius Dei es, descende de Cruce. Vah, qui destruis templum Dei*, & alia opprobria; vel vt legit S. Augustinus *verba submersionis, aliosque sensus fulgore nimio splendentes*. Hæc non competunt Angelis, sed Deo Redemptori, ac Saluatori, qui, vt inquit D Hieronymus. *Quod erat Maiestatis potentiæ, in id, quod misericordiæ, patientiæ, humilitatis & gratiæ, transtulit.* Non competit Angelis crucifigi, etsi id summoperè desiderant; vnde & Isaiæ in forma crucifixi Seraphines apparuerunt duas alas habentes extensas, & cæteras partes, partim caput, partim pedes tegentes Aulici Philippi Regis Macedonum, illo claudicante, claudicabant. Similiter & Angeli cernentes Dominum illorum crucifixum, & mortuum in cruce, etsi mori non possint, aut crucifigi vt Christus crucifixus fuit, repræsentant tamen distributione alarum formam crucifixi, ita & Christus repræsentauit Seraphim, & apparuit in forma Seraphim, non tamen in natura illorum, sed in propria natura carnis assumptæ. *D. August.* *D. Hieron.*

Præterea colloquium D. Francisci cum crucifixo luminoso clarè insinuat non Seraphinum, sed Christum, quasi speciem vnius Seraphim, vt inquit D. Bonauentura apparuisse D. Francisco. Et licet idem D. Bonauentura dicat, illud colloquium familiare arcanum fuisse, verisimile tamen est, quòd de eo colloquebantur, quod maximè mirabatur S. Franciscus nimirum, quomodo passionis infirmitas cum immortalitate Spiritus Seraphici conueniret? Qualiter Christus Rex cæli & terræ, cùm iam esset gloriosus & impassibilis, apparuit dolorosus, & mærore plenus? Qualiter esset misericors, & beátus? siquidem misericors ille est, qui miserum cor habet ex compassione de malis & peccatis alienis, qualem compassionem cernebat in Christo. Discere igitur exoptabat, qualiter fuerit possibile passibilitatem, & impassibilitatem eidem conuenire? Cui respondens Christus ait: Francisce Deum quæris, Christum inter deserta cupis, & intelligere vis, qualiter infirmitas passionis, ac compassionis cum immortalitate spiritus conueniret? Accipe solem solis Deum 28. Colloquium D. Francisci in monte sacro Aluernæ cum Seraphin crucifixo qualenam fuerit? D. Bonauen.

 pro

pro peccatoribus exorantem: Accipe eum, qui pro ipsis mortuus est. Miraris me iam gloriosum, peccatoribus tamen compatientem, & misericordiam offerentem. Desine mirari, ex te ipso disces virtute Dei hæc compatibilia esse, en cor, & corpus tuum mortale meo munere, & singulari priuilegio retroactis sæculis non concesso, impassibile reddetur, & impassibilitatis, ac glorificatæ carnis specie exornabitur, dum sigillo Stigmatum meorum signabitur.

Ex quo intelliges possibile esse, quòd sim impassibilis, & misericors, simul effectu non affectu, dum enim miseros aspicio homines, ipsi sentiunt misericordiæ effectum, at ego non sentio miseriæ affectum, & miserum cor longè est à me. Vides me cruci affixum, noueris quòd non imbecillitatis vinculis, sed magnæ charitatis imperio me Pater affixerit, & alligauerit cum hominibus pietate certando.

29. Tandem ex effectibus ipsius visionis præcipuè tribus, nempe attractionis cordis, & incendij mentis, ac stigmatum sigillis, id comprobari potest, quòd non aliquis ex Seraphinis, sed ipse Christus Dominus S. Francisco apparuerit, qui attraxit cor eius, ac incendit. Lumen quippe Diuinum attrahit, incendit, & transmutat. De primo effectu S. Bonauentura sic ait: *Supernæ contemplationis dulcedine abundantiùs* scilicet attractionis) *solitò superfusus*, seu attractus *S. Franciscus cœpit supernarum immissionum cumulatiùs dona sentire.* Nec mirum, quia vt ait D. Hieronymus supra citatus: *Profectò quod erat Maiestatis, &c.* Attrahit autem Deus ad se per dolorem, & amorem, per tribulationes, & beneficia plurimos. Attraxerunt crudeles carnifices manus Christi contractas, & exhaustas effusione sanguinis, ac venas abbreuiatas ad loca clauorum violenter. *Vtinam* (exclamat Guæuera & Vbertinus) *nostras rebelles voluntates ad se attrahat Christus, vt iam non nostra voluntas, sed eius in omnibus fiat. Vtinam attrahat cor nostrum, & desideria ad cœlestia contemnendo terrena, vt attraxit mentem S. Francisci Deus per dolorem, & amorem, per tribulationes, & beneficia.* Multoties Deus permittit non solum varias aduersitates, ac molestias in homines, sed & ipsum dæmonem, vt ait Gaudentius in Lucam: *Ob correctionem generis humani villicus,* (inquit) *id est, diabolus, admissus est, vt immanitatem crudelissimi huius villici fugientes, ad pietatem Dei suppliciter recurremus, attracti per dolores, & per experientiam edocti, cui commodiùs sit seruire.* Ex hoc igitur primo affectu attractionis facto vi diuina manifestum est ipsũ Christum Dominum in natura apparuisse D. Francisco. De secundo effectu scilicet incendij mentis, ait idem Bonauentura sanctus: *Ideo talis visio erat suis præsentata conspectibus, vt amicus ipse Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Iesu Christi expressam similitudinem transformandum.* Hoc incendio mentis vertex montis inflammatus, vicinos cernentes in admirationem induxit.

Ex affectibus visionis Seraphin crucifixi, colligitur Christũ in natura, & non Angelum D. Francisco apparuisse in monte sacro Aluernæ.

Gaudentius in Lucam.

An non proprium est Christo mentes hominum incendere? Ille est, qui duorum discipulorum in via, pergentium in Emaus cor accendit. 30.
Nonne (aiebant) *cor nostrum erat ardens, cùm loqueretur nobis in via?* itaque ille idem incendit cor Sancti Francisci.

Christus Dominus attrahit & incendit corda hominum.
Luc. 24. n. 32.
D. Bonau.

De tertio item effectu illius visionis, scilicet Stigmatibus, sic ait D. Bonauentura: *Postquam igitur nouus homo Franciscus, signatus apparuit, sacris videlicet Stigmatibus decoratus, descendit de monte secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei viui.* Vnde amicus ipse Christi, &c. præcognouit se totum transformandum in similitudinem Crucifixi. Et subdit D. Bonauentura, *quòd ille, qui signacula illa secretè impresserat, miracula apertè per ipsa monstrauit, vt scilicet fideles miracula cernentes, viderent gratuitæ miserationis, & redemptionis suæ signa, atque ita redempti confessionis obsequium redderent, & frigescente mundo in Christi Crucifixi amorem incenderentur, eorumque corda circa beneficium Passionis Christi inflammarentur, intellectu illuminarentur, & voluntate dirigerentur, terrena despiciendo, & ad cælestia aspirando.* Ex his igitur manifestum est non Seraphinum, sed ipsum Christum Dominum, in forma Seraphin apparuisse Diuo Francisco, in monte sancto Aluernæ. Et hic est primus splendor nostri Seraphin.

Verùm & in causa apparitionis diuinus fulgor Christi Domini cernitur, nimirum vt gloriosum Patrem nostrum in virum Seraphicum promoueret, & transformaret, cælestem signiferum efficeret, faces Stigmatum toti mundo præferentem, ac ardentem in Deum, & salutem hominum in amore perficeret, inflammaret, meditationem Passionis suæ amaræ in corde eius firmaret, sicut & de facto firmauit, ita vt nec oculo compassionis imaginem eius aspicere potuerit absque lachrymis, & singultibus. Aduertunt plerique Authores, nonnullos Sanctos ex meditatione Passionis Christi grauissimos sensisse dolores. De Sancta Coleta scribit Stephanus Illiac, quòd sæpenumerò ferijs sextis dolore incredibili in manibus, pedibus, & latere prægnantes æstus Euangelij tempore percipiebat, tanquam vrentes dolores commiserando Crucifixo. Quod etiam refert Thomas Cantiprat. de ciue quodam Dionantensi, anno circiter 1210. quòd reuoluendo cruciatus Passionis Christi, amore, & dolore, & stupore pariter absorbebatur, cùmque æstum mentis ferre non posset, disrupto corde expirauit. De Sancta Birgitta res certa est, quæ in eo passu fuit à Christo priuilegiata. Cæterum gloriosus Pater Sanctus Franciscus duplici commiseratione Passionis Christi æstuabat, & inuisibili (vt supra dictum est erga Christum deuota, in corde & animo, & visibili, ita vt iam visibiliter in Christum Crucifixum transformatus cerneretur. Propter quod etiam ille cælestis Seraphim cruci affixus apparuit, vt totum

31.
Causa item apparitionis Seraphin in Monte sacro Aluernæ fuit, vt D. Franciscũ transformaret in virũ Seraphicum.
Stepha. Illiac.
Thomas Cantip.

pratanus lib. 2. de apibus c. 25. & obuenus ex ipso in Eccl. 49. §. 4.

tum in se Beatum Franciscum transformaret, in corde, & corpore. Refert Thomas Cantiprat. quòd cùm tyrannus quidam quæreret, cur captiuus Christianus perpetuò mæstus esset, ac lachrymis grauis incederet? respondissetque acerbissimos Christi dolores à se animo recoli, eiusq; stigmata altiùs cordi esse inscripta: Homo barbarus viscera ferro tentare, & aperire pectus imperat, & ecce in exsciсso corde spirantem Crucifixi effigiem diuinitùs elaboratam conspicit; miserationis in Christum illustre monimentum, quòd pius hic Christianus in corde Christum Crucifixum gestauerit, magnum pietatis signum post mortem eius Deus fieri voluit. At commiserationem in Christum Crucifixum Beati Francisci, & in corde, & in corpore ipso etiam viuente manifestare placuit Deo, in signum rememoratiuum Seraph. Crucifixi.

Neque verò absque speciali mysterio Seraphim Christus Dominus apparuit D. Francisco sex alis tectus varijs, vt palàm fieret D. Franciscum Seraphim contemplatione se disposuisse ad perfectionem Seraphicam. Alæ, & alarum plumæ in Angelis & hominibus contemplatiuis sunt cogitationes, quòd etiam aliqualiter percepisse videntur Ethnici; nam refert Celius de Zorastro antiquissimo sensisse ipsum, quòd animæ hominum essent plumatæ; sensit enim animas hominum plumis in corpora descendere. Sed Plato correxit hanc opinionem, asserendo animas nostras duabus alis volare, quarum vna est instinctus, & inclinatio ad intelligendam veritatem Diuinam: altera inclinatio ad bonum Diuinum. His plumis metaphoricis tam altè volauit D. Franciscus, vt in virum Seraphicum euaderet, contemplando opera Diuina, & desiderando atque postulando amorem boni Diuini. Et quoniam opera Diuina maximè cernuntur in creatione, & redemptione, ideo B. Franciscus totus in eo erat, & considerando opera creationis in laudem Creatoris ex intimo corde consurgeret, vt de ipso canit Ecclesia: *Laudans laudare monuit, laus illi semper adfuit, laus, inquam, Saluatoris: inuitat aues, bestias, & creaturas alias ad laudem Conditoris.*

32. *Ad perfectionem D. Franciscus peruenit, & volauit sex alis contemplationis, & sex item amoris Sera-*

Fieri posset, quòd aliquis ex viris Christianis, vel Religiosis, in eo imitari desideret B. Franciscum, ideoque in gratiam eius placuit paulò fusiùs prædictas sex alas contemplationis creaturarum. & alias sex Seraphici amoris, quas Seraphicus Doctor illuminationes scalares, seu gradus perueniendi ad Deum, per illuminationem intellectus vocat, proponere. Auspicandum ab eo, quod olim nulli licitum erat ingredi in Sancta Sanctorum, nisi Summo Pontifici, cæteris in atrijs remanentibus. Contemplari Deum, & processiones, atque attributa Diuina, nulli licitum est, nisi prius in atrijs per contemplationem creaturarum Dei erudiatur,

diatur, & primùm quidem in atrio remotiori ſpeculationis créâturarum in ratione veſtigij, deinde in atrio proximiori contemplationis créâturarum rationabilium per imaginem Dei, eamq; duplicem, naturalem & ſuper naturaliſatam, quæ eſt in Angelis, & animabus hominum, & ſic tandem ingredietur in Sancta Sanctorum, contemplando perfectiones Dei infinitas, & eſſentiales, ac perſonales. Auſpicandum ab imis, à cognitione, & contemplatione vniuerſi, & procedendum per media ad ſumma. Inchoândum à contemplatione totius vniuerſi, ac créâturarum, vbi vir contemplatiuus faciet differentiam, inter veſtigium & imaginem; veſtigium quippe eſt ſimilitudo expreſſiua partis directè ducens in cognitionem partis, indirectè in cognitionem totius, imago verò eſt ſimilitudo expreſſiua totius, ducens in cognitionem totius, pes in puluere eſt veſtigium animalis, imago verò totius animalis in puluere expreſſa, dicitur imago totius.

phici, quibus mens eius per gradus creaturarum volabat vſq; ad intimũ palatium Dei.

33 Primus itaque illuminationis ſcalaris gradus, & prima ala Seraphin velantis pedes Dei, iuxta Iſaiæ viſionem, eſt contemplatio totius vniuerſi, quod Deus eo fine produxit, vt bonitatem ſuam Diuinam in illud influeret. Porro totum vniuerſum eſt, quaſi ſpeculum vnitatis Diuinæ, & ala inueſtigandi vnitatem, magnitudinem, pulchritudinem, ordinem, veritatem, bonitatem Dei, &c. vt fusè pertractat Doctor Seraphicus, quippe totum vniuerſum ratione connexionis partium, eſt quaſi vnum palatium Regis cæleſtis, quod à magnitudine ſui ducit nos cognoſcibiliter in cognitionem magnitudinis Creatoris multipliciter, ſecundum molem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, ſecundùm excellentiam virtutis longè, latèque, & profundè ſe extendentis, ſicut patet in diffuſione lucis cum efficacia operationis intimæ, continuæ, & diffuſæ, hoc cernitur in operatione ignis, vbi manifeſtè indicat Dei immenſitatem potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis Trini Dei in perſonis, qui in cunctis créâturis per potentiam, præſentiam, & eſſentiam incircumſcriptus exiſtit.

Prima ala eſt contemplatio vniuerſi.

Multitudo verò rerum ſecundùm diuerſitatem generalem, ſpecialem, & indiuidualem, in ſubſtantia, in forma, ſeu figura, & efficacia vltra omnem humanam æſtimationem, manifeſtè trium prædictarum in Deo immenſitatem inſinuat, & oſtendit. Pulchritudo item rerum ſecundùm varietatem luminum, figurarum, & colorum in corporibus ſimplicibus, mixtis, & etiam complexionatis, ſicut in corporibus cæleſtibus, & mineralibus, ſicut lapidibus, & metallis, plantis, & animalibus, tria prædicta euidenter proclamant Dei pulchritudinem. Plenitudo autem rerum ſecundùm quod materia eſt, plena formis ſecundùm rationes ſeminales,

forma

forma est plena virtute, secundum actiuam potentiam, virtus est plena effectibus, secundùm efficientiam verbum Dei loquitur. Id ipsum manifestè declarat operatio multiplex secundùm quod est naturalis, secundùm quod est artificialis, artis & bonitatis Dei, quæ quidem est omnibus causa essendi, ratio intelligendi, & ordo viuendi. Ordo præterea secundùm rationem durationis, situationis, & effluentiæ, scilicet per prius & posterius, superius & inferius, nobilius & ignobilius, in libro créaturæ insinuat manifestè primi principij primitatem, quantum ad infinitatem potentiæ. Ordo etiam diuinarum legum, præceptorum & iudiciorum, in libro Scripturæ sacræ, immensitatem sapientiæ. Ordo autem diuinorum Sacramentorum, beneficiorum, & retributionum in corpore Ecclesiæ immensitatem bonitatis, ita quòd ipse ordo nos in primum, & summum potentissimum, & sapientissimum, & optimum euidentissimè manu ducat. Hæc Diuus Bonauentura.

Qui igitur tantis rerum créaturarum splendoribus non illustratur, cæcus est, qui tantis clamoribus non euigilat, surdus est, qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est, qui ex tantis indicijs primum principium non aduertit, stultus est; ait idem. *Aperi ergo oculos, aures spirituales admoue, labia tua solue, & cor tuum appone, vt in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas, & colas, magnifices, & honores, ne fortè contra te vniuersus orbis terrarum consurgat; Nam ob hoc pugnabit orbis terrarum contra insensatos,*
Cap. 5. 21. & è contra, sensatis erit materia gloriæ, qui secundùm Prophetam possunt
Psal. 91. v. 4. dicere: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum*
Psal. 103. 24. *exultabo, quàm magnificata sunt opera tua Domine. Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua,* per quam ad contemplandam speciem magnitudinis, pulchritudinis, & sapientiæ tuæ perducimur.

34. Alia ala Seraphim, quâ similiter velantur à Seraphinis pedes Dei, est speculatio Dei in vestigijs créaturarum, de quo fusè S. Bonauentura loco citato, vbi tandem concludit. *Quod omnes creaturæ etiam irrationales istius mundi sensibilis, sunt tanquam vestigia, quæ ducunt hominem in contemplationem Dei æterni, pro eo, quòd illius primi principij potentissimi, sapientissimi, optimi, illius æternæ originis lucis, & plenitudinis illius (inquam) artis efficientis, exemplantis, & ordinantis, sunt vmbræ resonantiæ, & picturæ, sunt vestigia, simulachra, & specula nobis ad contuendum Deum proposita, & figura diuinitùs data.* Quæ (inquam) sunt sicut exemplaria, vel potiùs exempla proposita mentibus adhuc rudibus, & sensibilibus, vt per sensibilia, quæ vident transferantur ad intelligibilia, quæ non vident, tanquam per signa ad signata. Significat autem créaturæ huiusmodi sensibilis inuisibilia Dei, partim quia Deus est omni créaturæ origo, exemplar, & finis, & omnis effectus, est signum causæ, & exemplatum exemplaris, & via finis

Ala secunda contemplatio Dei in vestigijs créaturarū.

finis ad quem ducit, partim ex propria repræsentatione, partim ex prophetica præfiguratione, partim ex Angelica operatione, & partim ex supra dicta institutione.

Omnis enim creatura ex natura est illius æternæ sapientiæ quædam effigies, & similitudo, sed specialiter illa, quæ in libro scripturæ per spiritum propheticum assumpta est ad spiritualium præfigurationem, specialiùs autem illæ creaturæ, in qua effigie Deus Angelico ministerio voluit apparere: Specialissimè verò ea, quam voluit ad signandum instituere, quæ tenet non solùm rationem signi, secundùm nomen commune, verùm etiā Sacramēti. Ex quibus omnibus colligitur, quòd *inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: ita quòd qui nolunt ista aduertere, & Deum in his omnibus cognoscere, benedicere, & amare, inexcusabiles sint, dum nolunt transferri de tenebris in admirabile lumen Dei. *Deo ago gratias per Iesum Christum Dominum nostrum, qui nos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum*, dum per hæc lumina exteriùs data, ad speculum mentis nostræ, in quo relucent diuina, disponuntur ad intrandum in atrium Dei. *Ad Rom. 1. n. 8.*

Vsque hûc vir Seraphicus, & contemplatiuus fuit in atrio remotiori, cùm ad atrium propinquius accedit, vbi contemplatur perfectiones Angelicas, & animarum rationabilium in ratione imaginis naturalis, & supernaturalisatæ, atque volat mente cum Seraphin alis contemplationis, & inprimis per speculationem imaginis in naturalibus potentijs insignitam, in quibus duo præcipuè considerantur, operatio, & ordo, itaque ibi cernere licet trium potentiarum operationes, & habitudines, quibus ad Seraphim diuinum ducimur, Deum scilicet vnum & Trinum est considerare in anima nostra operationem memoriæ, seu potentiæ conseruatiuæ, operationem virtutis intellectiuæ, & virtutis electiuæ, seu voluntatis; illa scilicet memoria ducit nos in æternitatis Dei considerationem, intellectus in intelligentiam veritatis, voluntas, quæ est electiua potentia, ducit nos in considerationem summæ bonitatis. 35. Contemplatio Dei in imagine naturali ala tertia.

Qualiter autem hæc deductio, seu volatus mentis, fit contemplantis magis proficua, docet idem Doctor, in quo consistit operatio, & operationis perfectio, memoriæ, intellectus & potentiæ electiuæ: memoriæ quidem est retinere, & repræsentare, retinet namque species corporalium, temporalium, & æternorum, præteritorum, præsentium, & futurorum, retinet simplicia vt punctum instans vnitatem, retinet scientiarum principia inuariabilia per lucem incommutabilem sibi præsentem. Ex hac retentione actuali temporalium, & æternorum, præteritorum, & futurorum, habet effigiem æternitatis, cuius præsens indiuisibile ad omnia se extendit. Porrò intellectus operatio consistit in tribus, in cognitione ter-

minorum, per quorum cognitionem deuenitur ad cognitionem principiorum. In cognitione propositionum per distinctionem & illationem, quæ nos ducunt in cognitionem operationum intellectus Diuini, in quo sunt & ideæ, & syncerae veritates. Porrò cognitio terminorum in nostro intellectu, habetur per definitionem, nam nisi cognoscatur quod est ens, per se non potest cognosci definitio substantiæ, nec ens potest cognosci, nisi cognoscantur suæ passiones, vnum, verum, bonum. Tunc autem cognoscuntur propositiones, seu dignitates syncerae, si illas certitudinaliter, & veraciter comprehendit, ita quòd sciat illas veritates, non posse se aliter habere, quod an fiat per lucem commutabilem, vel incommutabilem, discutit ibidem Doctor Seraphicus. Et tandem dicit intellectum tunc veraciter cognoscere illationem, quando videt, quòd conclusio necessariò sequitur ex præmissis, quòd non solùm videt in necessarijs, sed etiam in contingentibus, & sic siue existat, siue non existat, ita enim necessaria est illatio cùm dicitur, si homo est rationalis est risibilis, sicut cùm dicitur, si homo currit, homo mouetur. Vnde ergo est ista necessitas, nòn est ab existentia rei in materia, quia est contingens, nec ab existenstia rei in anima, quia tunc esset fictio, si non esset in re? Et respondet, quòd venit ab exemplaritate in mente æterna, secundùm quam res habent habitudinem ad illius æternæ artis repræsentationem, sicut dicit D. Augustinus:

D. August. *Omnis verè rationantis lumen accenditur ab illa veritate æterna, dum nisi per illam docentem, nihil verum potest certitudinaliter capere.* Capiet autem, si concupiscentiæ, & phantasmata non impediant, & tanquam nubes inter mentem, & veritatis radicem non interponantur. Sicut memoria ducit nos in æternitatis cognitionem, ita intellectus operatio in veritatis contemplationem.

In Commento super primum. Hinc soluitur illa difficultas, de qua egi in commento super primum, an syncerae veritates possunt intelligi, sine speciali illustratione lucis æternæ? Operatio autem virtutis electiuæ, quæ attenditur in consilio, iudicio, & desiderio, ducit nos in bonitatem summam, quod vt manifestum sit, insinuat Seraphicus Doctor, quid sit consilium, iudicium, & desiderium? Consilium (inquit) est, in inquirendo, quod sit melius? melius dicitur, quod est propinquius optimo, optimum, quod magis assimilatur summo, & nullus scit magis assimilari, nisi illud cognoscat. Omni igitur consilianti necesse est, vt cognoscat summum bonum. Iudicium est de consiliantibus per aliquam legem, nulla autem lex est melior Diuinâ, ideò ad Diuinas leges resolutio in iudicando fieri debet. Desiderium verò est illius, quòd maximè mouet, quod maximè amatur. Maximè autem esse amantem, est esse beatum. Beatum esse non habetur nisi per optimum, & vltimum finem, nihil autem appetit humanum desiderium, nisi summum bonum,

num, vel quod est aliud, vel quod habet aliquam effigiem illius; vnde multoties prouenit error, cùm intellectus fallitur & errat, cùm effigiem, & simulachrum pro veritate acceptat. Sic igitur potentia electiua ducit nos in bonitatem summam, secundùm operationem suam.

Tandem secundùm harum potentiarum ordinem, inquit Seraphicus Doctor, *ducitur contemplatiuus in ipsam Beatissimam Trinitatem contemplandam.* Nam ex memoria oritur intelligentia, vt ipsius proles, quia tunc intelligimus, cùm similitudo, quæ est in memoria, resultat in acie intellectus, quæ nihil aliud est, quàm verbum, & spiratur amor tanquam nexus amborum. Hæc tria, scilicet mens generans, verbum, & amor sunt in anima, quoad ad memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quæ sunt consubstantiales, coæquales, & coæuæ se inuicem circum incedentes. Si igitur Deus perfectus est Spiritus, habet memoriam, intelligentiam, & voluntatem, habet & verbum genitum, & amorem spiratum, qui necessariò distinguitur, cùm vnus ab altero producatur, non essentialiter, non accidentaliter, ergo personaliter. Dum igitur mens seipsam considerat, per se tanquam per speculum consurgit ad speculandam Trinitatem Beatam, Patris, Verbi, & Amoris trium personarum coæternarum, coæqualium, ac consubstantialium, ita quòd quilibet trium in quolibet est aliorum, vnus tamen non est alius, sed ipsi tres sunt vnus Deus. Ad hanc speculationem, quam habet anima de suo principio trino & vno, per Trinitatem suarum potentiarum, per quas imago Dei iuuatur, per lumina scientiarum, quæ ipsam perficiunt & informant, & Trinitatem Beatissimam repræsentant. 36. *Doctor Seraphicus.*

Tandem quarta ala, quæ extenditur ad volandum per contemplationem in montem Aluernæ ad Seraphim Diuinum, est speculatio Dei in imagine donis gratuitis reformata. *Reformatur* (inquit Doctor Seraphicus) *imago mentis nostræ tribus virtutibus Theologicis, quibus anima purificatur, illuminatur, atque perficitur, & sic imago reformatur, reficitur, & conformis fit supernæ Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Anima igitur credens, sperans, & amans Iesum Christum, qui est Verbum Patris incarnatum, increâtum, & inspiratum, scilicet via, veritas, & vita, dum per fidem credit in Christum, tanquam in Verbum increâtum, quod est Verbum, & splendor Patris, recuperat spiritualem auditum & visum: auditum ad suscipiendos Christi sermones, visum ad considerandum lucis Seraphim splendores, per has virtutes confert splendidus Seraphim suis deuotis, admirantibus, & exultantibus præ suauissima delectatione contemplationis delitijs affluente, Hierarchicas operationes, scilicet purgationis, illuminationis, & perfectionis, & charitatem, quâ purgat ab impedimentis contemplationis, concupiscentiæ, nimirum & phantasmatum. Illuminat per fidem tene- 37. *Quarta Ala contemplationis consistit in imaginis supernaturalizatæ contemplatione.*

bras repellendo, perficit per spem animum ad cœlestia erigendo, de quo fusè idem Doctor Seraphicus.

38. Itaque, quia vt dixi, his gradibus ad speciem celsitudinis Diuinæ contemplandam ascendimus, per ea, quæ sunt extra nos, atque per illa, quæ sunt intra nos; ad ea verò, quæ sunt supra nos, fide & Diuina reuelatione, nimirum circa essentialia, & personalia; contemplatio circa essentialia, deriuatur ab esse Dei, quæ est ala quinta intellectus contemplantis: circa personalia verò à summo, & infinito bono, si enim Deus est summum, & infinitum bonum, non solùm suam bonitatem communicat crèaturis finitis finitè, sed debet etiam communicare; sicut ipse est infinitus, bonitatem suam, atque essentiam consubstantialiter, & infinitè, per memoriam, & voluntatem fæcundam, & sic eam communicat personis productis; Filio per memoriam fæcundam, & Spiritui Sancto per voluntatem fæcundam, vnde pluralitas personarum emanat. Hæc considerando, atq; contemplando eleuatur mens ad laudandum Deum, in quantum crèator, atq; conditor rerum, atque adeò in quantum trinus, & vnus. Ad laudandum verò Deum, in quantum redemptor, quæ est sexta ala, contemplanda est species celsitudiuis Diuinæ, item per gradus vt inquit Bernardus.

Ala quinta & sexta contemplationis.

Ad hunc igitur montem tribus præcipuè gradibus ascendendum est, contemplando causam, modum, & finem redemptionis nostræ. In causa cernitur charitas, de qua D. Augustinus: *O charitas, quàm potens Deum mori docendo euacuásti!* & vt inquit D. Paulus *exinanísti.* Et S. Cyrillus. *In tantum dilexit, vt moreretur pro illis, & exhausit seipsum, ita quòd non erat aspectus hominis in eo.* In modo passionis cernitur dolor & tristitia, atque ideo de illo dixit Isaias. *Vir dolorum.* In lintèámento sacro Veronicæ, quod summi Pontificis beneficio, Vladislaus tunc Princeps Poloniæ propriâ manu gestauit, propter quod etiam & habitum, atque titulum Canonici Sancti Petri, vt olim Carolus Quintus Imperator, sumpsit (referente Piasecio) in hoc, inquam, lintèámento spectare licuit dolores Christi, & ex facie ipsa verberibus, & sputis fœdata, atque colligere, quantos dolores indignos tantâ maiestate pro nobis sustinuit, & exclamare. *O charitas, quæ maiestatem Dei, & hominis euacuásti.* Tristitiæ verò amplitudinem, cor sanguinem sudans, lachrymas ex oculis excutiens, abundè testatur. Tandem finis passionis Christi, fuit Patris Diuini cum humano genere reconciliatio, peccatorum remissio, & tandem glorificatio.

D. August.

S. Cyrillus Isa.

Piasecius.

Tantorum beneficiorum Dei contemplatio, ad amorem Seraphicum in Christum nos excitat, de quo iam agendum est. Verùm tamen supponendum est, quòd amor naturalis differat ab amore Seraphico, & extatico, quia amor in via est ex præsuppositione potentiarum, scilicet cognitione, quam

quam præſupponit vis affectatiua: Sicut enim differt mens à ſenſu & intellectu, ita amor ab amore, ſenſus ſentit bona & mala, intellectus intelligit bona & mala, *mens autem etſi non ſe habet*, inquit Ariſtoteles; *vt dormiens, tamen non occupatur, niſi circa diuiniſſimum, honorabiliſſimumque, neque mutatur in deterius, ſicut ſenſus & intellectus, quibus competit meliùs, inquam, non videre, quàm videre, ideoq́; mens in homine eſt quid diuiniſſimum eorum, quæ in ipſa apparent, & illa ſola*, inquit Ariſtoteles, *Diuina eſt, quæ in anima eſt, vt manus in corpore, corporis inſtrumentum, vel vt oculus viſus.* Etenim organum, (inquit) vt eſt in corpore viſus, ſic eſt in anima mens, ſicut ergo mens differt à potentijs prædictis, ita & amor ab amore, & cùm mens ſit oculus animæ, abſtrahit ab intellectu, qui eſt oculus voluntatis. Amor autem Seraphicus, & extaticus eſt ſine præuia cognitione, ſenſus ſine motu intelligentiæ, amor Seraphicus ardet ſine omni creaturæ ſpeculo, ita vt ſolus affectus abſque vlla ſpeculatiua cognitione per raptum ardoris Seraphim, & apicem mentis conſurgat, ideoque à D. Dionyſio dicitur: *Amor ardoris per ignorantiam, quia abſtrahitur à ſenſu & intelligentia, & ab alijs ſcintillis ſynderesis.*

Ariſt. 11. Metaph. cap. 9.

Ariſt. lib. 1. Ethic. cap. 6.

Hic amor dicitur Seraphicus, quia proprius cœleſtium Spirituum Seraphinorum, & nos vim amoris huius exercere in hac vita non poſſumus. Amor extaticus ex ſpeciali priuilegio alicui Sancto conceditur, & conceſſum Sancto Franciſco fuiſſe credimus, quem nec frigus offendebat, nec æſtus moleſtiam inferebat, nec offenſæ mouebant, vt accidit extaticis. Eſt enim extaſis intellectus, quæ à nullo cauſari poteſt præter Deum, vt fuſiùs egi in commentarijs ſuper ſecundùm D. Subt. Eſt enim extaſis à ſenſibus per abſtractionem ſenſuum à terrenis, & conuerſionem ad cœleſtia, quæ inſenſibilem reddit. Itaque eo fine hæc proponuntur, vt ſaltim amator Seraphim crucifixi ſtudeat aliqualiter imitari Seraphinos in amore Dei.

In Commentarijs ſuper ſecundum D. ſub.

Huius itaque amoris ſunt proprietates, quæ ſunt alæ mentis per imitationem, & accipiuntur à proprietatibus ignis vel ſolis, cernimus etenim, 39.
quòd ſol ſit mobilis non interrupta mobilitate, neque enim dici poteſt, quòd maximè videtur, mobilitatem ſolis interrupti in ſolſtitio, eſt quippè curſus ſolis non interruptus, ſed perpetuus, eſtò cùm ingreditur in aliud ſignum, ſcilicet capricorni, videatur interruptus. Eſt quoque mobilis inceſſabiliter, per dies, & annos ſine termino durationis, neque enim habet terminum in agendo; ſol præterea eſt calidus, acutus, quia cuncta calefacit, & viſcera terræ penetrat: feruidus, quoniam calore ſuo ſupra ſe fertur, & ſupra feruidus, quaſi nimio calore ebulliens vt ex obſeruationibus annotârunt Aſtrologi, præcipuè ille, qui affirmat ſphæram ſolis ebullire ad inſtar aquæ, vel alicuius humiditatis feruentis ſuperfluitates omnes eijcientis,

Sex alæ ſeu proprietates amoris Seraphici.

In lib. Vrſinæ dicto.

entis, vel instar maris impuritates omnes ad littus pellentis.

D. Dionysius. Ignis item, inquit D. Dionysius, est mobilis absque interruptione, incessabiliter agitur si adsit materia, non habet terminum in agendo; est calidus, acutus, feruidus, & superferuidus, si enim adsit materia debita, videmus ignem tremere in candela naturâ eleuante sursum, & necessitate cogente ad accipiendum alimentum infra. Hæ proprietates competunt amori Seraphico. Eædemq; ignis proprietates, & solis, sunt amoris Seraphici, qui habent actionem & non interruptam, nec finitam quiete, vel pausatione ab agendo. Quæ enim potest esse alia amoris quies, nisi eius actualis actio? quæ in illis substantijs cœlestibus non est sicut in nobis, vbi quandoq; quiescit & finitur, sed ibi sempiternè agit, existens intensè, ita vt non desinat quandoque ab agendi motione, ac per hanc intensionem, & irremissibilitatem ab intensione est inflexibilis, ab amando ordinatè amatum, & indeclinabilis ad aliquid aliud inordinatè amandum.

40. Et hæc est prima proprietas, & ala amoris Seraphici, teste Dionysio, quòd sit semper mobilis circa Diuina. Hugo Commentator addit, dicens: *Quòd motio dilectionis, quæ ad superiora est intenta, intima & inflexibilis dicitur, prout autem fit ad obiecta, id est, inferiora reductiuè & actiuè, exemplatiua nominatur, motus enim ille qui in superiori est contemplatio, in inferiori est operatio, & ad superiora tendit, vt in eis requiescat, ad inferiora tendit, vt ea ad se reducat, sursum charitas mouetur, vt illic maneat, deorsum vt reducat. Vnde mentio charitatis in superioribus quidem ad inferiores reductiua & actiua dicitur, reductiua in eo, quòd illos ad Creatorem suum eodem igne charitatis succendens conuertit. Actiua verò in eo, quòd illos acceptâ charitate illustratos ad illius voluntatem compellit, propter quod dilectio illorum contemplatiua, facta est inferiorum ad superiora occasio tendendi, & secundùm superiora incendi tanquam calefaciens inferiora, & resuscitans inconsumptibilem caliditatem, vt superardeat, sed non æqualiter. Mobile igitur amoris est, vt non torpescat dilectio nostra, neque tepescat.* Hæc Hugo.

Prima ala amoris Seraphici.
Dlugos.

Secunda proprietas, & ala amoris Seraphici est, quòd sit incessabilis, & infinibilis, absque termino durationis, sicut ignis, si inuenit aptam materiam; apta materia amoris est Deus, ideo amor eius non habet terminum in agendo, est sempiternus sine interruptione, interminabilis, infinibilis. Motio igitur illorum spirituum summæ Diuinitati appropinquantium est semper mobilis, nunquam in se subsistit, nunquam ad exteriora defluit, inflexibilis, vt ad illa extra ipsum diuertere non valeat, sed incessabiliter perseuerat.

Tertia proprietas, & ala amoris Seraphici est, vt sit calidus, sicut enim prima actio ponderosi vel leuis, est inclinatio ad proprium locum, sic actio virtutis animæ, seu potentia amatiua, est inclinatio ad naturale amabile,

mabile, & hæc significatur per calidum, caliditas enim naturaliter est inclinatiua subiecti in diffusionem sui, sic & amor est diffusiuus rei amatæ in amabile.

Quarta proprietas & ala est, quòd sicut ignis est acutus, ita & amor Seraphicus; acutum autem significat quendam impetum amoris, & vehementiam affectus ardentis, & penetrantis, vt ibi sit, vbi est ipsum amatum, cum ipso & in ipso, vt non solùm ab ipso calidum sit, sed transeat acutum in ipsum, vt sic dilectum non foris amet, sed in dilectum vadat. Vnde & Propheta ait: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Ezech. 1. n. 12.

Quinta tandem proprietas, & ala amoris Dei, persimilis soli & igni est, vt sint feruidi, & exardescant, sic exardescunt spiritus Seraphici spiritu feruentes, & qui in hoc semper eminent, superabundanter superferuidi dicuntur, quæ est sexta proprietas, & ala amoris Seraphici, ita quod fuit calidum & acutum, superferuidum fit ebulliens, & in seipso stare non valens, & seipsum contemnendo dereliquit, & sic amor superferuidus est incensus ad summum, nec aliud sequitur amorem superferuidum, nisi quietatio & amplexio in amato. Hunc amorem imitatus est D. Augustinus, qui feruens amore in Deum, sic cum ex suppositione impossibilium allocutus est: *Si ego essem ô bone Iesu Deus, & tu esses Augustinus, sagittæ sunt hæ potentis acutæ, sagittæ amoris feruidi!* Vnde cùm illas considerat Vbertinus, inquit: *Charitas Augustini, vicit scientiam Augustini.* Hunc quoque amorem imitatus est gloriosus noster Patriarcha S. Franciscus, *& ideo fortaßè*, inquit Doctor Seraphicus, *in tali similitudine sex alarum, Patri nostro D. Francisco, in illa gloriosa visione Dominus apparuit sex alis tectus, quando eum Paßionis suæ stigmatibus insigniuit, vt ostenderet spiritum eius prædictis sex alis amoris Seraphici ornatum fuisse.* Exoptandum sanè, vt orationes nostræ prædictis alis saltem per imitationem volare, & peruenire ad Deum valeant.

41. Reliquæ alæ amoris Seraphici.

Vbertinus.

CAPVT IV.

Splendor Secundi Hierarchæ Regis sacrorum D. Petri, & successoris eius Pontificis Maximi Romani, ex assimilatione ad Cherubin.

NON vulgariter Docti aduerterunt nomen, & omen, iisdem literis constare, vt & relationis regulam, alterius declaratiuam esse intelligamus, idemque esse nomen quod omen, nec aliud omen, quàm indicium, & argumentum esse, seu potiùs demonstrationem oretenus factam, vnde & quasi oremen dictum volunt, quod ore ad mentis votum fiat. Agnoscit id Ecclesia in D. Francisci celebritate

42. Summi Pontificis dignitas & honoris sublimitas ex nominibus.

quibus appellatur, intelligitur. lebritate canens: *Quem huius non deſeruit, Numen vel Omen nominis.* Vnde & Adam creaturarum nomen elatione inſinuauit, quod ex nominibus, quæ impoſuit animantibus, earum qualitates perciperent. Quare & Romani obſeruatores fuere in militibus deligendis, nominum qualitatem exiſtimantes, quòd virtutem & honorem, quem nomine gerunt, actionibus heroicis exprimant. Quod ſi ita ſit, Diuus Petrus ſplendet nominis impoſitione à Chriſto Domino, *Beatus es Simon Bariona, &c.* Succeſſori quoque eius, Diuino Numine annuente, & Spiritus Sancti afflatu, plura nomina impoſita ſunt, ſic enim dicitur, *Optimus, Maximus*, dignitatem eius maximam exprimentia, & vtrumque maximè honorandum inſinuat: item *Sanctitatis* nomen, & *Beatitudinis*, vt per nomina ſublimitas tanti Monarchæ innoteſceret, nimirum quòd ſit Dominus Apoſtolicus in Spiritualibus & temporalibus, ſiquidem dum illi tribuitur nomen *Beatitudinis*, etiam ad temporale Dominium extendendum inſinuatur, eò quòd ordinet temporalia ad beatitudinem. Nam ex corporalibus ipſis bonis beatitudinem dictam antiquis inde intelligere poſſumus, quòd bona illa dicta voluerunt, quòd beant, hoc eſt, beatos faciunt, id eſt, quòd ad iuuamen facta ſint, *nam & benè prodeſſe dicebant, ſi rectus illorum ſit vſus.* Dauid item de bonis hiſce temporalibus loquens, ait: *Beatum* (inquit) *dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Chriſtiani verò eatenus beatum Pontificem dicunt, quòd prædicta bona ſic componat, vt ea ad beatitudinem ordinet. Quod vt optimè facere Pontifex poſſit, Eccleſia orat, *Vt beatum faciat eum in terra.* Quod fecit vtique, & ad ſuam gloriam in dies amplius facere videmus, atque ex hoc benignitatem Altiſſimi in Eccleſiam, fundationem ſuam agnoſcimus. Quemadmodum autem dignitas Summi Pontificis innoteſcit ex nominibus, ita & ex aſſimilatione ad Angelos.

Pſalm. 143. v. Vltimo.

43. Quapropter non incommodè ſublimitas, & dignitas D. Petri, & Pontificis Maximi Succeſſoris eius aſſimilatur Cherubinis, de quibus Ezechiel: *Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper ciuitatem.* Chaldæa legit: *Ingredere inter rotas, quæ ſubtus Cherubim.* Explicemus ſingula, ſed præcipuè quid per rotas intelligatur? quare ſunt ſub Cherubin? quid item per prunas? Rotæ ſunt ſtatus ſæcularis, & ſpiritualis, quæ naturâ ſua, vel præſide fortunæ ſunt volubiles, in quo maximus fuit error antiquorum diſputantium: Vnde tanta mutabilitas rerum ſublunarium? nam plerique id attribuebant fortunæ.

Intelligitur quoq; ex aſſimilatione ad Cherubin. *Ezech. 10. n. 2.*

Has enim illi inſtabilitates, & mutationes tam prodigioſè à fortuna prouenire fabulabantur, quæ à ſyderum diſpoſitione fieri ſolent: Vnde & pro Numine fortunam habebant, eique ſacrificabant, non ſolùm pagani,

Filaſtr. de Hæreſibus cap. 15.

gani, sed & Iudæi, qui fortunam cæli Reginam vocabant, eoque impudenter, vt à Hieremia increpati, ausi sunt respondere. *Bona se non agnituros, nisi sacra facerent Reginæ cæli, & ex quo illi sacrificare cessauerant, rebus omnibus indiguisse, fameque, & gladio consumptos se dicebant.* Hier. 44. 17. Christiani quoque in Regnis, & Rege, ac Ducibus fortunam requirunt, in hoc cautè sentiendum est, siquidem si aliquid acciderit repentina aliqua, & inexcogitatâ occasione, nullo hominis consilio, nullo studio, fortè imo, & certè nullo merito, hoc fortunam dicito, non eo sensu, quo gentiles, & impij Iudæi, sed voluntas & occulta Dei iudicia intelligenda sunt, quòd de carcere, catenisque interim quis ingreditur ad Regnum, & alius natus in Regno inopiâ consumitur, prouidentia Dei est, ideoque rotæ sub Cherubim in visione Ezechielis constitutæ cernuntur, quæ significant Regna, & Imperia mutationibus subiecta, vt innotescat mutationes, quæ fiunt in Regnis, à plenitudine scientiæ Dei, prouenire à prouidentia, & iudicijs occultis.

Hinc regendi onus graue est, vt Reges, & Summi Pontifices experiuntur, qui nihil calamitosius dixerunt, sed & molestâ seruitute appellârint. Nam Summi Pontifices in præcipuum, perpetuumq; hunc sibi titulum sumpserunt, vt seruos sese populorum nuncupârint: *Seruus Seruorum Dei.* Prouenit autem prædicta mutabilitas, tum ex peruersorum ingeniorum diuersorum hominum malignitate, tum ex natura ipsarum rerum mutabilium, & nunquam in eodem statu permanentium, quoniam tam in Regnis, quàm in Ecclesia plures sunt peruersi, ac mutabiles, & inconstantes homines, Ecclesiasticam & Politicam disciplinam difficiliùs suscipientes, quàm boni & probi: præcepta quoque ad beatitudinem vtriusque Imperij in paucioribus effectum habent, voluntates etiam omnium promereri difficillimum est, maximè quia hominis peruicacia deficit, & morositas, vt nullum animal maiori arte tractandum sit, quàm homo, ideoque egregiè quidam dixit: *Citius artem regendi defuturam, quàm artem superandi hostes.* Nihilominùs tamen cùm Pontifex Maximus assimiletur Cherubinis, qui interpretatur plenitudo sapientiæ, & sub Cherubin rotis status Ecclesiasticus & sæcularis, quos dirigere, & firmare, atque stabilire ad Pontificem Maximum spectat; quod videbatur graue, scilicet gubernatio, & regimen populi, hoc plenitudo sapientiæ, & summa potestas leuissimum effecit. *Sapientibus enim & in tenebris oriri lumen, & noctu innasci consilium, tum sacri cecinêre vates, tum prophani, nec minus grauiter, quàm verè quidam facile Imperium in bonis dixit:* Vtcunque vel ad imperantem, vel ad parentes bonitas referatur. Nam qui bonus, hic & sapiens, & quid subditis expediat, rectè æstimare nouit lumine Diuino illustratus, & dono sapientiæ eruditus, quod vel maximè, Dei munere, Summis Pontificibus à Deo tribuitur.

44. Quam ob causam Summus Pontifex assimiletur Cherubin? nimirum ob volubilitatem rotarum, seu statuũ, ad quam firmandam plenitudo sapientiæ requiritur.

buitur, quorum corda Spiritus sapientiæ cælestis erudit, vt omnem sapientiam diabolicam, quæ in superbis Hæreticis, & terrenam, quæ in Pseudopoliticis viget, superare valeant. Sapientia quæ desursum est, siue illa sit scientia in humanis, siue sapientia in Diuinis, & hâc ratione rotæ prædictæ sunt Cherubin, scilicet status Politicus, & Ecclesiasticus sub Pontificis Summi potestate: Quod in figura exprimere voluit Deus, dum

1. Paral. 28. præcepit *ex auro purissimo fieri similitudinem Cherubin*; & in Exodo *duos præcepit facere Cherubim, eosq́ collocare ad latera oraculi: Cherub* (inquit) *vnus erit in latere vno,*

Exod. 25. 19. *& Cherub alter in latere altero.* Oraculum Dei est Ecclesiæ sanctæ status, & miraculum, & potentiæ Dei signum, quod cùm vterq; status sacer & profanus assimiletur rotis volubilibus, ita tamen firmetur à Christo status Ecclesiasticus, vt omninò videatur positus in quadro, similiter atque Ecclesia triumphans, quæ vt testatur D. Ioannes, *in quadro posita est*, esto in solo puncto tangat superficiem, sicut & cæteræ figuræ sphæricæ.

45 Hi duo Cherubin vnus à latere dextro, alter à latere sinistro oraculo assistunt, & à latere quidem dextro, *D. Petrus Vicarius Christi, sapientiâ cælesti plenus, Theologorum summitas*, vt inquit D. Dionysius; à latere verò altero, est successor D. Petri Pontifex Maximus, qui etiam plenus sapientiâ, & quò ad scientiam in humanis, vt scilicet sciat qualiter in mundo prauo, & peruersa Hæreticorum natione se habere debeat, ne decipiatur; & quòad sapientiam necessariam in Diuinis, vt scilicet secundùm Spiritum Diuinæ sapientiæ Ecclesiam sanctam regat, & potestate sibi tradita, quâ nulla alia superior, gubernet.

D. Petrus & successor eius sunt duo Cherubin assistentes statui Ecclesiastico.

Absit longè à Principibus Christianis adulatrix illa loquacitas, quæ Regibus absolutam in omnibus facultatem attribuit, independenter à Summo Pontifice, eosq; ad omnem agendi libidinem detorquet, ad derogandum legibus, ad scelera quæcunque effræni animo perpetranda, extorsiones, rapinas cuiusuis generis bonorum sacrorum publicorum, priuatorum perpetrandas. Sanè qui talia blandiuntur, nec mystico Cherubin deferendum docent, digni sunt qui Principis ita à se armati, animatiq; quasi alteri Perilli expellantur, qui suis illis venenosis blandimentis Principis absolutâ, vt vocant, potestate, ratione status induentes, vngues leonibus acuentes, famelicis prædam indicant, sub cuius velo miseros subditos pessumdare, & Ecclesiæ sanctæ, ac Summi Pontificis auctoritatem deprimere docent, omnem authoritatem Regum à Deo esse affirmando, & totam status Politici Cherubin mystico non esse subijcendam, latrare non cessant.

46. Nulli dubium est Regna à Deo esse, neque tamen sequitur, Summo Pontifici Reges posse obedientiam denegare in ijs, quorum nonnisi De-

Principes sæ-

um datorem agnoſcit, vt friuolè inferunt hi conducti euerſores pietatis Principum, ab humani generis hoſte, vt in Reſpublicas confuſiones inducant, atque iugum ſuaue Summorum Pontificum excutiant. Quis enim eſt adeò à ratione recta alienus, qui neget Regnum à Deo eſſe? Sed aliud eſt, Deum Regibus Regna concedere, aliud ordinem à Deo poſitum nolle agnoſcere; illud nemo ſapiens negat, hoc nemo niſi inſanus affirmat. Dat Deus Regnum, ſed Summi Pontificis authoritate, & interprete voluntatis Dei, non ipſe Regem, ſed per Sacerdotem alloquitur, cui tanquam Duci obedire neceſſe eſt.

culares abſtineant à regimine Eccleſiaſtico.

47.

Hinc omni laude digni ſunt Chriſtiani Reges, qui fatentur rotas eſſe ſub Cherubin, qui & in fide & religione acceptanda, & in coronis ſumendis, nonniſi ex præſcripto Summorum Pontificum procedunt. Miecislaus Rex Poloniæ, ſeu Monarcha exemplo eſſe poteſt, qui ſimulatque ſacro Baptiſmate tinctus eſt, admonitus ab alijs Chriſtianis, religionem eam, quam ſuſceperat, nonniſi ex præſcripto Summi Pontificis IESV Chriſti Vicarij, ac D. Petri Principis Apoſtolorum in Romana Cathedra Succeſſoris, coli & fructuosè exerceri poſſe. Legatos ſuos miſit ad Romanum Pontificem, qui ſuo nomine illi referrent, ſe & Chriſtianum Principem eſſe, & cùm vniuerſo Regno ſuo in poteſtate Summi Pontificis, ſanctæ Eccleſiæ Præſidis deinceps fore profiterentur, atque Epiſcopos Orthodoxæ religionis Magiſtros, ab Vrbe religionis & pietatis magiſtra ſibi ſubmitti peterent. Si quis etiam Principum, ſiue propriâ authoritate, ſiue alienâ capiti ſuo coronam impoſuerit, non proſperatur, ſed facilè euaneſcit. Præmislaus maioris Poloniæ Dux, ex Miecislai Criuouſti filij dicti ſenis ſtirpe natus, cùm regios titulos, coronatione etiam priuatâ, authoritate vſurpatâ aſſumpſiſſet, nomenq; ſuum & pingi, & nummis inſculpi iuberet hoc carmine:

Euerſores pietatis Principum, qui ratione ſtatus eis perſuadent independentiam à Romano Pontifice, non audiendi ſed exterminandi.

Lubienſcius in Vita Floriani I. Epiſcopi Plocenſis.

Reddidit hic primus victricia ſigna Polonis.

Tamen cùm id ſine ſcitu Summi Pontificis, & approbatione factum eſſet, ſucceſſum res non habuit; nam Præmislao Octauo, à die coronationis menſe, à Marchionibus Brandeburgenſibus Regni Poloniæ, ratione nouæ Marchiæ ſubditis, iiſdemque incrementorum eiuſdem Regni oſoribus, Rogozny fraude proditoria occiſo (addunt Scriptores noſtri, inquit Lubienſcius, Zarebas quoq; & Nalæcios huius cædis conſcios fuiſſe, quòd ſeueriorem eum vindicem ſcelerum, & inhoneſtas parandæ rei familiaris rationes, refrœnantem ferre non poſſent, manſiſſeque patrati ſceleris notam in his familijs, vt neque rubris veſtibus vti, neq; inter equeſtres homines in acie conſiſtere eis liceret, vſque ad id prælium, quo Caſimirus

simirus Secundus cum Russis conflixit.) Vis Regni sine scitu Summi Pontificis vsurpatum euanuit.

Boleslaus quoque dictus Chabri Rex bellicosus, etsi ab Ottone Tertio Imperatore corona donatus fuerit, neglectâ authoritate Sũmi Pontificis, non satis tamen prospero omine; nam postquam per annos septuaginta octo, quatuor Reges coronati regnarent, & Boleslaus Rex primus coronatus multum decoris, & incrementi Poloniæ adiecerit, eius tamen filius Theutonicæ coniugis Rixæ muliebri imperio obnoxius vixit penè inglorius, & Poloniam partim procerum discordiâ, post expulsionem eius ex Regno, partim vicinorum ambitione laceratam reliquit, vbi multæ amissæ Prouinciæ, quousque Casimirus ex Cluniacensi Monasterio in Regia sede positus est, qui etsi felix omninò Rex fuerit, ex eo tamen Boleslaus audax natus est, qui decus Regni coronam, iterum authoritate Summi Pontificis spoliauit.

48. Quare multo feliciori successu (Lesco Nigro ex hac vita decedẽte) Vladislaus Lokietcius coronam Regno restituit, vir quidem exiguæ staturæ, ideoque Lokietcius dictus, sed ingentis animi prudentiæ, & pietatis, qui non aliter se ad capessendum Regium decus accinxit, nisi misso ad Summum Pontificem Ioannem Vigesimum tertium, Gerardo Vladislauiensi Episcopo ius reiterandæ Regiæ coronæ (frustra obsistentibus nominis Poloni osoribus, & beneficiorum acceptorum ingratis Cruciferis, & Ioánne Lucemburico Rege Bòemiæ) Apostolicâ authoritate concessum obtinuit.

Pietas & obedientia Regũ Poloniæ, atq; deuotio erga Romanam Ecclesiam, pluribus exemplis illustratur.

Considerabat hic sapientissimus Princeps typum in Sacra Scriptura expressum, tam de conferendo, quàm auferendo Regno in Saule, & Samuele. De conferendo, postquam, inquit Sacra Scriptura, maiores petierunt Regem à Samuele, consuluit Samuel Deum, qui respondit, & ait: *Audi vocem populi, non enim te abiecerunt, sed me*; vbi in persona Pontificis Deus honorari vult, & vt Regem constituat, mandat; *Constitue* (inquit) *super nos Regem.* Itaque confert Deus authoritatem Summo Pontifici constituendi Reges, & legem Regni præscribendi, & potestatem dedit, sic enim ibidem habetur; *Et conuocato populo scripsit leges in libro, & reposuit coram Domino, quibus Regnum pacificè gubernetur*: exponunt Commentatores, ne vel Rex in populum tyrannidem excitaret, vel populus rebellionem in Regem. Sic igitur Samuel olim Summus Pontifex Regem instituit, & leges, ac modum gubernandi præscripsit, ita tamen, vt non se illum Regem fecisse, sed à Deo factum, vt vere est, diceret: *Ecce vnxit te* (inquit) *Dominus*, vt intelligerent Reges dari quidem Regna à Deo, sed non nisi per Summi Pontificis ministerium. Deus nulli Regi immediatè locutus est. Errant igitur, qui

1. Reg. 8. n. 7.

1. Reg. 10. n. 19

Ioan. Ben. supra 1. Regum 10. n. 17.

1. Reg. 10. 1.

ſatis eſſe electionem, inaugurationem, vnctionem, coronationem, poſthabitâ Summi Pontificis authoritate, per quem Deus confert coronas, & cuius authoritate vnctio, & coronatio benedictione Dei perficitur, cenſent.

Quod dictum eſt de conferendo Regno authoritate Summi Pontificis, hoc idem de auferendo Regno, & priuatione coronæ, refert Sacra Scriptura, exemplo Saulis, quem Samuel ob inobedientiam Deo, ore Samuelis inſinuatam, ob munus ſacerdotale, & officium propriâ authoritate vſurpatum; nam arcam Domini, vt lubebat, applicare mandabat, ieiunia indicebat, altare erigebat, victimas offerebat, quæ munia Sacerdotum erant. Item ob ſuperbiam, qui cùm ſciret per Samuelem Regnum ſibi ablatum eſſe à Deo, in Samuelem fuit elatus, adeò vt loquendi veniam ab eo petierit Samuel, dicens; *Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus ſit Dominus ad me nocte: Dixit Saul, loquere.* Sed impudentior factus irridendi modo, peccâſſe ſe dixit, præuaricatum ſermonem Domini, his Deum eò irritauit, vt à Spiritu illo principali derelictus, Regno & vitâ priuatus fuerit, præmonens tamen illum futuræ cladis, vt ad veram pœnitentiam eum induceret. A Deo ergo Saul habuit Regnum, Deus Regno ſibi conceſſo illum priuauit, idq; per Summũ Pontificem, quem tunc agebat Samuel: Dauidi etiam, ſpreto Saule, an non per Samuelem contulit Regnum? quare negari non poteſt, Summi Pontificis authoritatem extendi ad Regna: Quinimò potiorem eſſe poteſtatem Summi Pontificis poteſtate Regiâ, habens ſe vt duo cubicularij vnius Regis, quorum vnus eſt extimus, alter verò intimus. Rex eſt quaſi extimus Dei cubicularius, Summus Pontifex intimus, ac proinde ille ſub huius ordine poſitus eſt. Per maiorem cubicularium, ſeu intimum Deus loquitur immediatè, & per illum cubiculario minori agenda proponit; maiori cubiculario tradidit claues Eccleſiæ ſanctæ, in ſummæ authoritatis ſignum, quibus ſi claudat, nemo aperit, ſi aperiat, nemo claudit; perinde ac Principes terræ intimis ſuis, & quibus ſolis accedere ius eſt, & geſtandas præbere. His addi poteſt, has poteſtates, Regiam, & Summi Pontificis, ita intimè ſubordinatas eſſe, vt poteſtas Regia, ad quam ſpectat executio, & terreſtris Reipublicæ gubernatio, in grauioribus rebus decernendis, Dei voluntatem expectet ex Summo Pontifice, cuius duo ſunt opera, alterum vt à Deo diſcat, alterum vt doceat: Reges autem, vt ſciſcitantes illa, ad nutum eius exequantur, & populis, quos in manu tradens, exactè adimplendum curet, ne aliquid contra cœleſtis ordinis diſpoſitionem eueniat, vnde irritetur Deus. Quare quemadmodum in Chriſto Domino ſunt duæ naturæ in vna hypoſtaſi, per vnionem à Deo productam, ſicut in homine eſt corpus in vna perſona; ſicut in ſole & luna

49. Summi Pontificis authoritas in priuandis coronis Regna illuſtratur.

1. Reg. 15. 16

est idem lumen à Deo productum, in sole & luna participatum per subordinationem; ita potestas Regia est à Deo per participationem potestatis
Tacit. Annal. Summi Pontificis, qui est summus hominum, vt inquit Tacitus.

Hæ sunt duæ manus, quibus regitur mundus, & dextra quidem manus est, quò eundum sit manifestare, & quid secundùm voluntatem Dei agendum sit insinuare; sinistræ verò exequi, & iuxta Dei voluntatem terrestrem Rempublicam gerere, & instituere. Non est quod peruicaces, & impudentes Hæretici, atque Pseudopolitici in oppositum afferant, Constantinum Magnum, quem decreta Synodalia Patrum confirmasse mentiuntur, quin potiùs, id quod diximus, Constantinus ingenuè professus est, vbi de hoc ipso ad Episcopos loquens, illos intra Ecclesiam, se extra Episcopos à Deo constitutum dixit, se verò vt custodem, & executorem Synodalium decretorum, affirmauit Riuadinera.

50. Sexduplex potestas Summi Pontificis sexduplici alâ Cherubin exprimitur.

Sequitur in visione Ezechielis; *Accipe prunas*, &c. Multiplicitas prunarum insinuat, vel doctrinam salutarem spargendam per orbem, vel certè quòd prædicta Summi Pontificis potestas, atq; authoritas multiplex sit, seu splendores potestatis eius plures reperiantur extendentes se per orbem. Sed præcipuè conformiter ad numerum alarum Cherubin, sex numero sunt. Et primus quidem splendor Summi Pontificis est *ordinare*. Sapientis enim est ordinare. Alter, *determinare credenda*. Alter, *decernere controuersa*. Item quartus, *docere agenda*, *iudicare punienda*, & denique, *prouidere necessaria*. Primus inquam, splendor est ordinare tam in regenda, atque custodienda Ecclesia, quàm etiam in ordinanda sæculari politia, in ordinandis statibus, & actionibus, ad vtrumque enim extenditur potestas ordinandi Summi Pontificis, ita quòd ille ordo seruandus est, quem Pontifex Summus dederit, inter status coronas, purpuras, Sacerdotales infulas, &
Habacuc 2.n.1 sceptra; vt insinuauit Habacuc Propheta, dum dixit: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.* Pientissimorum Regum verba hæc sunt, de cælo Spiritu sancto afflante prolata, hæc enim præcipuè decent Reges Christianos.

51. Ad Papam pertinet ordinare.

Docilitatē itē in acceptandis monitionibus Summi Pontificis acceptare, & vigilantiam super custodiam, de qua subdit idem Propheta in persona Regum. *Protegam, defendam*, & Isaias *Pone mensam contemplare in specula comedentes, & bibentes, surgite Principes arripite clypeum*, qui est defensionis, & protectionis symbolum. Vtriusque virtutis, scilicet, & facilitatis in obediendo admonitionibus Pontificum, seu docilitatis, & vigilantiæ proferunt nostri Chronistæ exempla. Et de docilitate quidem, atque obedientia
Abacuc 2. n. 1 Summo Pontifici & Ecclesiæ, quæ insinuantur, dum dicitur: *Figam gradum super*

super munitionem, &c. Supple à Summo Pontifice in his, quæ concernunt statum meum, tolerabo monita. Plura exempla habet Lubenscius, vnum profero de Sigismundo Augusto. Cùm enim spargeretur rumor Sigismundum Augustum Regem in proximis, quæ tunc futura erat comitijs, nescio quid in fauorem Hæreticorum decretaturum, zelo tuendæ religionis Catholicæ Carnkouius Episcopus Vladislauiensis acrioribus literis, & hoc nomine, ac item, quòd eius libidines magno subditis essent scandalo, accusauit. Quòd Rex suâ manu Episcopo rescripsit, obiurgationem Episcopalem sibi gratam esse, eamque perinde accipere, acsi paternâ voce moneretur, religionis negotium se attingere nolle, præsentem vitæ suæ statum sibi vel maximè displicere, & daturum operam, vt adiuuante Deo, deinceps secundiori famâ reliquum vitæ transigeret. Fixit hic Rex gradum super petram, si enim cum tanta modestia tolerauit monita vnius Pontificis Diœcesani, quantò faciliùs tolerâsset monita Summi Pontificis? *Sigismu. Augustus.*

Vigilantiam quoque laudabilem refert Piasecius, de Principe militiæ Koniecpolscio pugnante contra Suecum, expostulante quippe Sueco, & annuente Rege Poloniæ, dum tractatus pacis ineundæ in castris initium sumpsit, atque cum Legatis Sueci inchoaretur, illâ eadem horâ, quâ conuiuantes apud se Legatos Hollandicos haberet, Suecus suas turmas equitum contra castra Polonica emisit. Quare Koniecpolscius relictis mensis, tumultuariè conuocatas septem equitum Vsacorum, & octo Kozacorum cohortes, ipse quoque eduxit, atque ita hostem deterruit, vt nihil attentare præsumeret. Hæc ex occasione authoritatis Propheticæ dicta sunt. Sed reuertamur ad splendorem primum potestatis Pontificiæ, ad quem spectat *ordinare*, atque formam regendi Regibus præscribere, qui monita, & ordinata, tanquam ab intimo Dei cubiculario acceptare debent, & in executionem deducere, tanquam extimi cubicularij Dei præpotentis, quidquid balbutiant Pseudopolitici. *Piasecius.*

Alius Cherubin, Ecclesiasticæ potestatis splendor est, *determinare credenda.* Ille solus est, qui non potest errare in decretis fidei, & morum, qui proponit credenda, & ea, quæ sunt supra hominem, mysteria Trinitatis, prædestinationis, & his similia. Et ea, quæ sunt in homine, nimirum credenda, de anima rationali, & immortalitate eius, & ea, quæ iuxta hominem, de Angelorum natura, potentijs, officijs, & ea, quæ sunt infra hominem, de purgatorio, oratione pro mortuis, indulgentijs pro mortuis, &c. Et ea, quæ contra hominem, nimirum de peccatis, qualiter Deus non sit causa peccati, contra impudentissimos, & blasphemos Hæreticos, Caluinum, & alios. Et ea, quæ sunt pro homine, scilicet de gratia, & auxilijs, & in summa de omnibus, quorum tractatio ad Theologiam spectat, sub- 52. Ad Papam spectat determinare credenda.

condi-

conditione damnationis æternæ credenda. In his enim, sicut & in illis, quæ pertinent ad fidem, si loquitur vt Papa, errare non potest, seu vt caput Ecclesiæ; nam vt persona priuata, seu vt Doctor, sic saltim interpretatiuè errare potest errore personali, priuato, sic Liberius interpretatiuè errasse dicitur, quòd subscripserit condemnationi D. Athanasij, quem sciebat ab Arianis fidei causâ vexari. Cùm igitur dicimus Papam errare non posse, etiam intelligi debet de formali, & externo errore; nam de interno non est ita certum. Sed quomodo dices, quòd Papa loquatur vt Papa, vel vt Doctor priuatus? Ex eo, inquam, quòd si loquitur vt Papa, dicit se loqui authoritate Apostolicâ; aliàs non, vt si aliquem librum scribat, vel interpretetur. Dixi ad Papam pertinere, determinare, & ea, quæ pertinent ad fidem, & quæ ad mores, quia non potest proponere aliquid, quòd sit contra ius Diuinum, vel naturale, nec declarare aliquid esse iustum, quod est iniustum, non potest etiam errare in declarando, an contractus aliquis sit vsurarius vel non, simoniacus vel non, an aliquis teneatur ad restitutionem vel non, item in canonizatione Sanctorum, in approbatione Regularum, aut reprobatione, sicut de facto Fratricellos, & Templarios reprobauit, quæ omnia intelligenda sunt de Summo Pontifice, de cuius legitima electione constiterit.

53. *Ad Papam spectat lites decernere.*

Tertius Cherubin, Ecclesiasticæ potestatis splendor est, *lites decernere,* vt si inter duos Principes bellum intercedat, primùm iustitia belli examinanda est, quàm ad arma veniant, hæc enim potior, quàm armorum potentia; nam quoties iudicio sequi sistit, aut staturus speratur, & rationi pariturus, toties sistenda sunt & arma, nam & omnium gentium iure constitutum est, vt inter Principes obortæ controuersiæ per legum tramites terminentur, quantò magis inter socios eiusdem religionis, ex eadem Matre germanos id seruare debetur? maximè cùm Christiani omnes sub vno crucis vexillo militent, & Christianam religionem vtcunque variarum linguarum gentibus constantem, vnicam esse Rempublicam, amicam ipsius Dei Vrbem, omnes sibi inuicem Ciues. Quòd si legibus cedere proteruia incensus Princeps noluerit, & se Christianum esse non meminerit, duos, aut tres contribules, id est eiusdem ipsius religionis ad componendum adhibendos, opus est. Si nec hoc profuerit, ad summum Pontificem recurrendum est, determinationis controuersiæ causâ: Qui tanquam Summus Dei super Principes omnes Vicarius, cuius solius Summus vtriusque gladij vsus est à cæteris Principibus, qui Christo militare se dici solent, non nisi eius nutu euaginandi interponat authoritatẽ, & imperando, arguendo, obsecrando, increpando, in lege eum continere studeat. Si nec hunc audierit ab eo execratus, tunc tandem tanquam Ethnicus, & publi-

publicanus habeatur: Id est, tanquam gentilem, vel alterius religionis, & violatorem, non cultorem Christianæ religionis agnoscas, & sic licebit in eum arma capere. Non desunt pientissimi Principes, qui etiam contra barbaros Hæreticos, Turcas, Tartaros, bellum mouere, absque benedictione Summi Pontificis, non sunt ausi.

Vlteriùs quartus potestatis Summi Pontificis splendor est, *indicare*. Falluntur Pseudopoliticì authoritatem Summi Pontificis diminuentes, & dicentes. *Cathedram sibi à Deo, non Tribunal concessum*, ad Christum quippe Dominum dictum est. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam Filio Regis.* Vbi iudicium, ius dicendi potestatem, iustitiam exequendi, exponunt. Legunt alij: *Deus iudicandi secundùm te formulas Regi da, & æquitatis studium Filio Regis.* Verùm hoc ipso, ad Summum Pontificem potestatem suam, tanquam ad Vicarium, & successorem Petri transtulit Christus. Ad Reges autem tanquam ad filios, ex quibus primus Papæ filius fuit Constantinus Magnus, qui non authoritatem habebat, sed ne authoritas Papæ à refractorijs violaretur, curabat, & sic non iubebat, sed exequebatur, quod consultum erat à Summo Pontifice, & Consistorio eius. 54. Ad Papam spectat iudicare. Psal. 71. n. 1.

Quanquam igitur verum sit Cathedram à Christo Papæ concessam esse, sed & Tribunal, verùm refractarij tetrum virus in Sedem habentes, non solùm Tribunal, sed & Cathedram Summo Pontifici denegare vellent, docentes Regem Isràél Dauid, non solùm Regem, sed & Prædicatorem egisse, sic enim inquiunt esse testatum. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Non intelligentes, quòd prædicare non est aliud, quàm illud, quod præceptum est manifestare. Ad Reges ergo pertinet manifestare, denunciare, quòd Summus Pontifex, & Ecclesia præcipit, vnde dicitur in psalmo: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Cæli, id est, Apostoli, quorum Princeps D. Petrus, enarrant, quæ ad salutem spectant, & firmamentum, seu cælum stellatum, in quo sæculares Principes significantur, id, quod enarratum est, operâ manuum exequuntur; vtrumque igitur ad Summum Pontificem spectat, & Tribunal, & Cathedra, estq; duplex, & Magister spiritualis vitæ regulas tradens, & quod à Deo didicit, populo tradat, & doceat. Psal. 18. n. 1.

Tandem quintus Summi Pontificis potestatis splendor est, *pascere gregem*; sic enim Christus Dominus trinâ commendatione edocuit D. Petrum: *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oues meas.* Vox pasce, tertiò latinè repetita, græcè duabus exprimitur. *Pasce, rege,* pasce, *vt in pasce spiritualem, in rege corporalem illi potestatem traditam intelligamus.* Bis igitur *pasce*, vt illam primariè, quæ spiritualis est, summo studio exercendam intelligeret. Semel autem dixit *rege*, vt corporali, &c. tanquam medio ad spiritualem assequendam 55. Ad Papam spectat pascere gregem.

vti meminisset. Et reuerà illud primò mirandum est, quòad prouidentiam Dei, quâ cùm prouidet oues proprias, vel maximè pastu, ad pascendum eas, placuit illi viros eligere, qui gregi pascendo applicati fuêre: Dauid Regem pascentem gregem, vocauit ad sceptrum, Sixtum Quintum Pontificem Maximum ad Tiaram.

56\. Denique vltimus potestatis Summi Pontificis splendor est, *prouidere in Regnis tranquillitatem, & in animabus hominum salutem*, vt sicut Christus orbi terrarum prouidit Apostolos, ita etiam Summus Pontifex, cui Deus totius orbis imperium commisit, prouideret idoneos Ministros salutis & tranquillitatis, qui illuminarent intellectum, & dirigerent voluntates in viam salutis æternæ. Cùm enim inter necessaria ad salutem, multa sint supra intellectum, opus habent Christiani instructione, & illuminatione in eo, ad quod lumine naturali peruenire non possunt; neque enim satis est ad tollendam cæcitatem intellectus, & prauitatem voluntatis, scientiarum naturalium sufficientia vt determinat Doctor Subtilis, sed præter has, scilicet naturales scientias, opus habet, in quo consistat salus animæ, & beatitudo eius, deinde quibus medijs ad eam peruenire possit: & tandem vt illa media, quæ in sacra Scriptura insinuantur, sufficiant ad salutem, voluntatis etiam humanæ prauitatem tollere, & eam dirigere necesse est; deficiente enim voluntate, vel errante, nullus aggreditur quod salutare est, quippe voluntas est impulsus appetitus, siue affectus cum ratione factiuus, &c. ad bonum inclinatiuus. Cùm autem falli possit, vt mala pro bonis velit, putans bona esse, hinc nitendum est directoribus voluntatis, vt dum voluntas vult, eligat cum ratione, eligere verò cum ratione, est opus sapientis. Sapientes igitur prouideri debent ad dirigendam voluntatem, non solùm in ijs, quæ ratio dictat, sed etiam in eis, quæ fides docet.

Ad Papā spectat prouidere in Regnis tranquillitatē, & doctrinam salutarem plātare per deputatos à sede Apostolica.

Et tales in orbe ad reformandum Summus Pontifex mittere, & prouidere tenetur. Nam qui seipsos ingerunt, mercenarij sunt, lupi, non pastores.

Cæterùm à Summo Pontifice mittuntur illi, quibus commissum est ab ipso accipere prunas sub Cherubin doctrinæ salutaris, & in mundum spargere. Prunæ lucent, calent, vrunt: & prædicatio quidem vrit impios, illuminat fideles, incendit deuotos.

57\. In Regno Poloniæ fides Catholica disseminata est, dum à Romano Pontifice directi fuerunt ad disseminandam fidem Catholicam viri doctissimi, & sanctitate floridi, ideoque Polonia tanquam de cælo missos venerabatur, ad consilia & gubernationem Regni eos admittendo, & Romano Pontifici quantâ gratitudine pro tanto beneficio responderit, exemplo

Exempla pietatis & deuotionis Regum Poloniæ, erga

xemplo ex antiquioribus Regibus sit Boleslaus Chabri, in cuius tumulo, quod adhuc Posnaniæ in Ecclesia Cathedrali visitur, vetustissimis literis, & iam antiquitate arrosis scriptum: Ecclesiam Romanam.

Hic iacet in tumba Princeps gloriosa columba,

Chabri tu es dictus, &c. vt habet Lubienscius.

Vbi etiam notat illos versiculos:

Præcidens comam septenij tempore Romam.

Et explicat id dicens: Cùm autem legis Epitaphij Boleslai quartum versiculum, *Præcidens comam septenij tempore Romam*, reuocat ibi, inquit, in memoriam fuisse illo tempore moris, vt pij & Christiani Principes depositis liberorum suorum comis, eos ad summum Ecclesiæ Præsidem in perpetui obsequij, & piæ seruitutis signum mitterent. Id à Miecislao quoque Boleslai parente fuisse factum, vt septimo nati sibi Boleslai filij anno, solemniter præcisam comam, Summo Pontifici dono, eius nominis secundo offerret, ac dedicaret. Et recentioribus verò Sigismundus III. Rex Poloniæ, qui in literis ad Gregorium XV. præmissâ relatione solicitudinis suæ circa communem Christianitatis salutem, & causis, & rationibus, ob quas pacem, pacisq; conditiones à Turcarum Imperatore postulatas probauerit, subdit: Filius meus Princeps Vladislaus, ita in hoc bello versatus est, vt eius virtus hostibus ipsis admirationi fuerit, hæc sunt Regiæ eius indolis rudimenta, hæc heroici animi facinora, quæ ille, tot iam bellis excitatus, & ad virtutem formatus Reipub. Christianæ, & inprimis Catholicæ religioni iuuandæ, deuouet. Hunc ego ex me natum ijs eruditum monitis, quæ ad salutem publicam curandam pertinent, præceptis paternis obsequentem, & nomini Catholico deuotum, Sanctitati Vestræ, tanquam communi Parenti Filium commendo. Viuat in sinu Ecclesiæ, sanctissimisque Sanctitatis Vestræ benedictionibus cumulatus, totum se publicæ vtilitati impendat dulce, decorum, & optabile esse pro religione, Ecclesiaque Catholica Romana mori.

Cecidit in terram bonam benedictio Paterna, nam idem Princeps in Regem Poloniæ electus inauguratus, Summi Pontificis intercessione, & benedictione rependit gratitudinis vices, partim in coronatione, vbi in formulam iurisiurandi Regij, vbi vt fidem Catholicam conseruare iurat, adiecit Romanam, & dissidentium in religione contentiones sedauit; partim in sumptuosa, splendida, & vix aliquando Romæ splendidiori visa legatione, alijsque in Ecclesiam sanctam Romanam obseruantijs animum, & deuotionem suam multipliciter declarauit.

CAPVT V.

Splendor Principum Purpuratorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quòd assimilatur Thronis.

58. Romani nomina & cognomina ab eo,quo delectabantur, assumebant. Principes sacri Ecclesiam ab eo, quod Deo & hominibus placitum est.



CEleberrimi viri, quorum operâ res Romana amplificata fuit, & ex rure ipso ad Reipub. munia vocati leguntur, in more habebant, ab eo,quo maximè delectabantur,& honorificum ducebant, præclarissima cognomina sibi imponebant, hinc Hortensij ab hortorum studio, Seram à Sereno, Stolones à pampilatione, amborumq; curâ, quòd diligentiùs curarent, ne stolones, id est, mutiles frutices ad arborum radices nascerentur. Lentuli à lentulis, Lactucini à lactucis, Cicerones à ciceribus, Caprarij à capris, Equitij ab equis, Fabij à fabis bene colendis, Pisones à pisis.

Nomina quoque ea acceptabant,quæ virtutis futuræ signa essent, iuxta id, quod dictum est supra, nominum rationem habendam esse, quod quidem etiam in Polonia antiquissimis temporibus obseruatum legimus, quippe sacrum & venerabile erat in Polonia D. Stanislai Martyris nomen, adeò vt maiores nostri illud temerariè vsurpare, & populariter ex se natis imponere, velut quadam religione coácti noluerint; Episcopus Cracouiensis vnus tantùm fuit, inquit Lubienscius, Archiepiscopus Gnesnensis; primum, inquit, Stanislaum Kárnkouium ætate nostrâ vidimus, nec in alijs Cathedris relatos multos huius nominis numerare licet.

Summi Pontificis collaterales.

Cæterùm Principes Purpurati ad summam in Ecclesia dignitatem assumpti, obtinuerunt nomen Cardinalium, in quo virtus, & robur maximum insinuatur, deductum quippe est ab eo, quòd Deus & hominibus gratissimum apparet. Deo quidem,quia hic præpotens Architectus machinam hanc visibilem orbium cælestium, & immensam molem sphærarum syderum appendit in cardinibus, in polis,& altissimis cæli partibus ac verticibus, qui sunt tanquam cor orbium cælestium. Nam sicut animalia à corde motum suscipiunt, ita sphæræ cælestes circa polos, & cælorum vertices, atque cardines voluuntur non aliter,quàm ianua super cardines appensa.

1. Reg. 2. 8.

Nec solùm cælum cum suis orbibus, sed & terram, & totius terræ orbem in cardinibus fundauit, iuxta illud sacræ Scripturæ: *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Hominibus quoque nomen Cardinum gratissimum est, ideoque honestæ vitæ structuram in quatuor cardinibus, & angulis orbis firmârunt, in quatuor lapidibus angularibus, in quatuor

virtutibus cardinalibus, ad quas cæteras omnes referunt, & quatuor orbis terrarum partibus correſpondere voluerunt. In Oriente enim prudentiam contemplantur, ex qua lux emicat ad omnes actiones humanas rectè dirigendas. In Occidente fortitudinem, quæ in tolerandis aduerſis, præcipuè morte, ſita eſt. In meridie iuſtitiam, quia meridies linea eſt, æquabiliter mundum in duas partes diſſecans, atque adeo iuſtitiæ ſymbolum eſſe, ad quam ſpectat æqualis rerum diuiſio, æqualis iuſtitiæ, atque iudiciorum deciſio. In ſeptentrione temperantiam, quia hæc frigore ſuo omnes corporis æſtus comprimit, & mitigat. Cùm igitur Cardinalium nomen, atque cognomen à cardinibus deſumptum ſit, (quæ Deo & hominibus ſunt adeo charæ, vt vel illas ſolas prudentiâ ſua luſtrare videatur, ideoque dicitur deambulare circa cardines cæli, vt cardinibus cæli rectè diſpoſitis, terra quoque & orbis, quem diabolus deambulare, & circuire dicitur, ne aliquid à tanto hoſte patiatur) maximum dignitatis Cardinalium faſtigium inſinuatur. Maximè quia illi, ſupradictarum virtutum in quatuor partibus orbis collocatarum ſunt viuum exemplar. Hi ſunt, qui, vt inquit Iſaias Propheta, ſuperliminaria cardinum dederunt lucem, ſcilicet fidei orbi terræ. Hi ſunt fortiſſimorum virorum ſanctorum Martyrum hæredes, & ipſi fortiſſimi ſanguine proprio pro Chriſto, & Eccleſia ſancta purpurati. Hi Principes Eccleſiæ triplici præcipuè ſplendore fulgent: Splendore nominis, vt dictum eſt, ſplendore veſtimenti purpurei, & functionum dignitatis eminentiſſimæ. Illi quippe aſſiſtunt Summo Pontifici, illi ſunt eiuſdem electores, conſiliarij, & iudices cauſarum orbis. Illi ſunt veri imitatores Chriſti Domini, qui non ſolùm in palatio Pilati purpurâ veſtitus, turbæ truculentæ præſentatus fuit, ſed etiam paternæ gloriæ in cælo, cum magna totius curiæ cæleſtis compaſſione, & admiratione: Ad quem Deus Pater: *Quare*, inquit, *rubrum eſt indumentum tuum, veſtimenta tua quaſi calcantium in torculari?* Reſpondit Chriſtus Dominus: *Quoniam torcular calcaui ſolus.*

Iſai. 6. n. 4.

Iſai. 63. n. 2.

59.

Chriſtus in paſſione calcauit vitia, & authorem illorum, & prolem nimirum mortem.

Calcauit Chriſtus in Paſſione ſua poteſtatem diaboli, *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Calcauit inuidiam & odium Phariſæorum torculari veritatis, calcauit mortis æternæ pericula in horto, vnde & ſanguineo ſudore veſtis corporis Chriſti ex Beatiſſima Virgine aſſumpti, purpurata apparuit.

Calcauit malos, vnde indumentum eius turpiſſimi ſanguinis guttæ blaſphemiarum & opprobriorum fœdârunt; calcauit bonos, eos ſubijciendo improbis, & voluntati eorum tradendo. Sic calcauit Iobum, eum voluntati ſathanæ tradendo; calcauit Tobiam, inde tamen indumentum eius puriſſimo ſanguine reſperſum eſt, benedictionis Dei. Iob enim

nim dixit, *etiamſi me occiderit, in ipſo ſperabo.* Tobias verò: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Si ergo Chriſtus caput Martyrum totus purpureus, qualis apparuit Beatæ Birgittæ in cruce recenti ſanguine perfuſus, totus purpureus, caput, manus, pedes, latus, vſque ad veſtimenta, iuſtum eſt purpurâ condecorari eminentiſſimum in Eccleſia dignitatis gradum Cardinalium, qui imitati ſunt Chriſtum in calcando Hæreſes, Pſeudopolitiam, & varias hypocriſes, & ſanguine ſuo teſtimonium Diuinitatis Chriſti dedêre. Solari veſte indutam Beatiſſimam Virginem teſtatur ſe vidiſſe D. Ioannes, eò quòd calcauerit, & contriuerit caput infernalis ſerpentis, & per Filium ſuum, & per dolores, quibus ſub Cruce affecta eſt, maximè verò dum cerneret mitti ſortes in veſtimenta Chriſti ad diuidendum & ſcindendum in partes, vbi ſcindebatur cor eius præ dolore, ideoque ſolarem veſtem promeruit. Martyrum corpora ſecta ſunt, lapidata ſunt, &c. ideò iuſtum erat, vt ſucceſſores eorum purpurâ niterent. In cælo triumphantes Martyres lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ideò purpurati triumphant: iuſtum erat etiam in Eccleſia militante reperiri dignitatis gradum purpuratorum ſanguine Agni, & Martyrum, quibus ſucceſſerunt, decori, ita vt dicere poſſint cum triumphante Eccleſia. *Talia nobis dedit veſtimenta, qualia & alimenta.* Alitur Eccleſia à Chriſto Corpore & Sanguine proprio, alitur Martyrum meritis, ideoque quantò maior fuit fruitio, tantò maior Eccleſiæ exaltatio, alitur meritis diuerſorum Sanctorum, quibus pro diuerſis meritis ſanguinem præſeferentia, & diuerſi coloris veſtimenta collata ſunt, in remunerationem, vt refertur in Theatro mundi; dum enim Eccleſiam perſequeretur quidam tyrannus, Summus Pontifex viros doctiſſimos, ſimulq; paratos mori pro Eccleſia, ad dignitatem Cardinalatus euexit, & purpurâ condecorauit.

Amoſ. cap. 7. num. 7. Hic eſt ille murus litus, de quo Amos Propheta: *Ecce* (inquit) *Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.* Septuaginta interpretes legunt, *& in manu eius adamas,* vt inſinuarent murum hunc, cuius Architectus, & cœmentarius eſt ſolus Deus, Eccleſiam ſanctam non eſſe ex lapidibus quibuſcunque, aut ex latere cocto, ſed ex lapidibus pretioſis diuerſi coloris, ſplendoris, & virtutis, ad ſuccurendum infirmitatibus, & alij quidem candidi ſunt, qui ſtatum virginalem præfigurant, alij viridis coloris præfigurantes ſtatum Confeſſorum, alij cærulei, in quo præfigurantur Doctores Eccleſiæ, alij ſanguinei, in quo deſignantur Martyres, & Purpurati Principes, in quibus veluti cardinibus vniuerſa Eccleſiæ diſpoſitio ſuſtinetur & vertitur.

Hanc ob cauſam in Eccleſia Romana mos eſt, pro diuerſis Sanctorum feſtiuitatibus, diuerſi coloris ornamentis vti, *vt ex nobiliori victima maior di-*

gnitas innotesceret, inquit Theodoretus; & Ecclesia sancta dicere potest, vt ex nobiliori vestimento, nobilior dignitas eluceret eorum, qui sub nostro Imperatore Christo Domino, Principes constituti sunt super omnem terram.

60. Eorum maximè, qui sunt Electores, Consiliarij, Iudices terræ, & Assistentes Summo Pontifici, hæc enim præcipuè Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Principum sunt quatuor officia, munera, & onera, vt iam dicetur: Magnificam domum decet magnificentia in omnibus, sed præcipuè in diuersitate & splendore vestium. Purpura quippe Principem indicat, item diuersæ classis & ordinis ministrorum, atque ad ministerium destinatorum. Salomonem ea in re magnificum fuisse testatur sacra Scriptura. Imperatores Constantinopolitanos exactè huc intendisse referunt Historici, qui singulis ministrantibus diuisis in classes vniformes vestes donabant, singulis vestibus & insignijs insignitis. Sed & Deus ipse, cuius Aula est hoc totum vniuersum, quasi vna domus, noluit eodem ornatu æquè pulchro, & æquè pretioso ornari, sed pro cuiuscunq; crëaturæ conditione, varios inter crëaturas diuisit colores, hinc rebus alijs pulchrioribus, alijs turpioribus, vilioribusque, alijs pro cuiuscunq; conditione plenum est vniuersum, vt etiam aduertit Arist. qui etiam in Pol. dicit: *Indumentum etiam, quod frequentiùs conspici necesse est, vt quis eminentior sit ciuibus, mutandum esse.* Quantò magis in aula Ecclesiæ sanctæ decet personas eminentissimas in gradu supremo Ecclesiæ consistentes, pretiosiori & splendidiori gaudere vestimento? Vt etiam declaret vestis, quales illi sint, qui ad officium, & munus gubernandi Ecclesiam assumpti sunt. Sanè prædictæ purpuræ sunt illis in honorem, & obligationem. In honorem, si enim opprobria Christi cedunt Christianis in laudem, certè & purpura sanguine eius tincta in honorem purpuratis. In obligationem quoque, quia ipsâ etiam veste extrinsecâ profitentur, quòd parati sint pro fide Catholica etiam mortem subire, & proprium sanguinem profundere, exemplo prædecessorum suorum Martyrum, quod etiam rubeus Pileus à Nicolao Quarto illis donatus insinuat, vt memores essent se debere esse paratos pro Christo sanguinem fundere.

Quatuor Principum purpuratorum Ecclesiæ Romanæ officia.

Arist. 12. Metaph. idem in Pol.

61. Nec minor dignitas Principum purpuratorum Ecclesiæ sanctæ est ex officijs, quæ ad illos præcipuè spectat; sunt enim Summi Pontificis Electores, Consiliarij, & Iudices orbis; Summus Pontifex non nascitur, sed eligitur, alia sunt sceptri, & alia tiaræ, seu tricoronæ munia, ideoque & alia Throni ac Maiestatis occupatio: sceptra & coronæ, partim stirpe ac hæreditate, partim suffragijs in Maiestate collocantur, at verò sanctior dignitas eligentium sapientiâ eleuatur, non est possibile tiaras & Infu-

Quamobcausam Summi Pontifices potius per electionem, in summum dig-

nitatis gradum, quàm successionem euehantur? Infulas liberis relinquere, cùm lex vetustissima sanctitatis eos non permiserit, sanctum & perdifficile est Summi Sacerdotij munus, quod maturis & sanctis pretiosè cōmitti debet. Pro domo, pro familia, pro posteris cælum habent Summi Pontifices: non est ergo, quòd mortalium curis se multiplicēt. Diuitiæ, quæ sunt ornamentum Ecclesiæ, possessiones, & regna, quæ sunt corona Ecclesiæ, non tam Summorum Pontificum sunt, quàm Ecclesiæ, ad hæredē non transeunt: omnia, quæ ad Ecclesiæ imperiū spectant, officij Sanctitati conferuntur, non vni familiæ, sed suffragijs canonicis electæ personæ regēda tribuuntur, cuius electores sunt Principes Ecclesiæ purpurati, ad illos spectat eligere, & ex consistorio illorū elegi Regem Sacrorum, & Principem Summum totius orbis, vtrumque magnæ dignitatis argumentum, & ambiguum, num dignius sit, quòd eligant, quàm quòd ex illis eligatur? quippe esse Summorum Pontificum Seminarium, magna excellentia est, cùm etiam eligendum est caput nōn vnius Regni, sed totius orbis, certè necesse est è multis eligere vnum ex sapientibus sapientissimum, ex prudentissimis expertissimum, inter expertos cordatissimum, ex cordatissimis sedatissimum, ex sedatissimis natu prouectum, ex natu prouectione generosissimum, qui sit ortu generosus, ætate senex, vitâ honestus, scientiâ instructus, plurimarum rerum vsu insignis, tanquam futurus totius orbis gubernator, & moderator. Quæ electio sicut est difficillima, & non nisi Spiritus Sancti assistentiâ complenda, ita laude dignissima est, & honore, vbi non dolis, non factionibus, non fraude, non violentiâ, sed virtute, & instinctu Spiritus Sancti omnium sanctissimo, tam sublimis dignitas Summo Pontifici confertur, iure natalitij spreto, legitimè suffragijs designatur.

62. Conditiones optimæ electionis ex parte eligentium.

Dum Reges eliguntur, Dei inprimis auxilium inuocatur, vt eligendi cor ad bonum inclinet; mox & ipsi Electores, qui bonus ad regimen videatur, certis rationibus expendunt ex animi, & corporis dotibus, vt fusè pertractant Politici antiqui, & moderni in electione Regum, item in electione Pontificum: quantò magis in electione Summi Pontificis? In electione quidem Regum ex animi dotibus, vt qui pro multis solicitus futurus est, multis virtutibus, quasi sol multis radijs, splendescat. Primùm autem qui pius sit, qui optimam habeat mentem, qui bonam animam sit sortitus, bonam indolem sui dederit experactæ vitæ, modò dignoscendus. Aliàs sæpè meliùs sine Rege esse, quàm sub malo pio alicui, aut truci Imperatore viuere. Qui fortis sit & strenuus, sed & lenis, simul & clemens, atque vt rex apum sine aculeo, alioquin pestifera, & malè nata vi in subditorum perniciem vsurus. Qui iustus sit, & munus suum (id est) verè Regium, quod est suum cuique tribuere, non naturâ minùs, quàm

studio

ſtudio exequatur, quòd ſcilicet nôſſe, & peragere magis regium eſt, quàm bellare. Hoc enim probi æquè & improbi facere ſolent, ſæpè & improbi, quàm probi meliùs, illud autem non niſi probi, quod ſolùm ſummam popularem felicitatem, & certam ſecuritatem præſefert, quibus potentior eſſe non poteſt, niſi qui melior ſit, nec melior, niſi qui ſapientior. Tunc enim beáta Reſpublica, cùm is ſummus, qui optimus, is optimus, qui ſapientiſſimus, qui amari à ſubditis, non timeri velit, & ſic tutiùs regnare, vel abſque cuſtodia cuſtoditus, qui ſcilicet cum Veſpaſiano penſet ſolùm populi amorem Regis cuſtodiam eſſe, nullumq; munimentum eo expugnabilius: Qui ſuo capite ſapiat, quo proprijs modis populo conſulat, ne aliqui Regem in ſolio ſtatuere credentes, ſimium in banco ſtatuant, & qui ad terrendum poſitus, ad ridendum excitet alienâ mente recturus, & natantium more non iturus, ſed ferendus.

63. Qui tandem, quæ Principis authoritas, & quanta ſit, benè penſans, & quid probus poſſit, quiduè improbus? ita ſe alijs prælatum conſideret, vt & alios ſibi Prælatos agnoſcat. Quòd non alius penſauerit vnquam, quàm qui Deum ſibi in omnibus præſentem eſſe, & in pertractandis modum præſcribere cogitârit, nec ſe aliud poſſe, quàm quòd ad Altiſſimi voluntatem, à ſummo eius in terris Legato declarandum accedet.

Conditiones bonæ electionis ex parte eligendorum Regum, Epiſcoporum, & maximè ſummi Pontificis, & eligentium ex parte corporis, ſpeciei.

Ex corporis dotibus, vt laudatæ ſit ſpeciei, & in cuius vultu animi probitas legatur, quando externa ſpecies internæ pulchritudinis iuſuſio eſt. Ideoque *ſi fulgere dicuntur iuſti, ſicut ſol in conſpectu Dei*; magnum iuſti animi argumentum, ex pulchri corporis ſpecie deducere poſſumus; vt qui iuſtitiam inprimis in Principe quærimus, pulchritudinem in eo inprimis quærendam, tanquam illius indicem intelligamus. Sicut enim, quæ ſub terra gignuntur tubera, metalla, mineralia omnia, ſigna quædam ſupra emittunt, alioquin nullo modo inuenienda ſint, ita & quæ in hominis mente latent, in faciem indicia transfundunt; licet non ex ſola ſpecie iudicium fieri de quopiam debeat, ex moribus maximè notando, vt generoſi ſint ſanguine. Multum id, non ad conſuetudinem cum primatibus tuendam ſolùm, ſed & ad opinionem quærendam, ad Maieſtatem ſeruandam, ad obedientiam formandam facit. Nobilis nobiliter recturus præſumitur, vt fortis fortiter, vilis viliter, & ignauus ignauè, Nec enim præcedit armentum degener taurus, & elephantorum gregem non niſi excellentiſſimus ducit. Vt robuſtæ cuiuſdam ætatis ſit, non acerbioris, non maturioris, quòd diutiùs viuere naturaliter, & vtiliter poſſit, & ſtatum bonis legibus firmare, qui & poſt ſe filios adultos, atque ad regendum aptos relinquat, ſi ad futuram ſucceſſionem eligatur. Volunt item Politici, vt indigeni idiomatis ſit, alioquin, aiunt, difficilè populis Principibus alienâ linguâ lo-

quentibus, se accommodare, aut si illorum loquantur, consuetudine quadam didicisse illam, non cum lacte bibisse intelligant. Non contemnenda pars hæc, nam in grauem afflictionem refertur in sacris linguam, quam quis non nouit, audire. Sæpè enim dum alia iubentur, alia intelliguntur, iubentis animus calescit in iram, quasi despectus, & obedientis, quasi in odium depressus, vt per omnem vitam in Reipublicæ negotijs versatus sit, ne ex domesticis delitijs ad Regales aduocatus labores, ad regnandum se, non ad regendum vocatum reputans rectè agendi vice, vnde Regis nomen sortitus est, delecta agendi studium intendat; vt alieno imperio benè aliquando paruerit, & quasi ex ludimagistri lectione imperare, experimento potius, quàm documento didicerit. Cùm enim nil difficilius, quàm benè imperare, & ars artium sit regimen populorum, nec vlla humanæ societati necessaria magis. Hanc electionis dignitatem tanti faciunt Poloni, vt cùm vnus ex Senatoribus grauioribus mentionem fecisset de successore Regi viuenti designando, ad eius vocem exhorruerant omnes ordines, & fremitu concitati vix sedari potuerint.

Piasecius super Anno Christi 1626. Fol. 469.

In electione quoque Episcoporum, quanta diligentia adhibeatur, à Lubienscio fusè agitur, & pertractatur. Quòd si in electione Regum, & Pontificum, Diœcesanorum tanta adhibetur diligentia, quantò magis in electione Summi Pontificis à seminario Cardinalium? neque tamen aliquando in eo passu erratum est, Spiritu Sancto dirigente, esto aliquando controuersijs applicata prædicta electio fuerit, semper tamen optimum finem sortita est prudentiâ electorum, quòd satis constat ex electione Sixti Quinti, de quo Piasecius multa præclarè scripsit, eiusque genus, educationem, virtutes explicat, atque illustrat, præcipuè verò, quòd stabiliuit potentiam Summorum Pontificum, & statum Ecclesiæ purgauit à latrocinijs, Vrbem structuris magnificentissimis ornauit, ingentes thesauros collegit in vsum Pontificum, atque nitorem Sacræ Scripturæ restituit, & quod mirabilius est, cùm puerulus gregi pascendo applicatus, in summam postmodum eruditionem prouectus, summum deniq; dignitatis fastigium, cum summo Ecclesiæ bono, euectus Diuina gratiâ fuerit.

64 Electionis dignitatem sequitur Senatus Ecclesiæ dignitas, ad quem spectant consilia in tot Regnorum regimine, ita vt Summi Pontifices nihil omninò agere velint absque consilio Patrum purpuratorum, quòd etiam exemplo Sixti Quinti illustrauit Piasecius; nam cùm Rex Hispanus, sæpiùs ipsum contra Nouareum frustra interpellasset, vt pro religione Catholica in Gallijs conseruanda, Summus Religionis Antistes fœdus secum iniret, & Nauareo coniunctos anathemate feriret: Cùmque nihilominùs obtineri non possent à Pontifice officia huiusmodi, etiam minis, ac

Senatus Ecclesiæ dignitas, & munia atq; sapientia in consiliando.

ac pænè improperijs adhibitis exigebantur; Legatus illius Regis Comes de Oliuares, palàm circumferebat in curia Romana expostulationes, quasi Pontifex in causa tuendæ Religionis Catholicæ officio, & debito suo deesset, & futurus esset causa eius excidij in Gallia, si fædus huiusmodi non sanciret, seu denegaret ipsi opportuna auxilia. Sed Summus Pontifex conuocato purpuratorum Patrum Senatu, diligentiùs negotiũ examinauit, & ex omnium consilio (licet quidam Cardinales Hispanicarum partium dissentirent) in sententia perstitit. Et cùm adhuc Legatus ille pertinaciùs instaret, ac Regis sui nomine se publicè de hoc obnunciaturum (concilium indicendum) minaretur, obnuntiationemque interpositurus ad Pontificem venisset priùs, quàm posset proloqui, Pontifex ait. Vide ad quid veneris, & quæ loquaris, ne vicissim audias responsa seueriora (ne ducaris ad pontem, vbi locus est supplicij publici) dictum ipsi fuisse narrabat, meminit Stanislaus Rescius, qui tunc Referendarius sacræ pœnitentiæ munus gerens, aderat ibi inter familiares Pontificis) tenuitque ille supplex pedes Pontificis, & nihil se adferre profitebatur, quod aures Pontificis offenderet. At Rex Hispaniæ, vt primum hoc inaudiuit, quasi se inscio, Legatum ad tam acerbã contentionem processisse, in eius locum alium Legatum Ducem Sessanum suffecit, tam maturo consilio Senatus Cardinalitij, obuiauit Sixtus Quintus grauissimis bellis inter Christianos. Et impletum est, quod Deus promisit Ecclesiæ sanctæ per Zachariam: *Sedebit*, (inquit) *& dominabitur, & erit sacerdos in solio suo, & erit consilium pacis inter eos, & erunt coronæ memoriales in Templo Domini.* Et illud, quod dicitur Sap. *In sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ tuæ, quæ à te facta est, vt disponat orbem terræ in æquitate, & in directione cordis iudicium iudicet*, quasi dicat: ideo dominium homini super homines contulisti, vt cor auersi hominis per iniustitiam, mediante iustitiã ad Deum iteratò dirigatur per consilium pacis. Certum est, quòd veritatis consilium à quocunque datum non est contemnendum, adeò vt Moyses, & si cum Deo tanta, & talia loquebatur, ab alienigena Iethro consilium capiebat, & requirebat ordinationem, passus est se admoneri: salubriora tamen consilia sunt, quæ à sacris, quàm quæ à profanis capiuntur, qui quasi è specula sedentes clariùs extra aleam vident, quod in ipso visu vix turbidè discernitur.

Sixti V. PP. contra opportunas preces constantia.

Rescius Polonus Referendarius, Pænitentiarius Romæ.

Zach. 6. n. 13.

Sap. 9. n. 1.

Cæterùm non solùm consilio, sed & dono consilij opus est ijs, qui consilijs sustentant Religionem, & Imperia. Ea tamen est differentia inter Summum Pontificem, & Cardinales, quòd illi consilijs sustentent orbem; at Summus Pontifex non consilijs modò, sed authoritate Pontificia statuit, quæ expediunt, & malè facta rescindit, quam dignitatem etiam gentiles suo Pontifici deferebant. Quòd si gentiles sic habuêre Pontifices ma- 65.

Cardinalium Senatus, sustentat orbem consilijs.

 ximos,

ximos, quantò magis Christiani Principes id Pontifici Maximo Romano deferre debent? vt ipse dirigendo, Cardinales autem consiliando sustentent dignitatem Christianitatis, & præsint non solùm religioni, sed etiam rationi status. Ideoque persecutores Ecclesiæ fuerunt persecutores Cardinaliū, persimiles tauris syluaticis, & Bucephalis, qui odio prosequuntur purpuram, & rubeum colorem. Tandem de Principibus Ecclesiæ optimè intelligi potest illud Christi Domini; *sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Quippe illis commissa est iustitiæ administratio, illi sunt assessores Papæ, & ideò rectè assimilantur thronis, qui sunt ordo tertius primæ Hierarchiæ, in quibus Diuina iustitia potissimè requiescit, & per eorum ministerium hominibus innnotescit, sicut insinuat Eccle. *Vnus est Altissimus Creator omnipotens, & metuendus nimis, sedens super thronum, qui iudicat iustitiam.* Isti ergo Angeli, in quibus iustitia Dei requiescit, sunt sedes Altissimi, & Throni per appropriationem, illi autem, ad quos spectat administrare iustitiam, sunt Throni per imitationem, ab omni errore remoti, & sicut Thronis, qui sunt Angeli, duo competunt, vtrumq; magnæ dignitatis, & quòd Deus resideat in ipsis, & quòd sint subiecti residenti, sicut thronus subijcitur sedenti in throno.

Taurus Siluaticus Polonis Zubr.
Barrus Slon.
Matth. 19. 28.
Eccle. 1. v. 8.
Psal. 9. v. 4.

Primùm est authoritatis, secundùm humilitatis. Hi igitur eminentes Ecclesiæ Prælati sunt administratores iustitiæ, quod est authoritatis, & throni Altissimi Dei sunt. Authoritas augetur ex obiecto, seu causa iudicandi, sicut enim de Christo Domino dixit Propheta: *Fecisti iudicium, & causam meam, sedisti super thronum.* Iudicauit Christus causas nostras in throno crucis, non propria negotia, sed nostra tractauit in cruce, tractauit negotium eliberandi nos ab iudicio æterno, & ideò ipse iudicari voluit, tractauit negotium condemnationis nostræ, ideò ad mortem decretatus est, tractauit negotium pænarum, & culparum, non suarum, quia peccare non potuit, nec dolus inuentus est in ore eius, sed nostrum; tractauit controuersiam cum dæmone, qui ad se pertinere animas nostras prætendebat, sed decretum est, negotiante Christo, ad Deum eas spectare, qui nos sanguine suo redemit, qui nos ex captiuitate ad libertatem reduxit, qui ex inimicis filios adoptionis fecit.

Psal. 9. v. 5.

66. Ideoque iustum est, vt in Ecclesia Dei reperiantur Iudices, qui tractent quoque causas Christi, causas animarum, & salutis earum, causas religionis, & morum, vt omnes sint *vnius moris in domo*, vnius fidei, qui iustitiam administrent, vt essent throni Dei candidi, & innocentes, virtuosi, misericordes, flexibiles, splendidi in omnibus se conformantes Deo. Hæ quippe sunt proprietates, & munia perfectorum Iudicum, quas Seraphicus Doctor exprimit similitudine diuersorum thronorum, quorum fit mentio in Sacra Scriptura.

Conditiones & munia optimorum Iudicum, atq; materia iudicij exéplo Christi insinuata.

Sunt

Sunt throni gemmei, varijs scilicet gemmis, & lapidibus pretiosis insigniti, Ezechiele dicente. *Similitudo throni, quasi aspectus lapidis sapphiri.* Et in Apocal. *Sedes erat posita in cælo, & super sedem sedens, & aspectus eius, quasi aspectus lapidis smaragdini.* Et hic thronus significat Iudices debere esse gemmis virtutum ornatos, præcipuè firmitate, constantiâ, patientiâ.

Bonau. Tom. 2. de Eccles. Hierarchia Fol. 491. in magnis. Ezech. 1. n. 26. Apoc. 4. n. 2.

Sunt itẽ Throni nubei, in quibus Deus residens, velut de quibus, vt nubibus pluens, per ipsas subuenit miserijs afflictorũ, vt dicitur Eccles. *Speciosa est Dei misericordia in tẽpore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Itẽ: *Thronus meus in columna nubis,* & significat Iudices debere esse misericordes.

Eccl. 35. n. 26. Eccl. 24. n. 7.

Sũt præterea Throni quasi aurei, firmi, & solidi, super quos Dñus requiescit, sicut Assuerus, *qui in throno aureo, & solio regni residebat,* & significãt Iudices debere esse solidos, & à labe auaritiæ liberos, inflexibiles ab auro, &c.

Tandem sunt throni syderei, siue stellati: *Thronus meus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta, &c.* Sol quidem & luna computantur inter sydera, quæ quamuis corporali dimensione, & virtuali effectu, & operatione sint maxima, tamen secundùm sensus aspectum exigua iudicantur. Et per hoc insinuatur alia iudicum proprietas, vt quantò maiores sunt, tantò efficaciùs meminerint se esse thronos subiectos iudicio Dei.

Psal. 88. n. 38.

Denique sunt throni argentei, iuxta illud Eccl. *Columnæ aureæ super bases argenteas.* Hic thronus monet Iudices orbis, quòd sint administrantes iustitiæ, sicut enim argentum superat splendore, virtute, cætera metalla, sic Iudices superare debent virtute, &c. cæteros homines. Altissima sanè potestas, & iurisdictio est Patrum purpuratorum in summo culmine dignitatis positorum, qui & assistentibus Deo Angelis, ob assistentiam Summo Pontifici, & in particulari Angelis, qui dicuntur throni ob consilij, & iudicij æquitatem, comparantur, altè eleuati in supremæ dignitatis signũ, sunt prædicti throni, hinc ad ardua sanctæ Ecclesiæ Romanæ negotia, illi vel maximè destinantur ad statum Ecclesiasticum formandum, vt de constitutione prædicti status, in Polonia refert Lubienscius, nam ab Ægydio Episcopo Tusculano Cardinali, qui à Ioanne Decimo tertio Summo Pontifice, eo fine in Poloniam missus fuit, ita formatus est status, vt ab illo tempore Episcopi, atque Archiepiscopi, vsque ad præsens in dignitate sua perseuerent. Quidquid dicat Dithmarus, qui falsam de rebus Polonorum refert historiam, quem iure merito refellit Lubienscius. Piasecius quoq; refert plures Electores Imperij exauthoratos per Cardinales, præcipuè Coloniensem Electorem Truxesium, per Cardinalem Madratium, ex quo intelligitur, quòd hi sunt Iudices causarum, quos Pontifex Legatos primarios ad ardua Ecclesiæ negotia per orbem dimittit, quòd summæ dignitatis est argumentum.

Eccl. 26. n. 23.

Lubienscius in vita Martialis 2. Plocensi Episc.

Piasecius fol. 20. Chronicæ suæ.



TRACTATVS SECVNDVS, De Splendoribvs Secvndæ Hierarchiæ.

CAPVT PRIMVM.

Splendor Præsulum Sacrorum, quòd assimilentur primo ordini Hierarchiæ secundæ, scilicet Dominationibus.

I. Episcopi tribus præeminentijs splendent, dignitate, potentia, & præeminentiā.



TRIA sunt præcipuè, quibus splendent Pontifices Diœcesani dignitate, potentiâ, & præeminentiâ, vnde honor, & iurisdictio illis debetur, & hæc sunt, per quæ assimilantur Dominationibus in Hierarchia cælesti. Nam ad Angelos, qui vocantur Dominationes, spectat præcipere, & ministrare præcipiendo, atque regere pro lumine sibi tradito à superiore Hierarchia. Hæc sunt, quæ malo & toruo oculo in Præsulibus, sacrorum hostes Ecclesiæ Hæretici, Schismatici, Pseudopolitici aspiciunt, quippe dignitatem Episcopalem, potentiam & præeminentiam eneruare conantur, idque ex ethymologia nominis Episcopus, deducunt, affirmantes ministerij, non dignitatis nomen esse, & quòd vigilem & speculatorem significet. Cæterùm nomen græcum Episcopus componitur ex græco *Epi*, & hoc latinè est idem quod super, & *scopus*, id est, intentio; componendo itaque, atque coniungendo vtramque nominis partem, datur intelligi, quòd per nomen Episcopus, non solùm ministerium, sed etiam dignitas insinuatur, est enim idem quod superintendens ille, qui præesse, & prodesse nouit, quod prosit, est ministerium, iuxta illud Ecclesiæ sanctæ canticum, *Speculator astat desuper prospiciens de mane vsq; ad vesperam*: quòd si accipiatur de Deo, dignitatem loci & officij, & prouidentiam insinuat, qui de mane, scilicet, à natiuitate vsque ad vesperam, scilicet ad mortem prospicit & prouidet necessitatibus hominum, à periculis in vita, & morte protegendo, quæ nomine vesperarum intelligitur.

2. Episcopi suc-

Si verò de Episcopis sit sermo, hi quoque desuper (quod authoritatis & dignitatis est) prospiciunt, & quod est ministerij, & virtutis, de mane vsque

vsque ad vesperam à susceptione muneris, vsque ad finem vitæ. Non negamus itaque nomen Episcopi esse nomen ministerij, sed affirmamus, esse quoque nomen magnæ authoritatis, & dignitatis, & iurisdictionis. Opus ministerij, quod spectat ad salutem animarum, defensionem fidei, exercitium patientiæ, cùm enim Ecclesiæ Diœcesanæ curam susceperint, in qua plerumque inueniuntur plures eos odientes, persequentes, blasphemantes, necesse est eos pro persecutione, dilectionis & beneficentiæ vices reddere, exemplo Apostolorum, quorum Episcopi sunt successores, qui in medio persecutionum commorantes, salutem persecutorum procurabant, iuxta illud Matthæi, *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*, vt scilicet plurimos morsus ab eis accipientes, non solùm non consumantur, sed & persecutores ad Christum conuertant, & si opus fuerit, pro salute eorum, tanquam boni pastores, vitam contemnere, & mortis subire periculum non metuant. Spiritualia quoque ministeria eis exhibere tenentur, cùm sint mediatores inter Deum & homines, preces & oblationes Deo in persona populi offerre obligantur, quia, vt inquit Apostolus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia, &c.* Iudicia, documenta, bona exempla, item sunt ministeria onerosa, vigilantia & speculatio, hæc & plura alia onerosa ministeria esse nullus dubitat.

cessores Apostolorum, mediatores inter Deum & homines, quorũ functiones sunt ministeriales.

Matt.10.n.16.

Hebr. 5. n. 1

3. Verùm his ministerijs est quoque adiecta & dignitas, gradus, altitudo, quia Episcopus super eos, quibus præest, constituitur, iuxta illud Matth. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Vnde illis debetur honor, & locus superior, sine quo populus regi non potest, in quo etiam assimilantur primo ordini Angelorum secundæ Hierarchiæ, qui sunt Dominationes. Sic autem secundùm Isidorum nuncupantur, quia inferioribus Angelis dominantes eos instruunt, & informant, qualiter in Prælationis officio debeant subditos ad Deificam similitudinem reuocare, & sine tyrannide, subditorum facta libenter ordinare. Vnde dicit Dionysius: *Nominatio dominantium absolutam & liberam anagogen absq; vlla tyrannica dissimilitudine, liberaliter seueram, & ab omni subiectione ignominiosa remotam declarat*, quasi dicat: Sicut per anagogen, id est, per excellentiam vniuersalem, supra alios Angelos sine subiectione eleuantur, ita per nullam tyrannidem ad depressionem aliorum inclinantur, quorum dominatio & liberalis est, & seuera; liberalis in benignitate, seuera in imperandi potestate, & dominatio quidem per excessum, & excellentiã vt soli Deo conuenit, sic & participatione ad certum ordinem Angelorum translata est, qui imperatiuè, vt inferiores executiuè Deo ministrant, id est, iubent quæ Dei voluntatis sunt, vt inferiores faciant. Hoc faciunt in

Mat. 24.n.45

Episcoporum dignitas est, quòd non solùm in Ecclesia sua sint speculatores, sed etiã dominationes, Duces, & milites fortissimi, contra Hæreses, Politicos & Schismaticos, ideò assimilantur Dominationibus Angelis secundæ Hierarchiæ.

terris Pontifices, quibus & dominationis nomen vti proprium communicationis est. Ipsi enim propriè Domini, & syncopato nomine Domini dicuntur, & Papa per excellentiam Dominus Apostolicus. Cùm igitur ad Pontifices spectet, per assimilationem ad Angelos, qui dicuntur Dominationes, præesse & imperare, seuerè, & benignè, sanè Pontificiæ potestati magnus dignitatis gradus competit, maximè verò ijs, qui dominantur in Spiritualibus, & temporalibus, qui dominantur sibi, & alijs. Siquidem in hoc quoque assimilantur primo ordini Angelorum secundæ Hierarchiæ, de quibus inquit Seraphicus Doctor: *Quòd Angeli illius ordinis talem habent præsidendi modum, & dominandi qualitatem inferioribus, quòd nullam tyrannicam violentiam illis, qui sibi subiecti sunt, inferunt, sed simpliciter eis in omnibus condescendunt, & benignos se præbent.* Ne tamen petulantia in subditis crescat, etiam prudentem seueritatem, & humilitatem adhibeant Episcopi, vt formam dominationum cælestium se gerere exhibeant, & ad conformitatem illorum Angelorum, verbo & exemplo promoueant subditos, iuxta illud D. Petri: *Neque vt dominantes in cleris.*

D. Bonau. 2. p. Eccl. Hierarc. proprietate 2. — *1. Pet. 5. 3.*

4\. Ex eo itaque quòd dominantur, & præsunt in Spiritualibus in regno animæ & Ecclesiæ, magnam dignitatem obtinent, quia verum dominium est, quando superantur vitia, & virtuosa opera inducuntur, extirpantur mala, mores corriguntur, & mentes hominum per ipsos ad Dei formam, ac similitudinem reformantur, peccati seruitus aufertur, & vera libertas spiritus electis mentibus ipsorum ope confertur, tunc verè dominantes dicuntur. Et multò magis, si non solùm alijs, sed sibi etiam, voluntati, & affectibus proprijs dominentur: nam illi verè sunt Domini, qui ita dominantur alijs, quòd sint etiam Domini propriæ voluntatis, sicut de istis Angelis dicit D. Dionysius: *Quòd sunt veram dominationem indesinenter desiderantes, quod vtique istis congruit, qui ita alijs præsunt, quòd propriæ conscientiæ dominium non omittuut*; de quibus dicitur in Prou. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo, &c.* Quomodo enim dominatores dicerentur, qui essent serui vitiorum? scriptum est enim: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; qui sic dominantur, veri Domini, & omni honore digni sunt, quibus dominationis authoritas à Domino est relicta, sic enim præesse in spiritualibus, magna dignitas est. Quòd si non solùm præsint in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, vt est in Regno Poloniæ, vbi Pontifices non solùm attendunt ad perfectionem vitæ spiritualis, sed etiam ad conseruandum Regnum in sua firmitate, ideoque non solùm ad vitam spiritualem, sed etiam politiam attendere debent. Hæc iam summa dignitas, vbi Ecclesiastici Principales sedes in Senatu habent, & Pastorale, & gladium, quoad tempotalem potestatem habere permittuntur. Iudicia spiritualia,

Potestas Episcoporum in Polonia extenditur, non solùm ad bona spiritualia, sed etiam ad temporalia.

D. Dionysius — *Prou. 16. n. 32.* — *Gen. 4. n. 7.*

lia, & sæcularia exercent, & in summa vtraque potestate spirituali & temporali gaudent, atque in eo etiam potestatem sæcularem transcendunt, de quo luculenter scribit Lubienscius, vbi multis declarat dignitatem Episcopalem in Polonia esse primariam, & primos in prædicto Regno Senatores duratione, seu origine, quàm sæculares; item loci prærogatiuâ, iure decimarum ferendis suffragijs & formula in concedendis eis à Regibus inscriptionum nominibus, ac titulis, quibus etiam inferioris esse Ordinis Senatores sæculares manifestant, neque enim vllis Senatoribus scriptum legimus, *Reuerendissimis in Christo Patribus & Dominis, &c.* Vnde dignitas eximia, tantæ dignitati correspondebat Senatus sacri vigilantia & labor, tum in Religione vetusta Romana Catholica conseruanda, & dum fluctuaret, sustentanda, de quo Piasecius luculenter, ita vt iam hoc Regnum inclytum, quasi inclinatum in Religionis mutationem dicere poterat illud, quod de Salamandra in igne existente inscriptum est: CIRCVMDOR, NON VROR. Flamma siquidem Hæreseos adeò irruperat in Poloniam ex Vngaria, Germania, Prussia, Suecia, vt vndequaque circumdata videretur erroribus peruersis in fide; sed diligentiâ tum Episcoporum, tum doctrinâ Academicorum, & sanctitate Religiosorum, in melius composita extollens vocem dicere poterat: CIRCVMDOR, NON VROR, Salamandrâ in igne depicta.

Lubienscius in monit: Episc. n. 122.

5. In monendis etiam Regibus libertas, & dignitas Episcopalis maximè resplenduit, cuius plurima exempla refert Lubienscius, & de D. Stanislao Episcopo Cracouiensi toti Orbi iam notum est, in cuius gratiam, etiam triennalem mortuum ex sepulchro eduxit, & iudicio Regis præsentauit, nec ferro eius cessit. Mitiores, & maiori pietate ornati alij Poloniæ Reges, monitiones, & correctiones Episcoporum acceptârunt, nam præter Sigismundum Augustum, cuius laudem & pietatem supra annotauimus, quòd monitionem Episcopalem tanquam paternam se acceptare professus fuerit, Sigismundus primus minimè inferior in eo passu extitit. Cùm enim Ordines Regni à Sigismundo primo vehementiùs vrgerent, vt vectigal, quod à mercibus, quæ in Regnum inducuntur, & hinc educuntur, Reipub. condonaret, Rexq; enitens, & pene iratus, capulo ensis manu admotâ sibi id eripi non sinituram ostendisset; enimuero surgens è sella Senatoria Lubranscius, & fenestram, ex qua circumiectam areàm prospectus patebat, effringere conatus, voce magnâ vim à Rege Senatui fieri inclamabat. Rex modestior, & intemperie Episcopi penè in risum solutus: Sedete, inquit, Domine Episcope, sit pax rebus, ius procul abiêrit. Contestatio etiam contra Acta Casimiri cognomento Magni, de cedenda Pomeraniæ possessione, excellentis animi Episcoporum Poloniæ testis

Episcoporum in monendis Regibus libertas, in Regno Poloniæ.

est, nam cùm Senatores cæteri, metu Regiæ offensæ, ne hiscere quidem ausi fuissent, ipsi dissentientium dato publicè scripto manifestârunt, & inde deinceps illa contestatio conseruauit ius in recuperanda armis illa Prouincia. Hæc & plura alia Lubienscius loco citato.

6. Aliud, quòd malo oculo toruè aspiciunt in Pontificibus hostes Ecclesiæ Hæretici, & Pseudopolitici, est potentia temporalis, quam Pontifices habent ex facultatibus Ecclesiæ, & quod, inquiunt, contra paupertatem Christi; verùm non tam paupertatem Christi quærunt, quàm arma Ecclesiæ contra se timent, quibus à vitijs, & blasphemijs arceantur. Semper Hæreses, diabolo duce, & magistro Lucifero, persecutæ sunt Ecclesiam Dei, quæ cùm humilitatem, & paupertatem Ecclesiæ ludibrio habeant, pœnis, & potentiâ eas coërcere opus est, atque potentiæ illarum resistere, quod sine præuijs opibus, & temporali potentia fieri non potest. Præterea materiam exercendarum virtutum tollere satagunt, quippe ex bonis Ecclesiasticis redimuntur captiui, sustentantur egeni, quod est misericordiæ, & liberalitatis opus, conformiter ad supra dictos Angelos secundæ Hierarchiæ, qui à Dionysio dicuntur sursum actiui, qui conuersi ex suo ordine alios inferiores conuertunt, & perfectè in se alios perficiunt, & alios ex suo lumine illuminare satagunt, maximè verò liberalitate: *quia sicut prædicti Angeli habent benignitatem, & seueritatem in liberalitate, sic & prædicti Prælati Ordinis Ecclesiastici liberales sunt in casu necessario, pariter & seueri*, inquit Seraphicus Doctor. Liberales quidem & benigni circa humiles & prouidentes, duri verò circa reprobos, & rebelles, quia quos non possunt censurâ Ecclesiastica reducere ad veritatem vitæ per benignitatem, per seueritatem potentiæ reducunt, iuxta illud D. Pauli: *Increpa, obsecra, &c.* Illos quippe Deus *constituit super muros Hierusalem, vt tota die ac nocte non taceant, sed ex vinea Domini vulpeculas & onagros terrendo pellunt. Venatio leonis onager in eremo:* Leones esse debent, qui in dignitate Ecclesiastica positi sunt, & propterea potentiâ temporali muniti sunt, vt non solùm gladio prædicationis, sed etiam gladio vindictæ onagros, hypocritas in fide, quales sunt hæretici occulti, & hypocritas in moribus, quales sunt pseudopolitici, armis materialibus, nimirum potentiâ temporali humilient, & in viam rectam reducant, vulpeculas capiant, quæ demoliuntur vineas, sepes reficiant tenendo in vna manu gladium, in altera Pastorale, ad tuendam iurisdictionem suam, quæ quàm amplè se extendat, consulendus Lubienscius, qui Ecclesias Silesiæ à Regibus Polonis fundatas, translatas, ac dotatas luculenter deducit: Ecclesiam quoque Vratislauiensem à Casimiro primo, & sedem Episcopalem, quæ primum Smogorouiæ, deinde Bianæ fuit, Vratislauiam translatam fuisse, ac dotatam scribit. Tandem nolunt Hæretici

Facultates & prædia Episcoporum toruo oculo, aspiciunt hostes Ecclesiæ.

2. Tim. 4. n. 2.

Lubienscius de rebus Silesiacis in responsione ad rationes fictı nominis Equitis.

retici Episcopos possidere bona, vt ea ipsi occupent, & sic suas hæreses firment, vt factum est in Germania, referente Piasecio. Non sufficit contra prædictos hostes vti oratione, ieiunio, & eleëmosyna, vt eos Deus in meliorem frugem deducat, coërcendi sunt, nec credant, si prædicti refragatores proclamant pacem, cùm non sit pax, qui cum Deo, & Ecclesia bellum ineunt. Liniunt luto, vitia propria grauissima vitijs populi adijciendo, absque palea, doctrina Ecclesiæ sine veritate, quæ protegit religionem, sicut palea protegit granum. *Piasecius in Chronica Europæ fol. 34.*

Consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas, & in infernum deducendas, tanquam instrumenta Principis infernalis.

7. Ad hæc sine temporali potentia, maximè Hæreticorum petulantia coërceri non potest, sine facultatum Ecclesiæ copia, siquidem gladium spiritualem spernunt, censuras Ecclesiasticas floccipendunt, & temeritatibus suis in errores, & blasphemias ruunt, ideò ad potestatem temporalem necesse est recurrere, eâ tamen benignitate priùs adhibitâ, quæ cernitur in Angelis primi ordinis secundæ Hierarchiæ, quæ sic eis accommodari potest, quòd sint luminare maius in potestatem diei, & luminare minus, illuminando doctrinâ, & tenebras pellendo tanquam Dominationes authoritate sibi traditâ, & benignitate Angelicâ. *Hostes Ecclesiæ sanctæ gladium spiritualem spernunt.*

Verùm, si refragatorum proteruia domari non potest benignitate, qui omninò spoliare contendunt Pontifices potentiâ, & facultatibus Ecclesiæ, dicunt enim Christum Dominũ, Apostolos, quibus successerunt Episcopi, voluisse esse pauperes, nec Ecclesiæ bona possidere licet. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*, quòd etiam exemplo suo docuêre Apostoli. Contra tales est oppositum Christi Domini mandatum, *sed nunc dico vobis, qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium.* *Matt. 10. n. 9.* *Luc. 22. n. 36.*

8. Et obcæcati erroribus, atque peccatis non aduertunt bona prædicta, & facultates Pontificum non esse ipsorum, sed Ecclesiæ, ipsi verò sunt dispensatores; nam Episcopi diuitias Ecclesiæ, quas habent, non quasi suas possident, sed quasi communes dispensant, quò Euangelicæ perfectioni non derogant, vt inquit S. Prosper. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & proprias affectiones amoris contemni*: & plura exempla est cernere in Regno Poloniæ, vbi postquam viri meritissimi, prudentiâ, & virtute præditi, Pontificalem gradum obtinuerunt, facultates proprias Religiosis, quibus concessum est, bona immobilia legaliter resignauerunt. Quare non sunt impedimento perfectionis Ecclesiæ facultates, in defensionem eiusdem Ecclesiæ, in subsidium egenorum, & si inter Senatores Regni computati sunt, in auxilium *Bona Episcoporum, sunt bona Ecclesiæ.*

D. Ambr. ser. 82. lium defensionis Reipublicæ, vt inquit D. Ambrosius. *Et esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis, miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu in terra defodis, nec enim minoris criminis est tollere habenti, quàm cùm possis sic indigentibus denegare.* Vnde & abundans Christus, & sanguinem, & aquam protulit in salutem nostram, sanguinem in pretium, aquam in lauacrum nihil pro se reseruans; hunc imitati sunt multi Pontifices, & Episcopi, omnia in pauperes erogârunt, & in defensionem Ecclesiæ, ac Reipublicæ, non in luxum, & pompam ædificiorum, memores, quòd non absque speciali mysterio, Episcopi sacerdotalibus vestiantur ante altare, & reuestiantur, ad insinuandum, quòd Episcopus reditus acceptos de altari Christi Domini, altari eosdem debet restituere, expendendos illos in egenos, quia reditus istorum pretium sanguinis Christi est, *non licet illos mittere in corbonam, in thesauros.*

9. Quòd verò ex præceptis Christi obijciunt, ex eisdem præceptis soluitur. Nam S. Lucas refert, sic Christum ad Apostolos locutum fuisse. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Qui cùm dixissent, *nihil.* Subiunxit Christus, *sed nunc, qui habet saccum, tollat, similiter & peram.* Quando Apostolos ad Euangelizandum Iudæis misit, vbi consuetum erat, vt doctores viuerent de stipendijs eorum, quos docebant, ne aliquis suspicaretur eos, causâ quæstus prædicare, sine sacculo, & pera iussit ire, vt à solicitudine liberarentur. Sed postmodum imminente passione, quando iam ad gentes mittendi erant inter lupos, aliud eis præcepit, atque tanquam leones erroribus resistere, & leoninâ fortitudine Hæreses coërcere permisit. Possunt igitur hæc ad inuicem sese compati, quòd Pontifices sunt perfecti, & pauperes animo, si proprias facultates contemnere solùm animo possunt, & re ipsa, si de facto contemnent, alijs resignando, & liberaliter donando, & quòd habeant facultates, permittente Christo, ad defensionem Ecclesiæ, & correctionem refragatorum.

Luc. 22. n. 36.

Cauilationes hostium Ecclesiæ tolluntur & euanescunt.

Non obest, quòd Hæretici, & Pseudopolitici obijciunt plures esse Episcopos qui bonis Ecclesiasticis abutuntur, sed paucorum error in destructionem boni communis allegandus non est, maximè, quia talibus non fauet Ecclesia, sed reprehendit vnà cum Patribus Sanctis. *Si mecum manere vult, si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum, qui hoc non vult, habeat libertatem, sed videat, vtrum habere possit felicitatis æternitatem?* inquit D. Augustinus. Cæterùm nonné fatuus diceretur, qui imaginem crucifixi minùs peritè arte sculptoriâ elaboratam, propter hoc solùm osculari recusaret, eò, quòd ab imperito artifice inneptè esset effecta? ita prorsus fatuus est, qui propter errorem vnius Ecclesiæ præpositi, in dispensandis bonis Ecclesiæ, cæteras

D. August.

teras Ecclesias bonis temporalibus spoliare satagit.

Quippe non eo fine dignitates, & opes Ecclesiæ conceduntur; vt dissipentur, hoc enim vanum est ministerium Pontificum adeò laboriosum in diuitias, & dignitates tanquam in finem referre; in diuitias, & facultates quidem, licet enim dignitas quæsita sit præmium virtutis ad honores tum probandos, tum exhilarandos, in eo tamen non est locanda Pontificum laboriosa vigilantia, honor quippe est bonum extrinsecum, labile, vanum à Christo reprehensum in Apostolis de primatu disputante, & dicente: *Scitis, quia Principes gentium, &c. dominantur eorum*, omnem solicitudinem in eo deponendo vt honorem acquirant, non aduertentes, quòd honor magis in honorante, quàm in honorato sit, maximè, si quòd in honore sis pluribus facis, quàm quòd sis probus. Gloria verò & fama non est digna, vt pro vltimo fine habeatur, quia non solùm probis & meritis, sed & improbis, indignisque, & immeritis contingit, quòd externo actui, non internæ probitati nitantur, quòd gloria sit famæ effectus instabilis. 10.

Quisnam sit finis laboriosæ dignitatis Episcopalis?

Mat. 20. 25.

Potentia verò etsi ex se sit infirma, nam potenter incipiens impotenter desinit, vt in varijs imperijs cernere licet, Gottorum, Vandalorum, Romanorum; si tamen ad Deum, qui est omnis potentiæ author referatur, si contra rebelles Deo, & hominibus ordinetur, firma & laudabilis memoria est, & gloriosè triumphat: solùm igitur Deum præ oculis habentes, & ad ipsum tanquam ad primam veritatem, potentiam dirigentes, sunt verè sapientes, si sapientes, & prudentes, si prudentes, feliciter potentiâ sua vtuntur. Ad hunc scopum dirigentes potentiam, maximè sibi paratum à Deo præmium sciant, tam ex conformitate ad ipsum Deum, quàm ex conformitate ad Angelos, qui Dominationes vocantur, ex amore in populum saluandum, ex virtutis ipsius augustiore spectaculo, ex specie ministerij, quòd homines omnium creaturarum nobilissimos, beneficij sui memores ad viam salutis reductione gloriosè triumphat ex Hæreticis, ex Hæreticorum Patre, Schismaticorum, atque Pseudopoliticorum diabolo scilicet; *Videns enim serpens ille infernalis idola derelicta*, inquit Sanctus Cyprianus, *& per numerum credentium populorum sedes suas, & templa deserta, excogitauit nouam fraudem, & sub ipso Christiani nominis titulo fallit incautos. Hæreses inuenit & Schismata, quibus subuertere fidem, veritatem conatur. Quos enim non potest detinere in vnius erroris cæcitate, hos circumscribit, & decipit noui itineris fallaciâ.* II.

Quid præcipuè intendere debent Episcopi, vt triumphent de Hæreticis, & patre illorum Diabolo?

S. Cyprianus.

Rapit de Ecclesia homines, & dum se appropinquasse lumini, atque euasisse securi noctem putant, alias tenebras infundit, vt ambulantes in tenebris habere se lucem existiment, asserens & ostentans diem pro nocte, interitum pro salute, perfidiam sub prætextu fidei. Triumphabunt item ex Hæreticorum impijssima matre, quæ est mala conscientia, & ti carnalis concupiscentia, licet enim hæresis sit error in intellectu,

tamen fascinatione quadam, quâ seducti ne obediant veritati, ex patre diabolo, & matre concupiscentia, atque superbia & peruersa conscientia, nascuntur.

12. Astutia Diaboli in decipiendis Hæreticis. *Sbigneus Episcopus expugnator & execitor Hæreticorum ex Polonia.*

Dum enim concupiscentiam suam sequuntur, & præcipuè molem àërem, seu mulierem, hæc remorsum conscientiæ tollit, nec Deo obedire, nec Ecclesiam audire, nec infernum credere, nec Deum Iudicem bonorum, ac malorum retributorem timere suadet. Nunquam Hæresis est primum peccatum, præcedunt plurima, quæ in profundum mergunt animas hæreticorum, cùm enim fides sit donum Dei, priùs ruunt in peccata, deinde iudicio Dei ob demerita, & vitia obfuscatum habentes intellectum, & voluntatem cupiditatibus deprauatam, in hæresim labuntur, quam sequitur perturbatio in Regnis, molimina diuersa, si tamen potentia temporali, & iurisdictione conformiter ad Angelos, qui sunt Dominationes omnia in Dei gloriam ordinantes, rectè vtuntur, ex ipsis, & parentibus eorum triumphant. Sicut triumphauit Sbignæus in Regno Poloniæ, qui Hæreticos ex Bohemia venientes, eius consilio à Rege eiectos persecutus est, & nonnullos deficientes in via, dum se reficerent, nec agmen consequi poterant, excepit, & dissipauit.

13. Iudæi hostes iurati Christi & Ecclesiæ, aureis armis pugnant contra Principes Christianos, in valescente pugna, ita vt natura in malitiam conuersa videatur, vnde & Regnum Poloniæ depopulatum, per ipsos esse referunt Historici. *Lubienscius.*

Triumphabunt ex Iudæis, cum quibus bellum periculosius, aureis enim pugnant armis, vnde potentissimos Principes Christianos iurati hostes Christi, & Ecclesiæ deuicerunt, cum maximo Christianæ Reipublicæ damno, Christi iniuria, & nominis Christiani, quòd quotidianis blasphemijs, & sputis afficiunt, & quod peius est de malo in peius, semper odium in Christum innotescunt, ita vt malitia in naturam transisse videatur, nec est aliqua natio ita peruersa, quæ plùs noceat Regnis, sicut Hebræi. Refert Lubienscius, totum septentrionem à gente quadam barbara depopulatum fuisse, Anno 1240. quæ posteaquam Regem Indorum interfecit, penè vniuersam Asiam armis victores, longè, latèque peruagati essent, occisis duodecim Ducibus Russiæ, in Poloniam, inde in Silesiam, Germaniam, Morauiam pertransiêrunt, &c. cunctaque sibi subiugârunt imperia; origo huius gentis pessimæ, si linguam spectes, inquit Lubienscius, ad Hebræos, vel Chaldæos referenda est, & quis suspicari non possit, decem olim Tribus ita ex Palæstina in seruitutem abactas, vt nunquam (hoc enim decreto illos Deus apud Ezechielem damnauerat) in patriam redirent, in extremasque orientis, & vt nunc vocamus, orbis noui partes translatas, illic vt erat gens Dei benedictione fœcunda, ingentem sobolem, quæ ex promissione Abrahæ facta, numerari non posset, propagâsse? Hos veteribus Græcis, ac latinis pariter Historicis ignotos multis sæculis delituisse, ad extremum deinde, auctâ multitudine, ad quærendas nouas

tias sedes emigrasse, & vt in alias Asiæ partes, sic & in has septentrionis oras venisse?

Triumphabunt tandem & ex proprijs filijs (in hostes salutis suæ, & Ecclesiæ, atque Reipublicæ conuersis) nimirum Pseudopoliticis, de quibus dicit Bernardus: *Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideò in pace amaritudo eius amarissima: & subdit, pax à paganis, pax ab hæresibus, sed non profectò à filijs, & quam ob causam? quia vox plangentis non auditur, Filios enutriui, ipsi autem spreuerunt me, & maculauerunt à turpi commercio.* Longè à Deo est planctus, si tamen plangere posset, planctus eius repleret mundum super filios, qui spreuerunt leges Diuinas, & humanas à turpi commercio, quo maculati sunt, nimirum vsuris, fraudibus, homicidijs, qui neglecto cælo, terrenis inhiant. 14.

Isti sunt Caimistæ, qui vnâ cum ipso post fratricidium dicunt: Si tollis à nobis terrena, si temporalia denegas, tolle tibi & cælum: nil curant, quòd à facie Dei eijciantur cum Caim, à visione beatifica, in qua consistit gloria, & iucunditas perennis, ex amore Dei, si terrena denegantur, floccipendunt commercia salutis, passionem Christi, prædicatorum comminationes, conscientiæ remorsus, modò turpi commercio, honores, applausus, diuitias, adulatorum copiam, in victu luxum, in vestitu fastum, vt magnificentiam ostendant, adipiscantur; propter hoc spernunt eum, à quo est omnis honor, spernunt honoris originem, virtutes internas, externis illudunt Deo & hominibus, & omnia in honores, & diuitias redigunt, tanquam in finem defixis in terram oculis, nec aspicere cælum volunt, dæmone eos in infernum nimio appetitu terrenorum trahente. Contra hos & supradictos, qui Turcicam libertatem conscientiæ concedendam quotidie clamant, si pugnauerint temporali potentiâ eos adigendo, & prius suauioribus medijs trahendo ad fidem, & meliorem frugem, atq; contemptum morum pessimorum, non in perniciem, sed in Dei gloriam, & salutem animarum omnia ordinando, sanè & victoriam, & perennem Dei gloriam, & salutem, laudem, atque pro meritis, & labore vitam æternam reportabunt. 15.

Triumphant Episcopi de Pseudopoliticis, tanquam filijs in Caimistas conuersis.

Tandem id, quod tertio loco odio habent hostes Ecclesiæ, est præeminentia status Pontificalis ad secularem, maximè quòd iudicijs eorum subijciantur in causis spiritualibus, & temporalibus; sed immeritò, neque enim Ecclesiasticæ solùm causæ Episcopi iudicio subijciuntur, sed quidquid ad rationem curandæ salutis pertinet, etiamsi sint extra territorium fori Ecclesiastici, aut esse videantur, ita sacræ, & profanæ leges voluerunt, hoc pij, & optimi Principes sanxerunt, & exemplo suo docuerunt, vt supra dictum est, qui monitiones Episcoporum, atque correctiones vt paternas acceptârunt, Reuoluant, inquit Lubienscius, amplissimos Imperalium 16.

Præeminentia Episcopalis, odio habetur ab hostibus Ecclesiæ.

modò

modò legum codices, statuta Poloniæ, piasque maiorum nostrorum sanctiones, reperient, quòd olim spiritualem gladium stringentibus cæteræ omnes iurisdictiones parebant, ac iusta exequebantur. Hoc primum sæculo, ac penè nostra memoriâ, impietas extorsit hunc mucronem salutis è manibus Episcoporum. Videlicet, pessimè habebat diabolum esse in hoc Regno, qui summa cum potestate, & ex nobili (vt iurisconsultorum verbo vtar) officio, hæreses, blasphemias, adulteria, veneficia, incantationes, incestus, periuria, & id genus infernalia monstra, quæ nunc impunè perpetrantur, punirent. Libertas à plerisque prætenditur, cui scilicet graue erat potestati sacræ submittere caput. Cùm Principes Christiani optimi, quique ea corripi, & puniri ab Episcopis voluerant, soli ij, quibus pietas non erat cordi, iussa & monita eorum respuerunt. Cùm tamen spernere eam superioritatem sit æternas pœnas luere, atque in nu-
2.Petr. 2.9. mero illorum reperiri, de quibus dicit D. Petrus: *Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces sibi placantes sectas non metuunt introducere blasphemantes.* Itaque sublimitates prædictæ, nimirum dignitas, potentia, & præeminentia conspicuos reddunt Pontifices, maximè si ad munus Episcopale attendant, quod graphicè de-
D. Bernard. pingit D. Bernardus sub imagine Eugenij. *De cætero,* (inquit) *oportet te esse formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum Ducem, amicum Sponsi, Sponsæ Paranymphum, Cleri ordinatorem, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum Tyrannorum, Regum Patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi. Tales si fuerint, ab infelicitate*
Seneca Epist. 39. *regna eliberabunt,* de qua Seneca: *Consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores fiunt.*

CAPVT II.

Splendor luminarium Ecclesiæ Doctorum Sanctorum, quòd assimilentur Angelis mediæ Hierarchiæ, secundi Ordinis, scilicet virtutibus.

Maxi-


MAximam diligentiam semper adhibuerunt viri in Regnis eminentes, vt filij eorum educarentur honestè, in omni eruditione & bonitate, partim ex amore filiorum, nam scitum est, & vocorum sermone tritum prouerbium: *Odorem odorum panem; saporem saporum salem; amorem amorum filios esse*; partim ex amore in Rempublicam, pro cuius conseruatione semper laborabant, hanc autem dependere ab educatione sancta filiorum ratum haberent. Vnde ex optimis meliores, ex sapientibus sapientiores, ex expertis magis expertos Præceptores, & magistros educationi eorum adhibebant, quorum fidei filios committebant, quin & præceptis eos informabant, in quibus erudire eos deberent: poterat enim fieri, vt Magistri illi sint viri generosi, nobiles, senes, sapientes, moderati, educandi tamen Illustrium virorum filios vsu carerent, nihil itaque aliud facit Pater consilio magistrum instruens, quàm quòd scientiæ thesaurum, in vsum filij deponit. 17.

Educatio filiorum maximæ curæ esse debet, ideoq; optimis Præceptoribus tradantur ad erudiendum.

Tria autem sunt præcipuè, in quibus perfecta illorum educatio desiderari debet, in Religione, eruditione, & moribus; quæ si perfectè sapiant, assumpti ad fastigia Regni, & Magistratus, illud inexpugnabile reddent. In religione quidem, quia non nisi colendi Dei gratiâ quisque nascitur, in hac vtiliùs est iuuenilem ætatem instruere, vbi dictorum ratio non exigitur, sed docenti simpliciter acquiescitur. Quòd simpliciter credenda congruè tunc proponuntur, tunc simpliciter credulus est, & tempestiuus in religionem vsus, dociles in Deum facit, indociles neglectus & tardus, quòd firmiter amplexanda, citiùs ostendenda, vt consuetudo in naturam vertatur. 18.

Tria sunt, in quibus erudiendi sunt filij Illustrium, in Religione, scientia, & moribus.

Et concessum est firmius id hæsurum, quod à teneris hauritur, quæcunque à pueris discuntur, vna cum ipsa mente côàlescunt, animumque mutare, etsi quid penitus insitum moribus, id subitò euellere difficilè. Eâ ratione in Regno Poloniæ lege prohibitum est, ne iuuenes nobiles alto ex sanguine nati, ad eruditionem capessendam in partes hæreticorum transmitterentur. Non quòd eruditio sit negligenda, quin potiùs hoc est, quòd secundo loco in filijs parentes expectant, scilicet eruditionem literarum, vt eloquentes fiant, tum vt suo operi attentiores, tum tandem vt destinatum ijs munus perfectius exequantur; sed ne peste, ac tetro hæresis veneno inficerentur: sanæ scientiæ intelligentiam referant, prudentiam parent, benè omnia agere intelligant, illis ergo imbuendi sunt, maximè, quæ magis necessaria, seruilia, & quæ in voluptates inclinant, declinando. Sed quæ ad morum compositionem spectant, atque ad optimum regimen conducunt, regendi artem afferunt ijs, qui eandem exercebunt. In moribus verò erudiendi sunt exemplis, & admonitionibus, 19.

Primum attendendum

bus, & mores quidem primùm, mox & scientiam discant, quia malè, & ad malum, sine moribus discitur. Et hæc quidem diligentia, atque vigilantia in educandis filijs, in procurandis magistris pro educatione eorum, adhibenda est.

ad capessendos optimos mores, quàm scientiam.

Quantò magis, & maior solicitudo adhibenda est Ecclesiæ Sanctæ, in procurandis Doctoribus Ecclesiæ ad imbuendum Christianos, ad confirmandum in fide, spe, & charitate, quibus Deus colitur, & in quibus Religio Christiana fundatur, ad erudiendos in scientijs saluandi animam, & moribus, qui Christianos decent? Sanè tales esse debent, vt verè dici possint luminaria Ecclesiæ, & assimilari Christo Domino magistro, de quo hic primò agendum est, deinde Angelis, qui dicuntur Virtutes, tandem de influentijs cælestibus & terrestribus.

20. Non minorem curam adhibuit Christus Dominus anxius de filijs, cuius amor & dilectio omnem amorem parentum erga filios superauit, prouidit illis tales præceptores, qui rectè luminaria nominantur. *Vos* (inquit) *estis lux mundi*, scilicet commissione, & participatione, quia lumen naturâ est ille, qui de seipso ait: *Ego sum lux mundi & cæli. Qui lucem inhabitat inaccessibilem. Lucerna cæli est Agnus*; primarium lumen, & luminare, quo nullum eminentius, est Deus, ita quippe lumen est proprium Deo, vt nec Philosophi, nec Gentiles potuerint ponere nomen magis conueniens Deo, quàm quòd sit lux, atque ita dixit Mercurius Trimegistus, vt refert noster Anibal: *Erat* (inquit) *lumen intellectuale ante lucem intellectualem, & erat semper mens luminosa*, ideoque & Moysi apparuit in flamma ignis, ita vt necesse fuerit faciem velari Moysis, ob lumen contractum ex conuersatione cum Deo. Hinc etiam à multis asseritur, quòd prima creatura, quam adorauerunt Ethnici pro Deo, fuit flamma ignis, & secundum alios sol, existimantes Dei naturam esse luminosam. Et reuera nihil est lucidius firmamento cæli; Christus autem est firmamentum virtutis Diuinæ, id enim illi attribuit sanctus Propheta dicens: *Laudate Dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius*, id est, in firmamento, quod sunt sancti homines. Primò tamen competit firmamenti ratio Christo Domino, ob multas rationes, quas citat Seraphicus Doctor, præcipuè tamen, *quia Christus Dominus erudit intellectum, & voluntates hominum, dum illuminat lumine suo intellectus ipsorum, & inflammat corda eorum, qui ei appropinquant.*

Doctores SS. sunt luminaria Ecclesiæ, ideoq; à Christo dicti sunt lux mundi cōmissione & participatione, quoniam Deus est lux primaria.

Annibal Roselus in Commentarijs Trimegisti.

Psalm. 150. D. Bonau. de cælesti Hierarchia 4. parte.

Luminositas firmamenti est maxima, omnia illustrat, & à Christo omnium gratiarum, & donorum illuminositas procedit, iuxta illud Ioannis: *Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Ab istius igitur firmamenti conuexa superficie ad cor humanum, velut ad proprium centrum transfunduntur radij gratiarum, & sic *de plenitudine eius omnes recepimus,* grati-

Ioan. 1. n. 15.

gratiam pro gratia. Plena igitur fit impressio, & còádunatio cælestis luminis in corde hominis quoad ipsius iustificationem, plenior quantum ad illustrationem sapientiæ, & veritatis inspirationem; plenissima verò quoad consummationem iustitiæ, & finalē charitatis in homine perfectionem, & conseruationem; ideo ait Apostolus: *Plenitudo legis est dilectio.* De (*Rom.* 13. *n.* 10.) prima dicitur in Psalmo: *Plena est iustitia dextera eius*, & iterum in alio Psal- (*Psal.* 47. *n.* 11.) mo: *Flumen Dei repletum est aquis.* A Christo enim velut à fonte procedit flu- (*Psal.* 64. *n.* 10.) men pœnitentiæ, quâ anima à sordibus abluitur, & purgatur, & ad videndum lumen desuper veniens disponitur, & habilitatur, sicut dicitur in Iòánne: *Abij, laui, & vidi*; & in Sapientia: *Omnis orbis terrarum limpido illumina-* (*Ioan.* 9. *n.* 11.) *batur lumine.* De secundo dicitur in Isaia: *Replebitur terra scientiâ Domini, quasi* (*Sap.* 17. *n.* 19. *Isai.* 11. *n.* 9.) *aquæ maris operientis.* De tertio dicitur in Psalmo: *Dies pleni inueniuntur in eis.* (*Psalm.* 72. 10.) Et Iob: *Complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.* Et in Cant. *Resident* (*Iob.* 36. *n.* 11.) *iuxta fluenta plenissima.* Talibus radijs à Christo effluentibus, tanquam à fir- (*Cant.* 5. *n.* 12.) mamento nobilissimo virtutum, & meritorum species in electorum cordibus procreántur, iuxta illud Eccl. *Ipse est firmamentum virtutis, tegimen ar-* (*Eccl.* 34. *n.* 19.) *doris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, vitam, & benedictionem*: quasi diceret Eccl. à Christo, velut à firmamento, effluit virtutis perditæ restitutio, ardoris, concupiscentiæ, & diabolicæ inflammationis repressio, persecutionis mitigatio, de offensis remissio, & apud Patrem pro peccatis propitiatio.

21. Christus illuminat intellectum, inflāmat voluntatem multò perfectiùs, quàm firmamentum radijs Astrorum.

Inflammat præterea Christus Dominus ad instar firmamenti illos, quos sibi gratiâ & fauore coniunctos habet, vt patet in Apostolis, qui tanto feruentiori igniculo sunt accensi, quantò magis sibi vicini meruerunt fieri, per familiaritatis gratiam propinqui, iuxta illud Deuteronomij: *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Vnde doctrina Christi ignea ipsos fecit feruidos, penitùs & ignitos, & sic dicitur in Threnis: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me Dominus.* Et Ezechiel: *Vidi quasi speciem ignis splendentis*, qui vtique significat Christum, cuius humanitas figuratur per *electrum*, quod est metallum ex auro & argento compositum, subtili artificio conflatum. Nam in auro incorruptibili animæ Christi (*Deut.* 33. *n.* 3.) immortalitas, in argento candido & mundo, assumpti corporis puritas (*Thren.* 1. *n.* 13.) designatur, ex his duobus Christus est formatus, qui secundum vtramque (*Ezech.* 1. *n.* 27.) naturam argento mundior, & auro obryzo pretiosior inæstimabiliter arbitratur.

22. Christi Domini simulachrū

Istud electrum intrinsecus videtur igneum, quia Corpus Christi cum anima, Deo, qui est *ignis consumens*, ineffabiliter est vnitum. Istius sedentis in Maiestate species à medio corporis, & sursum videbatur ardens in-

 trinse-

in viſione Ezechielis pulchrè exprimitur. trinſecus & latens, à lumbis verò deorſum ignis ſplendens exterius, & apparens. Nam Chriſti virtus cum ſupernis ſpiritibus quantum ardeat, humana ratio non comprehendit. Vnde dicit Iſaias: *Quis poteſt habitare* Iſai. 33. n. 14. *cum igne deuorante, & cum ardoribus ſempiternis?* Ezechiel item: *In medio lapi-* Ezec. 26. n. 14. *dum ignitorum ambulaſti.* A lumbis autem deorſum apparet ignis ſplendens, quia in quantum Apoſtolos, & alios gratiæ filios accenderat, per facti euidentiam omnibus eſt manifeſtum. Porro in lumbis eſt ſedes generationis, & ideò à lumbis deorſum in circuitu ſplendere dicitur, quia in illis, quos per gratiam gignit, ampliori gratiâ gignere ſe oſtendit. Vnde dici- Leuit. 10. n. 3. tur Leuitici, *Sanctificabor in his, qui appropinquant mihi, &c.* Nos quidem latet, quantum Chriſti virtus accendit illos, qui ſunt in patria, ſed per multa exempla videmus, qualiter à ſua gratia igniuntur, quos per verbum vitæ genuit hîc in via, & ideò benè firmamentum dicitur, quia mens, quæ ab eo tangitur, accenditur, ſubitò & ignitur, & firmatur. Non ſolùm autem illuminauit, & inflammauit Chriſtus Dominus, atque firmauit fideles, ſed & infirmos ſanauit, atque mortuos viuificauit, quia venit vt vitam haberent. Ipſe quidem, ſi pro nobis non fuiſſet mortuus in Cruce, vixiſſet vſque ad ſenectam & ſenium, & tandem ex conditione naturæ mortuus D. Auguſt. Tom. 7. lib. 2. de merit. & remiſſ. cap. 29. fuiſſet, teſte D. Auguſtino: *Quia in eo erat ſimilitudo carnis peccati, mutationem ætatis perpeti voluit ab ipſo exortu infantiæ ad mortem, & etiam ſeneſcendo illa caro peruenire potuit ad terminum, niſi iuuenis fuiſſet occiſus.*

23. Sanctorum Doctorum Eccleſiæ munia ex imitatione Chriſti.

Lucet itaque ad inſtar firmamenti, hoc tamen non obſtante, quòd Chriſtus ſit lux primaria, Doctores Eccleſiæ verè dici poſſint participatione luminaria ſplendida, ad educandum filios lucis apta: Primus itaque illorum ſplendor eſt imitari Chriſtum Dominum in illuminandis intellectibus fidelium, item in inflammandis cordibus, ac medendis infirmitatibus: alius in imitando Angelos, qui vocantur Virtutes, in exprimendo virtutes occultas cælorum, germen terrenum, & moralium virtutum decorem, ſic enim & tunc luminaria ſunt orbi lucentia, quippe Chriſtus Dominus, *lux vera fuit illuminans mundum*, & illuminando erudiens filios lucis, vt eſſent ſplendidiores filijs huius ſæculi. Doctores quoque ſanctæ Eccleſiæ ſunt lux fulgida, per aſſimilationem ad virtutem Diuinam Chriſti Domini, atque conſequenter ad virtutes Angelicas, & ideò illis dictum eſt: *Vos eſtis lux mundi,* qui lumine ſapientiæ, & veritatis Diuinæ irradiatis orbem varijs ſacræ Scripturæ interpretationibus, & ſententijs, pellendo omnium errorem, & phantaſmatum horrorem doctrinâ Catholica, in qua relucet veritas fidei, quâ totius Eccleſiæ ſuperficies decora- Iob. 37. n. 3. tur. Vnde dicit Iob: *Super omnes cælos conſiderat, & lumen illius ſuper omnes terminos terræ.* In rebus fidei communis conſenſus Eccleſiæ Doctorum, & ſan-

ctorum Patrum, etiam absque Scripturæ testimonio, est argumentum veritatis plusquam moraliter, certum & valde accendens ad fidem. Præterea communis sanctorum Patrum interpretatio scripturæ, ac dogmatis in ipsa fundati, continet irrefragabile argumentum, nisi enim communis Patrum expositio esset legitima, cùm præceperit Ecclesia, ne quis Scripturam sacram, contra vnanimem consensum Patrum, audeat interpretari.

Tandem si Ecclesia in particulari definiat doctrinam alicuius Sancti esse veram, & eam approbet, tunc ex ea potest construi firma ratiocinatio; quando verò nihil in particulari decernendo, sed tantùm per verba generalia alicuius Doctoris doctrinam recipit vel probat, non propterea est authoritatis infallibilis illa doctrina: aliud est enim approbare aliquem, tanquam scriptorem Canonicum, v. g. Epistolas D. Iacobi: aliud tanquam Doctorem Catholicum. Quemadmodum igitur Christus Dominus illuminauit orbem, ita & Doctores sancti authoritate sacræ Scripturæ, & interpretatione eiusdem, vt scriptores Doctores, ideoque ipsi prius luminosi esse debent, vt lumen spargendo in alios, ipsos luminosos efficiant, propterea enim & Christus Dominus dixit ad Apostolos, primos fidei scriptores & Doctores, quod etiam spectat & ad successores eorum. *Vos estis lux mundi.* 24.

Valor authoritatis sanctorum Patrum quantus sit & ratiocinationis eorum.

Ea est differentia inter lucem, & lumen, quòd lux est in corpore lucido, vt in sole, vt fusè dixi in commentarijs. Lumen autem in aëre, quem primò illuminat, sic lux veritatis sedem suam in luminaribus Ecclesiæ collocat, eosq; lucidos reddit, quam tandem per orbem spargunt & diffundunt exemplo D. Pauli Doctoris gentium, qui cùm in se lucidus, & veritate, ac doctrinâ à Christo Domino imbutus esset, Nomen IESVS gestans in vna manu illuminabat clamando: *In nomine IESV omne genu flectatur, &c.* Clarificando nomen sanctum Christi cælo, terræ, & inferno; in altera verò manu tenens Crucifixum, acriter arguebat resistentes lumini, dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati? ante quorum oculos IESVS Christus præscriptus est, & in vobis crucifixus*, ac si vellet dicere: *O cæcitatem intolerabilem, quæ resistentes veritati, priuat sensu, iudicio, & discretione, ac si non essent viri maturi, sed similes pueris, qui nondum rationis vsum habent; qui facilè fascinantur, & relictâ veritate, mendacia sequuntur, contempto lumine, quod spargit Crucifixus, tenebras, contemptâ veritate, deceptiones diabolicas elegistis. Ecce viua imago Crucifixi depicta oculis vestris obijcitur per prædicationem veritatis, tamen (esto in vobis iterum crucifigatur per incredulitatem) veritati obedire renuitis, non est quòd duritiam vestram, in inuidiam diaboli, in infirmitatem mentis & intellectus, in deceptionem carnis, & mundi referatis, quia ante oculos vestros, & in vestra inobedientia, crucifixus est, ante oculos ve-* 25.

Differentia inter lucem & lumen.

In Comment. super 2. sent.

D. Paulus ad Philip. 2. n. 10.

stros ipsa veritas præsentatur, quæ vos ab omni deceptione sufficienter liberat, malitia vestra vos fascinauit, vt non obediatis veritati.

26. In persona prædictorum, quos hic redarguit Sanctus Paulus, intelliguntur illi omnes, qui spernunt lumen veritatis, qui sunt rebelles lumini, qui pro sua malitia debitas pœnas coguntur supportare, Græcia, Africa, Anglia, magna pars Bohemiæ, Germaniæ, Vngariæ, qui sunt fascinati, nec videre possunt lumen, Christum, ante oculos, & in peccatis eorum, præscriptum & crucifixum. Iudæi autem vagabundi, fæx mundi, populus nequam, sine Deo, sine cæremonijs, sine omnibus literarum & doctrinæ auxilijs, obstinati in suis abominationibus & vitijs, velum habentes super oculos suos, ad tantam fascinationem peruenerunt, vt contempto lumine, tenebris mendacij plus delectentur. Hæ sunt pœnæ inobedientiæ lumini & veritati.

Pœnæ, quibus affliguntur Hæretici, & spernentes lumen veritatis, exagerantur.

27. Cæterùm cùm veritas alia sit speculatiua, alia practica: Speculatiua, quæ dictat quid credendum sit immobiliter, vt quòd Deus sit Trinus & vnus, quòd sit Omnipotens & Creator, qualis authoritas Ecclesiæ, & Summi Pontificis, quid de Christo sentiendum, quid sit Deus & homo? Practica verò, quæ non solùm dictat quid, & qualiter credendum sit, sed etiam inuitat hominem ad rectè, & meritoriè operandum, vt non furari, restituere alienum, castè viuere, occasiones peccandi deuitare, & his similia. Vtramque veritatem, tanquam lumina Doctores Sancti proponunt mundo, *illuminando his, qui in tenebris infidelitatis, in vmbra mortis peccatorum sedent.* Quòd si Christiani, qui obediunt veritatibus speculatiuis, & perdunt omnia, vt proponuntur à Sanctis Patribus, sint rebelles lumini practico, veritatibus practicis, timendum est, ne hoc illis accidat, quod infidelibus Hæreticis, & perfidis Iudæis, vt eos admonet D. Paulus, dicens: *Tu autem, qui fide stas, noli altum sapere, sed time, si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat, vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei in eos, qui ceciderunt, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidêris*, Syriaca legit: *Tu verò fide stetisti.* Vatablus. *Tu verò fide stetisti*, insinuando *fidem esse*, vt inquit Apostolus, *substantiam*; quòd sicut substantia substat accidentibus, ita fides bonis operibus, quæ conseruant fidem iuxta illud; *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere.* Septuaginta habent, *fidem faciens beneplaciti.* Vatablus. *Fidem præstabis obsequiosam, fidem viuam, quam non inficit venenum errorum, vel peccatorum*; illis ergo, qui stant fide, minatur D. Paulus. *Si enim inquit Deus* &c. ne nimis sibi fidant, cùm sit fides donum Dei, quod confirmat exemplo Iudæorum, qui hæreditate fidem à Patribus acceperunt, præcepta ab Angelis, nihilominùs tamen aliqui ex ramis fracti sunt à radice, & trunco amputati, ita vt nullius vsui, aut frugi essent,

Veritas altera speculatiua, altera practica, vtraq; cōplectenda & bonis moribus conseruāda, ne accidat Christianis, quod patiuntur Iudæi.

Rom. 11. cap. n. 20.

Eccl. 15. n. 16.

essent, nisi in cibum igni. Item ex sanguine eorum Christus natus est Filius Dauidi, apud illos leges & præcepta Diuina, Templum Salomonis: apud illos sanctitas virorum, & amicorum Dei, potentes ad placandam iram Dei fuerunt, nihilominùs tamen eos abiecit, non solùm singulos, sed totam Rempublicam, & communitatem eorum. Communitas autem est res Diuina, & maiori protectione Dei, neque tamen hoc iuuit Synagogam, quam permisit obcæcari, & obstinari. Auget timorem, quòd Iudæorum peccata possunt aliquâ excusatione, vel ignorantiâ excusari, & aliquid de eorum grauitate diminui, tum quòd legem acceperint ab Angelis, Christiani verò à Christo; tum quòd minora auxilia gratiæ, nec tot sanctitatis exempla (quibus Christiani gaudent) habuerint, & tamen rigorosè cæcitate, & obstinatione puniti sunt. Christianus igitur plùs timere debet, ne in barathro mendaciorum, tãquam in profundo mari submergatur, & summopere cauere debet, ne sit rebellis lumini, quo Sancti Patres illuminant Regna Christiana, in quo assimilantur Christo.

Assimilantur vlterius Deo, virtutibus Angelicis virtute cœlesti, ac terrestri, ac primum Diuinæ, dum imitantur Christum Doctores, & Sancti Patres, quòd non solùm illuminant intellectum, sed inflammant cor & animum, & hic est secundus non postremæ dignitatis splendor eorum, ideò monet Sanctus Hieronymus. *Ne vnquam de manibus, & oculis nostris recedant libri eorum, dati sunt enim à Deo, quemadmodùm & Christus ad incendium, & ardorem mentis comparandum: quærimus,* inquit Sanctus Hieronymus, *vbi sit hoc incendium salutare, & quinam sint hi libri, qui prouocant ad deuotionem? & respondet. Nulli dubium, quòd in sacris voluminibus, ex quorum lectione vniuersa hominum vitia purgantur.* Fabulæ Pòetarum, Rhethorica Philosophorum, obseruatio Criticorum dierum à Medicis, Comœdiæ & Dialogi profanorum, potiùs refrigerant, quàm ad deuotionem prouocant; officium hoc est sacrorum voluminum, maximè verò illius voluminis, qui simul est & speculum electorum, nimirum Christi passio, præcipuè verò quia illud speculum tale est, quod falso nitore fallentes abominatur, de quo Leo Papa: *Artifex misericordiæ Dei in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem inspiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret.* Hic, inquam, liber est Passio Christi, quam nobis proponunt Sancti Patres, vt præcipuum inflammationis mentis in Deum initium, & complementum. D. Paulus tanquam Doctor gentium, mysterijs huius libri ad deuotionem Christianos inuitabat, & inflammabat, vnde & monebat in hoc solo, quòd Christus mortuus est & resurrexit, esse summam consolationis vitæ Christianæ, *vt non contristemini* (inquit) *sicut & cæteri, qui spem non habent*: impossibile est non contristari, dum homo considerat horrorem mortis, vbi magna violentia separationis

28.

Hieron. Epist. 142. ad Damasc.

Alius splendor sanctorũ Doctorum, cor in Dei amorem accendere.

Leo Papa ser. 10. quadrages.

D. Paul. ad Thes. 4. n. 13.

nis

nis animæ à corpore, vbi succedit iudicium, in quo dæmones de animæ contendent, & iustus Iudex iudicabit causas nostras, vtinam ita fauorabiliter vt in cruce, vbi tanquam in throno eas iudicauit, & pro nobis decretum tulit, quòd animæ nostræ ad Deum pertineant, qui eas sanguine suo redemit, dæmone abiecto, & in profundo infernali demerso.

In his arduis tribulationibus, vt non contristentur Christiani, & spem habeant, exhortatur D. Paulus, maximè si considerent, quare mortuus est Christ⁹, & quam ob causã surrexit à mortuis? Non est mortu⁹, quia filiũ Dei se fecit, vt calumniabantur Iudæi, si item propterea mori necesse esset, cùm pœna debeat esse proportionata culpæ, & apud Iudæos lege Diuinâ cautum fuit, vt tales lapidarentur, ergo lapidari, non crucifigi debuit; quia hæc fuit pœna blasphemorum, causa igitur mortis Christi non fuit blasphemia, præterea blasphemos Iudæi ipsi lapidabant, Christum autem tradiderunt Pilato, & Gentibus, ergò causa mortis eius non fuit blasphemia, maximè, quia quod dixit, verum fuit, item causa mortis eius non fuit transgressio legis. Non enim venit soluere legem, sed adimplere, & propterea non fregerunt eius crura post mortem, nec aliquid ex ossibus eius comminuerunt, quia ossa in homine tot sunt, quot dies vnius Anni, nimirum 365. & totidem erant præcepta affirmatiua legis Iudæorum, quæ illam Rempublicam sustentabant, sicut ossa sustentant hominem, qui igitur nihil ex ossibus Christi comminuerunt, sicut latronum, quos fuisse transgressiores præceptorum Dei inde constat, Christum autem nullum ex præceptis transgressum fuisse, ideò nec fregerunt eius cruca. Neque etiam causa mortis eius fuit aliquod peccatum, quia dum apud Iudæos aliquis condemnabatur ad mortem, induebatur veste nigrâ: Christum autem veste candidâ indutum, testantur Euangelistæ ad manifestandam eius innocentiæ puritatem. Cùm igitur nihil ex supradictis fuerit causa mortis Christi, nec aliquam aliam reperiri possibile est, restat dicere, solùm velle Dei Patris, & amorem Christi Domini erga salutem humanam fuisse causam, & velle quidem Diuinum omnium mysteriorum fidei, & Dei beneficiorum causa est, & ratio omnium, neque enim aliter respondéri potest in mysterijs fidei, & beneficijs Dei, nisi quia Deus vult, vt si quis quærat, quare Deus descendit de cælo? Respondetur, quia incarnari voluit, & naturam humanam assumere. Si iterum quæras, quare voluit incarnari? respondetur, quia voluit genus humanum saluare: & si tandem quæras, quare hoc voluit? respondetur, quia hoc voluit; similiter si quæratur, quare Deus hunc, vel illum sanctnm glorificauit? respondetur, quia prædestinauit. Et vnde nôsti, quod prædestinauit? Respondetur, quia sanctificauit; quòd si iterum quæratur, quare sanctificauit? & quare

29. De causa mortis Christi Domini inquiritur, etiam de causa resurrectionis.

voca-

vocauit? respondetur, quia voluit: Et si quæras, quare voluit? respondetur, quia voluit. Non est assignare aliam causam, ibi status, & non est procedere vltra. Simili ratione in materia redemptionis nostræ, cùm quæritur, quare Christus mortuus est? vltimum in quo est status, est velle illius & amor, neque enim aliunde habet Deus vt amet, sed ipse est vnde amat, nulla causa est mortis Christi, nisi velle ipsius ex amore proueniens: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Hoc & Pilatus testatus est, dum dixit; *Ego nullam causam inuenio in eo.* Cùm igitur tantus sit amor Christi erga mortales, hoc solùm proponentes Doctores sacri hominibus, sufficienter inflammant corda hominum, & mentem in Deum eleuant, vt iam nihil libeat, nihil dulcescat humanæ menti præter Deum, ita vt dicere possit cum Beato Francisco. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Tertius splendor Sanctorum Doctorum est, imitari Christum Dominum in medendis infirmitatibus; Christus Dominus non solùm illuminabat intellectus, & inflammabat voluntates hominum, atque firmabat in amore Dei, sed etiam medebatur infirmitatibus eorum, ipse enim est sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius multò efficaciùs, quàm in pennis, seu radijs solis materialis. Pennæ, seu radij solis iustitiæ, sunt Doctores Sacri, patitur febrim intellectus humanus cæcutiens, claudicat voluntas sequens intellectum infirmum, succedunt affectus, & passiones peiores calida febri, dum moriuntur potentiæ inferiores ex sympathia naturali, quis igitur tot, & tantis infirmitatibus mederi potest? nisi radij solis iustitiæ, qui illuminant sedentes in tenebris hæreseos, vt relictâ vanitate mendaciorum, veritatem amplectantur: nisi Doctores Sacri, qui doctrinâ, & exemplo illuminando intellectum, & dirigendo voluntatem medentur, ne sequantur mendacia, sed veritatem. Eam ob causam legitur Dominum dixisse discipulis ad prædicandum missis: *Infirmos curate, mortuos suscitate. Leo vocis rugitu suscitat catulum,* Leoninum mortuum, vel quasi mortuum: sic strenuus Doctor rugitu prædicationis & correptionis, rouocat peccatores ad vitam spiritualem linguâ, manu, calamo, prædicatione, oratione, scriptis. Longè est à Doctoribus Sacris, quod dicitur de falsis Apostolis Hæreticis, qui in Cathedra pestilentiæ sedentes interficiunt animas: *Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmenta panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.* Cæterùm Doctores Ecclesiæ sanctæ, imitando Christum Dominum, viuificant animas, & corroborant, atque efficiunt, vt ambulent gentes in lumine eorum, mortui viuant, & cæci in Deum conuertantur. Sic virtuti Diuinæ Christo assimilantur Sancti Doctores.

30. Sacri Doctores sunt medici animarum, exéplo Christi, & assimilatione ad Angelos Virtutes.

Matth 10. n 8.

Prou. 20. n. 2.

Ezec. 13. n. 19.

Assimilantur quoque Angelis, atque ita alius splendor Doctorum est, quòd 31.

Tria sunt præcipuè munia Angelorum, qui dicuntur Virtutes, viriliter suscipere illuminationes, inferiores ad superiores reducere, & dæmones comprimere. Hæc eadem sunt officia SS. Doctorum.

quòd assimilentur Virtutibus Angelorum, seu Angelis, qui dicuntur Virtutes. Hi Angeli, & fortem, ac immutabilem virilitatem gestant in suscipiendis Diuinis illuminationibus. Iidem viriliter in Dei imitationem reducunt inferioris ordinis Angelos, & tandem viriliter comprimunt Diaboli potentiam à crudelitate & violentia, ne noceant hominibus, quantum malitia eorum desiderat, ideòque vocantur Virtutes. Hæc singula figuratiuè intellecta spectant ad Doctores, & Sanctos Patres in Ecclesia Dei. Cùm enim Spiritu Sancto inspirante, locuti fuerint Sancti Dei homines, sine dubio viriliter eorum recipere necesse est illuminationes cœlestes, & inspirationes Diuinas, Deus enim est veritas, & omnis veritatis Author, ergo veritatem, quam prædicabant, & dilatabant, linguâ, manu, & calamo, è fonte Diuinæ veritatis hauriebant, ac tandem viriliter Christianos ad Dei imitationem inuitabant, excitabant ad studium bonorum operum, quibus assimilarentur Christo dicenti de

Ioan. 9. n. 4. seipso: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Veniet nox, quando nemo poterit operari.* Sic ad bona opera Christianos Doctor gentium excita-

Galat. 6. n. 10. bat, dicens: *Dum tempus est, operemur bonum, tempore enim suo metemus non deficien-*

Eccl. 12. 13. *tes*, scilicet tempore retributionis. Et ante ipsum Salomon: *Finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time, mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo*, id est, per hoc assimilatur Deo, & Christo, homo. Ecclesiasticus quoque exstimulat ad bonorum operum operationem, & obseruationem manda-

Eccle. 51. n. 38. torum, dum inquit: *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.* Vbi hæc duo, opus vestrum, & ante tempus. Multa quippe operantur homines, quæ dici non possunt opera illorum, quia non spectant ad illos, vt si Religiosus vult esse miles, aut mercator, miles vult esse œconomus, œconomus vult esse nauta, nauta vult esse agricola, &c. & similia.

Quæ verò dicit ante tempus, id variè explicant Doctores; alij enim volunt ante tempus, id est, naturæ præueniendo tempus senectutis, præue-

Psalm. 118. n. 148. niendo solem ad benedictionem, præueniendo oratione: *Præuenerunt oculi mei, &c.* Alij non esse expectandum tempus certum, sed instanter operan-

Eccl. 9. 10. dum: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare.* Alij non tardandum suadent, alij tamen volunt persuadere bonis operibus insudandum ante mortem, iudicium, & mercedem, si quidem præsens tempus est operis, futurum mercedis.

Tandem cùm dæmonis sit magna crudelitas contra homines, non vno, aut altero telo percutere nititur, sed mille artes nocendi habet, & vbi videtur prodesse, ibi vel maximè nocet. *Siliquas* (inquit S. Ephrem) *draco præbet obedientibus sibi, vitricus enim cùm sit, alienis filijs non parcit.* Doctores igitur

sacri subministrant nobis artes, conferunt vires, vt animosè (vnà cum Angelo Custode) contra illum pugnemus, nec alia arte efficaciori deuincendum suadent, quàm meditatione Passionis Christi, norunt tot animas eripi sibi, tot naufragium patientes per tabulam sanctæ Crucis saluari, & hoc illi est maius, quàm pœnæ inferni tormentum. Vbi autem maximè vires suas exeruerit, nempe in articulo mortis, ibi fortiùs resistendum monent sancti Doctores, in tollendis triumphis inimicorum, ruminando sæpiùs illud Ecclesiast. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* *Eccl. 18. n. 31.*

Tandem splendor luminarium Ecclesiæ virtuosus assimilatur Virtutibus cælestibus, quoniam sunt in Ecclesia Dei, tanquam sydera lucentia, & virtute tam occulta, quàm manifesta, influentia per auxilia & exempla, quibus ad Deum reuocentur fideles, irrigant cæli rore germina, recreant conscientias Christianorum Doctores sacri, rore suaui doctrinæ Christi eos imbuentes. *Hyades*, vt inquit D. Gregorius, *sunt Doctores sacri, & non immeritò Hyadum nomine appellantur*, quòd orti imbres ferant vniuersæ Ecclesiæ statui prædicationis munere. 32. Doctores Sacri assimilãtur virtutibus, seu influentijs cælestibus & terrestribus. *Gregorius.*

Denique splendor Doctorum sanctæ Ecclesiæ est, quòd assimilentur terrestri virtuti, vnde etiam & nomen virtutum eis deseruit, nam sicut inquit Isaias: *Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam.* Quòd iam impletum cernimus in horto Ecclesiæ sanctæ, & Regnis Christianorum, in quibus per Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ germinauit Dominus iustitiam, intelligendo nomine iustitiæ omnem virtutem, & omnes publicas, priuatasque actiones, ad quas ita se diffundit, vt nihil laudabile sine ipsa esse possit; hæc honores dignis, hæc præmia meritis, hæc coronas immortalis gloriæ largitur fortibus, hæc bella definit, hæc pacem moderatur, hæc Principem intra præscriptos regiminis cancellos, hæc subditos in officio, socios in fide continet, hæc sontes punit, innocentes absoluit, exscindit latrocinia, Regna conseruat, Christianum populum, Principes, & Reges cœlo inserit. Tale germen ad maturitatem Dominus per sanctos Patres perducit. *Isai. 61. n. 11.*

Sal quoque terræ fructus est virtute solis in terra productus, concurrente terrestri virtute, & humiditate, atque ardore solis, vnde & in resolutione eius aqua remanet, quòd si sale gramina aspergantur, exsiccantur. Sal æternitatis est symbolum, ideòque dicitur, *Pactum salis* : id est, pactum perenne. Sal à corruptione præseruat, ita quòd vnum salis granum, cibum saporet. Hoc idem sanctis Patribus, atque Ecclesiæ Doctoribus competit, qui ad æternitatem Christianos inuitant, mortem amaram sapidam efficiunt, persuadendo immortalitatem parari veræ, solidæ- 33. Doctores Sacri, sunt sal terræ.

que virtuti, æternitatem deberi animæ, cui illa tanquam suo principio affixa est, nunquam interire, à Deo, non à fortuna, heroicas virtutes, non à necessitate fati, sed à libertate Christiana dependere merita, cælo, quod immortalitatis sedes est inseri, æuo breui cursus absolutus, per duraturam perpetuò vitam, & immortalitatem propagari, vbi vitâ viuunt, vitali splendore conspicui eius, qui est candor lucis æternæ. Quòd si sancti Doctores in tantis laboribus non fructificent, putent meruisse satis, vt quidam insinuauit cum depictis coronis laureis, vnam cum stigmate tali, IPSA SIBI VIRTVS; & alteram cum tali, MERVISSE SATIS condecorauit.

CAPVT III.

Splendor Cleri & Presbyterorum Ecclesiæ, quòd assimilentur tertio Ordini Angelorum mediæ Hierarchiæ, scilicet Potestatibus.

Qu. Rom.

IN magno semper honore fuerunt Sacerdotes, etiam apud Gentiles; apud Græcos eodem honore venerabantur Sacerdotes, sicut & Reges, vt habet Plutarchus. Apud Ægyptios Sacerdotes erant Iudices, vt dicit Æmilianus. Apud Gallos summa authoritas erat Diuinorum, id est, Sacerdotum, vt scribit Iulius Cæsar. Apud Romanos erant Iudices causarum & controuersiarum, tam inter priuatos, quàm inter Magistratus. In Cappadocia Sacerdos erat secunda persona post Regem. Inter Æthiopes Sacerdos imperabat Regi, quem deponebat, creabat, quando ei placuit. Soldanus Ægyptijs non imperabat, nisi confirmatus à Caipha. Si igitur inter nationes barbaras, sola ratione naturali illuminatas, in tanta veneratione fuit Sacerdotium, quid dicemus de illa religione, vbi Sacerdotes à sacra Scriptura vocantur Dij, Angeli Domini, Iudices, Pastores, Murus, Columnæ, oculi Ecclesiæ, sal terræ, lux mundi, vbi data est illis potestas liberandi à peccatis, aperiendi ianuam cæli, claudendi portas inferni, viuificare spiritualiter mortuos, soluere ligatos, illuminare cæcos, destruere tyrannidem? ideò & sanctus Franciscus dicere solebat: Si viderem de cælo descendisse duos viros, & vnus ex eis esset Sanctus, & alter Sacerdos, priùs exhiberem reuerentiam Sacerdoti, quàm Sancto. Mirabile est, quantum venerabatur Imperator Constantinus Sacerdotes, qui nec iudicare, nec memoralia contra ipsos legere, nec loco eos præcedere volebat, sicut in Concilio Nicæno fecerat, vbi post omnes Episcopos, & cum

Æmilianus lib. 14. c. 34.

Iul. Cæsar lib. 6. de bello Gallico.

34. In quanta veneratione apud nationes diuersas fuerunt Sacerdotes, & apud Christianos, præcipuè Boleslai Regis Poloniæ imitantis pios Imperatores.

cum licentia eorum, inferiorem acceptauit sessionis locum. Idem & Theodosius, & alij multi Imperatores, & Reges etiam Poloni fecêre, vt refert Cromerus de Boleslao Rege, qui nihil seueriùs puniebat, quàm Sacerdotum & Religionis contemptum, nec vnquam sedere voluit stante Episcopo, imitando in hoc Alexandrum Magnum, qui genuflexus adorauit Summum Sacerdotem. Hic nulli secundus dignitate, omnium primus rerum gestarum gloriâ, quare optimè sanctus Ignatius ait, quòd omnium, quæ in mundo sunt, apex honorum est honor Sacerdotij, quod toti Ecclesiæ prodest, vt D. Chrysostomus ait: *Si Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia florebit, si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est.* *Cromerus.* *D. Chrysost.*

35. Prouenit autem hæc dignitas ex vocatione, vnctione, & potestate. Ex vocatione quidem, quòd in sortem Domini vocati sint, ideò appellantur Clerus, quod interpretatur, in sortem Domini vocatus, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Cleri est, vel quia ipsi sunt pars Domini, vel Dominorum partem habent, ita vt ipsi possideant Dominum, & possideantur à Domino in hac, & in futura vita, in quo Sacerdotes legis antiquæ fuerunt typus Sacerdotum nouæ legis, quia portio eorum hæreditaria erat Dominus, sustentabantur enim non proprijs prædijs, sed ijs, quæ Domino offerebantur. Vnctio verò illorum est persimilis vnctioni Regum, quemadmodum de Dauid dixit Dominus: *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto vnxi eum*, ita & Sacerdotes oleo consecrato vnguntur. *Cæteri Christiani etiam sunt vncti, vnctione communi, sanguine Christi sanctificati, sed ista vnctio est spiritualis. Regum autem & Sacerdotum vnctio est illis solis propria, illa spiritualis omnibus impertitur, hæc omnibus generatim interdicitur, & authoritatem, ac dignitatem designat Sacerdotum, quos ideò vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit*, inquit Diuus Augustinus.

Dignitas sacerdotis prouenit ex tribus, ex vocatione, vnctione, & potestate.

D. Augustinus in tract. 33. in Ioan.

36. Tandem ob immensam potestatem, quâ Deus & Saluator mundi condecorauit Sacerdotes, receperunt quippe à Dominatore vniuersæ terræ potestatem à diebus sæculi, non solùm hominibus, sed & Angelicis spiritibus penitus inauditam, quia vt dicit D. Bernardus: *Nec Regibus, nec sæculi huius potestatibus legitur attributum, vt illud conficiat consecratus in Sacerdotem in altari, quod Dei Filius Diuinitatis virtute perfecit in Cœna Paschali, vbi fuit remunerans & munus, cibans & cibus, conuiua & conuiuium, offerens & oblatum*, inquit Doctor Seraphicus. Hinc odium & crudelitas penè diabolica dissidentium, ac Schismaticorum contra Clerum, quam etiam orbi innotescere voluit Alberstadiensis, vt refert Piasecius: nam postquam templum Hateburgense expoliauerat, auferendo ex illo imaginem ex auro fusam Sancti Liberij illius Ecclesiæ Patroni, pondo auri 80. & ex illo monetam excudere præcepit, atque signari ab vna parte, manu ex nube protensâ gladio armata,

Potestas Sacerdotalis nouæ legis admirabilis, ob quam odio eam prosequuntur dissidentes.

S. Bonau. Eccl. Hierar. p. 2. *Piasecius in Chron. super Annum 1629.*

ab altera inscriptiones, AMICVS DEI, INIMICVS CLERI. Ideòque cælesti vrgente iudicio, iaculo bombardæ in manu sinistra percussus, vulnere ex labore pugnæ inflammato, eam iteratâ sectione rescissam amisit, manifestèq; pœnam tantæ inuidiæ & malitiæ tulit.

At verò, non obstante maleuolentiâ diffidentium, splendor potestatis Cleri tantus est, vt rectè assimilari possit tertio ordini Angelorum mediæ Hierarchiæ (& hic est splendor præcipuus Status Cleri paulò fusiùs illustrandus) scilicet Potestatibus. Nam Potestates dicuntur Angeli, quorum potentiâ speciali aduersæ potestates coërcentur, ne tantum noceant, quantum volunt, & terrena ad cælestia reducuntur.

37. Et licet sæcularis etiam status Potestatibus Angelis comparetur à Doctore Seraphico, vt sicut illa potestas Angelica longè est à tyrannica, ita & sæcularis potestas, de hac potestate etiam Angelica dicit D. Dionysius: *Sanctarum Potestatum cognominatio docet potentem & benè ornatam & inconfusam circa Diuinas susceptiones ordinationem, non tyrannicè inferiora virtute potestatiua præcipitantem, sed potenter in Diuina reducentem, & ad potentificam causalem potentiam* (quantum fas est) *assimilantem*, & ad Deum, qui Princeps est omnis potestatis, secundùm Hierarchicam dispositionem inferiora conuertentem, Diuinam lucentem potentiam in inferioribus resplendere facientem, &c. Vnde Angeli illius Ordinis refrænant, & coërcent omnem Hierarchicam prælationis, & subiectionis ordinationem impedientes.

D. Dionysius. Potestas sæcularis assimilatur Angelis, qui dicuntur potestates, sed multò magis potestas spiritualis.

Cæterùm cùm præter iurisdictionem, & potestatem temporalem, adsit etiam potestas spiritualis, non soli Principes sæculares Potestatibus cælestibus comparantur, sed etiam illi, qui potestate Ecclesiæ & Sacerdotali præditi sunt, quin potiùs cùm potestas Ecclesiasticorum se extendat non solùm ad spiritualia, sed etiam ad ciuilia, in ordine ad spiritualia, potior videtur potestas Ecclesiasticorum, quàm Imperatorum, cæterorumq; Principum sæcularium, maximè quia sæcularibus Principibus vetitum est, ne munijs Sacerdotis se intromittant, & ideò, qui ab eo abstinere noluerunt, vehementer puniti sunt. Saul hanc ob causam ad Regnum vix euectus, à Regno est depositus, quia ausus est altare erigere, & sacrificare, quod munus Sacerdotis erat; Osias Rex, etsi paulò leuius castigatus abierit, satis tamen durè correctus, quòd ingressus templum adolere voluerit incensum super Altare Thymiamatis, ab Azaria scilicet Pontifice è templo eiectus, à Deo statim leprâ correptus, adeò vt ne Regni quidem ministrandi deinceps capax fuerit, ab hominũ enim consortio segregatus esse debuit, quod maximè illum afflixit, & confudit.

Cùm igitur potestas temporalis non se extendat ad spiritualem, è contra verò Ecclesiasticis licitum sit vti potestate illis traditâ in negotijs

sæcularibus, vtique sicut potestas sæcularis potest comparari cælestibus Potestatibus, ita & Ecclesiastica.

Iam verò cùm diuersi sint status & conditiones Sacerdotum in Ecclesiastica Hierarchia, diuersæ sunt etiam potestates, quarum ratione assimilantur potestatibus Angelorum. Et vt ab imis ad summa ascendamus, reperiuntur simplices Sacerdotes, deinde Confessores, qui ex concessione, & permissione Prælatorum excipiunt confessiones, & à peccatis absoluunt. Postmodùm curati, siue presbyteri Parochiales, qui suorum Parochianorum curam gerunt, eorumque instructioni, & prædicationi incumbunt. His quodam modo sunt superiores Archidiaconi, deinde Episcopi, Patriarchæ, & Primates, qui omnes in vniuersum summo consensu Romano obediunt Pontifici, eidemque in omnibus subduntur. Et quidem Episcopos, aliosque excellentes Prælatos iam in superioribus assimilandos Angelicis Hierarchijs, & ordinibus diximus. Simplicium enim Sacerdotum potestatem in conficiendo Sacramento nunc annotauimus, restat vt de potestate Confessorum presbyterorum Parochialium, & Archipresbyterorum agamus, eosque potestati prædictorum Angelorum accommodemus, & inprimis, quæ communia sunt omnibus Sacerdotibus præmittamus. Potestas benedicendi, conficiendi Sacramentum Eucharistiæ omnibus communicata est ritè ordinatis, distributio item huius Panis cœlestis super omnia dulcissimi, de quo dicitur: *Panem Angelorum manducauit homo*, qui vt ad manducandum esset commodus, necesse fuit panem cœlestium spirituum lactescere per species dulces, & candidas. 38.

Pro diuersitate conditionis Sacerdotum, diuersæ sunt potestates illorum.

Neque verò etiam benedictio sacerdotalis floccipendenda est, quæ præter alias orationes D. Stanislai, pro Boleslao audace multùm profuit, adeò vt prædictus Rex Poloniæ sancticida, vt plures æstimant, feliciter è vita decederet, & quieto fine in pœnitentia moreretur, vt refert Lubienscius, nam sacris operam dantem D. Stanislaum in sacello Sancti Michaëlis Archangeli in rupe, cùm interficere vellet, non nisi eundem Sanctum Stanislaum post sacram benedictionem, non ad necem, sed ad pœnitentiam etiam hosti suo impertientem, ferinâ actus rabie obtruncare potuit, propter quod scelus Rex Boleslaus, & eius successores iure corona priuati fuêre, & ipse regno excidit. Sed beneficio Dei, & Martyris, vt credibile est, non vltionem, sed misericordiam exposcentis, intercessione, & benedictione ad se reuersus, depositis Regalibus insignijs, ignotus, ignoratusque cunctis, æterno monasterij arctioris obseruantiæ carcere se clausit, & vilibus ministerijs coquinæ Monachorum instruendæ addixit, in monasterio dicto Osijach, quod in Caryuthia situm est, ibique morte extin- 39.

Lubienscius in Vita Marci Episcopi Plocensis.

Boleslaus iure coronæ ob sancticidium priuatus, beneficio tamen martyris piè credendum, quòd in pœnitentia decesserit.

extinctus est, & à Monachis tumulo, cum illo titulo illatus: HIC IACET REX BOLESLAVS POLONIÆ, OCCISOR SANCTI STANISLAI EPISCOPI CRACOVIENSIS. Hanc etiam scilicet benedictionem non contemnendam in Propheta gentilium Balàám instruimur, cuius maledictionem voluit Deus conuertere in benedictionem miraculosè. Potestas etiam conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, quæ item communis omnium est sacerdotum, altiori consideratione ruminanda est, oblatio siquidem eius non solùm est Sacramentum, sed & sacrificium, quod sacerdos offert & pro seipso, & pro populo. *Habemus enim Pontificem, qui scit compati infirmitatibus nostris, quoniam & ipse circumdatus est infirmitatibus, ideò quemadmodùm pro populo, ita & pro seipso debet offerre pro peccatis, pro Ecclesia, pro Regibus, & Republica.* Hæ, & his similes potestates sunt communes Sacerdotibus, specialis tamen potestas est Presbyterorum Confessorum, & Presbyterorum Curatorum, &c. quòd manifestandum est fusiùs, splendores potestatis illorum illustrando.

40. Et Confessoribus quidem traditæ sunt claues potestatis ad absoluendum à peccatis, & tollendum iugum peccatorum à conscientijs, de quo Ecclesiasticus: *Graue super filios Adam iugum, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium*; graue est nimis iugum filiorum Adam, &c. Iugum infirmitatum, tribulationum, mortis, sed maximum iugum peccati, quod alleuiare spectat ad Confessores, & conscientiarum directores. Infirmitas corporalis est iugum graue, non est tamen adeò graue, quod aliqualiter alleuiari non possit. *Magnos cruciatus*, (inquit Seneca) *habet morbus, quia distrahit subiectum, in quo est*, (teste Philosopho) Sed hos tolerabiles interualla faciunt. Summi doloris intensio citò inuenit finem, nec potest valde dolere & diu, sic enim nos amantissima nostri natura disposuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret. *Hoc itaque solatium vasti doloris est*, inquit Aristoteles. Et Christiani ex Sacra Scriptura plura possunt haurire solatia in intensa infirmitate, exemplo Christi in cruce intensos dolores supportantis, & ad patientiam exhortantis; sic refertur de quadam Principissa, quòd cùm maximâ infirmitate laboraret, exhortantibus pedisequis, vt à crucifixo, quem ante oculos habebat, lenitatem aliquam doloris postularet, respondit, *& quomodo id à Christo meo postulabo, qui me potiùs exemplo suo exhortatur ad patientiam, & infirmitatis tolerantiam?* memoria etiam æternæ retributionis solatur, vbi ampliùs nullus dolor, promittente Christo. *Et non erit ampliùs neque luctus, neque dolor, &c.* vbi *Deus absterget lachrymas ab oculis miserorum.*

Eccl. 40. n. 1. Splendor potestatis Confessorum Sacerdotum.

Seneca Epist. 63.

Tertio Ethic.

Arist. 3. Eth. 6.

Apoc. 21.

41. Quòd si infirmitas est graue iugum, (nec minus tribulationes, atque persecutiones, quæ etiam meritò non carent, si patienter tolerantur, quæ tamen

Graue iugum

tamen, quia Deus permisit, dignum vt acceptentur) sed grauius iugum est mors, si enim infirmitas est dolorosa & molesta, quia distrahit subiectum, in quo est, *dolor enim est solutio continui, vt colligitur ex Arist. quantò magis mors, quæ est recessus animæ à corpore?* Vnde Philosophus: *Mors in malum est. Dij namque, nisi sic iudicâssent, morerentur;* Unde & subdit: *Mortuis non irascimur quasi iam extrema passi, nec dolituri, nec cognituri sint, quòd irati cupiunt. Quid enim aliud sunt mortui,* dicit idem, *nisi terra surda? Mortuum,* (inquit) *surdam terram esse, est terra contemptibilior eâ, quam calcamus pedibus, quia huic quandoque auditus conceditur,* vt Propheta protestatur contra reos, & ingratos, inuocat illam tanquam testem: *Audiat terra verba oris mei.*

infirmitatum & tribulationum, qualiter alleuiandum, & infirmos solandum, & maximè iugum mortis.

Arist. 2. Reth. cap. 23. ante medium.

Arist. 2. Reth. cap. 13. circa finem.

Nihilominùs tamen plura sunt, quæ alleuiant dolorem mortis, quia mors est iugum propter peccatum Adæ, naturæ humanæ impositum, si enim non esset peccatum, non morerentur homines, quia vt docet Doctor Subtilis, debilitato calore naturali translatus fuisset in cælum, & poterat non mori homo; nunc verò mors est communis omnibus, moriuntur Reges, Principes, simplices & sapientes, & Christus, atque Beatissima Virgo mortui sunt, &c. Est enim via vniuersæ carnis, quia nulla spes est viuendi in hoc mundo in perpetuum, etiamsi quis sit iustissimus: deinde vita præsens est occasio offendendi Deum, & periculosæ salutis, propter quam causam Petrouinus triennis cùm esset in sepulchro, à Sancto Stanislao Episcopo Cracouiensi resuscitatus, & interrogatus, num vellet in hoc mundo remanere? respondit, se potiùs velle ire in purgatorium, ob pericula offendendi Deum, & pericula salutis, maximè in articulo mortis, propter quod & Christus orans in horto, dum fuit in agonia orabat pro nobis, ne succumberemus in articulo mortis, hinc auxilia Diuina morientibus.

Deinde, estò quòd qui moriuntur in peccatis, non habeant hanc consolationem Diuini auxilij, quia mors illis est in perditionem animæ, & corporis, mors illis violenta, mors infelicissima, qui enim malè viuit, peiùs moritur; nihilominùs tamen homines iusti non sentiunt tormenta mortis, quia mors illis est somnus, qui iubente Deo moriuntur, vt Moyses: *Iubente* (inquit Sacra Scriptura) *Deo, in complexu, & osculis Dei mortuus est.* Propterea in morte iustorum, qui sanctè vixerunt, demonstratur, & affertur lucrum sanctæ vitæ illorum, maximè verò, quòd voluntariè ex sola obedientia Deo debita decedant. Nec verò soli ad iudicium pertranseunt, sequuntur enim eos bona opera, quæ in testamento legârunt pauperibus, in honorem Dei, &c. Hæc antecedent eos tanquam aulici, ducentes animas illorum in palatium æternitatis, bona opera scilicet, quæ in vita operati sunt, relinquunt quidem omnia, quæ in mundo detinebant, sed ditantur cœlestibus diuitijs, & gaudijs æternis. Quare esto

42.

Alij moriuntur ex obedientia Deo, alij violenter.

mors sit iugum graue, leuius tamen fit ex prædictis causis.

Cæterùm peccatorum iugum superat prædicta omnia, est tam graue, vt nullâ ratione alleuiari possit, & iugum quidem mortis, vt dictum est, acceptauit Christus, & Beatissima Virgo, peccatum autem nullo modo etiam originale & veniale, quia Deus nihil abominatur in hoc mundo, nisi peccatum, nihil magis horret etiam in amicis suis intimis, & viris sanctis, sicut peccatum, nihil Deum rebellione irritat, nisi peccatum, nihil eidem bellum infert, & bellum iniustum contra Creatorem cæli & terræ, nisi peccatum, nihil, quantum est ex parte sua, turbat, & si possibile esset lachrymas ex oculis Dei exprimeret, atque contristaret, quàm peccatum. Et iure merito, quia nihil abominabilius peccato, nil turpius, nil malignius, & à Deo grauissimè castigatur, nulli magis irascitur, nullum magis terret pœnis in præsenti & in futura vita, & quod peius est, vnum peccatum castigat permissione alterius peccati, maximè peccata & offensas ex malitia, peccata consuetudinaria, quamuis & peccata oris, & operis, atque cogitationis, non sint absque grauissima pœna, nec vllum solatium ex peccato habet miser homo, nisi vanum, transitorium, diabolicum, quod superat remorsus conscientiæ, gemitus animæ, &c.

43. Nullum igitur iugum filiorum Adam grauius peccato, de quo Sanctus Augustinus: *Quod est* (ait) *hoc graue iugum, nisi peccatum? & quare dictum est iugum? nisi quia duorum Adam & Euæ premit colla, & consequenter premit, & conterit colla duorum masculi & fæminæ, maiorum videlicet & inferiorum, quia vterque sexus sentit hoc iugum.* Et paulò post. *Hoc iugo, id est originali peccato, deuincti maiores, atque inferiores, vitium ex ipso ortu tanquam aratrum trahimus, quàm diu sumus in mortis corpore, cuius cupiditatibus vt vomere proscinditur, id est, corrumpitur terra nostra.* At verò Sanctus Paulus hoc iugum vocat pondus. *Deponentes omne pondus, & circumstans peccatum.* Non absque speciali mysterio dicit *omne pondus*, cùm peccatum non solùm est pondus corporis, sed & animæ, & quia pondus peccati est grauius omni pondere materiali, & tandem quia quodlibet peccatum in particulari, est speciale pondus. Carnis concupiscentiæ pondus est amissio, & perditio honoris, diuitiarum & salutis, appetitus vindictæ est pondus cordis inquieti de nocte, & die vltionem desiderantis. Ambitionis pondus est supportare iniurias, atque incommoditates innumerabiles, vt inquit D. Bernardus: *O ambitio omnes crucias, & omnibus places; ambitiosus omnia suffert, omnia sperat. Auaritiæ pondus est nimia solicitudo, periculorum contemptus, defectus quietis, parcitas cibi & potus, & similiter aliorum vitiorum onera grauissima sunt; illud verò vel maximè graue est, quòd in prædicto pondere alleuiatio sit difficilis, & per hoc videtur differre pondus à iugo, per hoc quoque quòd omne pondus sit graue, sed non omne iugum, quia Christi iugum leue est; deinde quia iugum Christi imponitur à Christo, at pondus*

S. August. Hypognosticon Author operum S. Aug. Tom. 7. lib. 4. cap. 3.

Nullum iugū grauius & magis abominabile Deo, sicut peccatum.

Ad Hebr. 12. n. 1.

peccati à diabolo imponitur animabus fidelium. Dauid Propheta prædictum pondus nuncupat onus: *Iniquitates* (inquit) *meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Satis grauia sunt ex se peccata, quòd si super capita imponantur, hoc nihil est grauius. In nonnullis Regnis, & Prouincijs mos est onera aquarum super capita deferre, vbi deferens nec caput eleuare, nec oculis cælum aspicere permittitur grauitate oneris, manibus etiam, ne ex capite decidat, illud vas aquæ detinere opus est, vt fieri solet, præter aliquos industrios, qui cautè absque manuum auxilio illud onus deferunt. Et quod onus, quæso, grauius esse potest eo, quod nec caput ad Deum erigere, nec oculis cælum aspicere, nec ad bona opera manus leuare permittit, sed omnibus penè sensibus hominem priuat? Talia onera sunt peccata, per quæ dæmon hominem priuat sensibus, & eum tanquam iumentum inanimatum relinquit, vt nihil sit, quod illi subsidium ferre possit, præter misericordiam Dei. *Psal. 31. n. 5.*

Hic est Confessorum splendor, quòd tollant prædicta onera, pondera, & iuga filiorum Adam per absolutionem, ex quo colligitur, & intelligitur, quantâ potestate opus est ad tollenda prædicta iuga, pondera, & onera, solius Christi Domini potestas, & Presbyterorum ac Confessorum tollere ea valet per potestatem clauium, à Christo, & superioribus sibi commissarum, & hoc cum magna dexteritate & scientia, ne fortè imperitia & ignorantia magis aggrauet & implicet, ideò & claues scientiæ habere debent Confessores, ne omnes passim absoluant à quibuscunque indifferenter peccatis reseruatis, & non reseruatis, atque ita pœnitentiam maioribus oneribus aggrauent, & potius in infernum, quàm in cælum ducant.

44. Iam verò Presbyterorum curatorum maior est potestas, quàm Confessorum, & ad plura extenditur, quod item illustrare promisimus. Horum itaque officium & splendor est, influere septiformi influxu in animas sibi subiectas, nimirum eruditione credibilium, per instaurationem virtutum, per exhibitionem exemplorum, per interuentionem precum, per curationem plagarum hostilium, item prænuntiationem insidiarum, & repulsionem hostium, vt docet S. Bonauentura, qui etiam eos insinuat per similitudines, *dum septiformi influxui septem nomina metaphorica competere Sacerdotibus docet, nempe Architecti, Agricolæ, Pastoris, Fidei iussoris, Medici, Speculatoris, & Ducis:* sub metaphora Architecti, Sacerdotis insinuatur eruditio credibilium, secundùm illud ad Corinth. *Vt sapiens Architectus fundamentum posuit, quòd enim sunt lapides in ædificio hoc, sunt Articuli fidei in animo, in quo habitat Christus tanquam in templo suo*, secundum illud Apostoli ad Ephesios: *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu,* in

Septiformi influentia Parochi influere debent in animas sibi commissas.

S. Bonau. Tom. 4. Art. 1. in 4. responsione ad ad Versutias aduersariorum in appologia pauperum.

Septem sacerdotis nomina, quibus eius

officia expli- cantur. *in quo omnis ædificatio constructa creſcit in templum ſanctum in Domino.* Et paulò poſt, *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Ac per hoc, ſicut ſe habet ædificator ad ædificium, ſic & Sacerdos ad populum, in fidei veritate fundandum, & promouendum per virtutes.

Eph. 2. *n.* 20.
Ibid. 3. 17.

Imperitus architectus æternitatis beatæ fuit Adam, qui in paradiſo voluit eſſe vt Deus, imperfecti architecti fuerunt Babilonij imitatores Adam, quia ſicut ille voluit eſſe Deus, ita illi ædificabant ciuitatem & turrim, vt ſe defenderent à Deo caſtigante peccata. Perſimiles ſunt architecti peccatores, qui ædificant ciuitatem diaboli ex amore ſui, ideò opus eſt, vt curam animarum habentes, ſint architecturæ præfecti, perſimiles illi, qui ſtetit ſupra murum habens in manu ſua trullam cæmentarij, ad coæquandos lateres muro. Hoc idem facere tenentur Presbyteri Curati, corrigant peccatores, vt ædificent ciuitatem Dei, per amorem illius, & non deficiant poſtquam inceperint, ne audiant *Hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare.* Non perfunctoriè, ſed perfectè, & magna cum diligentia hæc fabrica amoris Dei promouenda eſt.

45. Sicut enim nihil iuuat profunda ædificij iacere fundamenta, niſi poſtea reliquam tum parietum, tum tecti ſtructuram perfeceris, ita planè nec quicquam proderit incipere ſeruire Deo, vel amoris Diuini exercitium aggredi, niſi incepto opere, ad finem vſque perſeueraueris, ſiquidem finis coronat opus. Vnde S. Iob dicebat: *Donec deficiam, nunquam recedam ab innocentia mea, & iuſtificationem meam, quam cæpi, tenere non deſeram.* Et Eccl. *Homo ſanctus in ſapientia manet vt ſol, nam ſtultus ſicut luna mutatur.*

Non ſatis eſt erigere fundamentum, ſed & parietes, columnas, tectũ exſtruere opus eſt. Itaq; non ſufficit ad ſalutem credentium credere, ſed opus eſt rectè agere

Iob 27. 5.
Eccl. 27. *n.* 12.

Sub methaphora item Agriculturæ, officium Presbyterorum Curatorum inſinuatur, quod eſt inſtauratio virtutum, quas irrigare debent per documenta & conſolationem ſcripturarum, ſecundùm illud Apoſtoli ad Corinth. *Ego plantaui, Apollo rigauit.* Si enim Eccleſiaſticus populus hortus eſt, & Paradiſus plantatus, & virens multiformitate virtutum, rectus informator plebis in doctrina morum, dicitur agricultor, deſignatus per primum hominem, quem poſuit Deus in paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret illum: deſignatus item per Noë, de quo dictum eſt à Patre ipſius: *Iſte conſolabitur nos in operibus manuum noſtrarum in terra, quam maledixit Dominus*, quia fuit inuentor agriculturæ. Debent ergo prædicti curam animarum habentes, etiam quò ad hoc aſpicere ad authorem fidei Ieſum, de quo meliùs dici poteſt, quàm de Noë: *Iſte conſolabitur nos in omnibus tribulationibus, & anxietatibus cordis.* Quærunt homines conſolari in anguſtijs, quare ſi amittit quis poſſeſſiones & diuitias, dicit cum Iob: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt.* Si mulier amittit maritum, triſtatur, & conſolatur ſe ipſam, dicendo: *A Domino ipſum habui, Dominus, quod eius erat, accepit.* Sic dum triſta-

1. *Corin.* 3. *n.* 6.
Gen. 5. 29.
Iob. 1. *n.* 21.

tristabatur Dauid de infante infirmo illegitimo, dicit sacra Scriptura: *Quòd totus tristis & melancholicus separatus ab hominibus orabat, ieiunabat, conuersationem cum hominibus fugiebat, audientias denegabat: sed postquam est mortuus, dixit: Numquid reuocare eum potero ampliùs?* Mortuus Iacob: *Ioseph determinauit transferre* 2. Reg. 12.23. *corpus eius in terram Chanáán, & ita factum est cum magna solemnitate: iuerunt cum eo* Gen. 50. 9. *omnes senes domus Pharàónis, cunctiq; maiores natu de terra Ægypti, habuitq; in comitatu currus, & equites, & facta est turba non modica.* Ad quid tam solemnis, & sumptuosa processio pro consolatione Ioseph? solus Iacob noluit consolationem accipere à filijs, & ait: *Descendam lugens ad Filium meum in infernum.* Gen. 37. 35. Cæteri quoque solatia cordis in tristitia quærebant, ex solatijs mundanis. Cæterùm optimus consolator est Christus Dominus. Magna tristitia est, dum conscientia repletur vrticibus, & spinis vitiorum. Magnus mæror, dum anima moritur sub peccatorum sarcina, opus habet consolatore, & nullus eam consolari potest præter Christum, cui quadrant illa verba, *Iste nos consolabitur.* Quod licet de Noë dictum sit, tamen sicut multa dicta sunt de Salomone, quæ minus illi competunt, sed soli Christo Domino, sicut illud: *Dominabitur à mari vsq; ad mare,* ideòque completa non fuerunt in Salomone, sed in Christo; ita & ista de Christo verificantur, *Ipse consolabitur nos.* Psalm. 71. 8. Tum per Spiritum Sanctum missum in die Pentecostes Paraclitum, id est Consolatorem, tum per seipsum, quia & ipse Consolator est, dixit enim: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum, &c.* Si alium Paraclitum, & ipse Paraclitus est, atque consolator in agricultura spirituali, sic qui curam animarum habent, debent per documenta, & consolationes spirituales consolari afflictos. Ioan. 14. 16.

Tertiò sub metaphora Pastoris, propter exhibitionem exemplorum, secundùm illud Domini in Ioan. *Qui intrat per ostium, pastor est ouium, & cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit.* Quod quidem facit, cùm eas per sanctitatis exemplum præcedit. Ideò Petrus, cui dixit Christus, *Pasce oues meas,* hortatur seniores siue Presbyteros, vt populos sibi commissos pascant, *tanquam facti forma gregis ex animo.* Hæc autem est forma secundùm documenta sanctorum, vt quantum Pastor præcellit dignitate gregem, tantùm vita sacerdotalis sit sanctior, & sublimior vitâ plebis. 46.

Ioan. 10. n. 2. & 21. n. 17.

Quantum vita sacerdotis debeat esse sanctior vitâ plebium?

1. Petr. 5. 3.

In pastorum hospitio Christus natus est, quod magnæ dilectionis signum fuit, voluit tamen Christus suam Natiuitatem primùm pastoribus denunciari, *ne quasi incauti stabulum intrarent,* inquit Euchorius. Videant ergo Presbyteri Curati, ne pascant aures tantùm, sed mentem, sicut faciunt illi, qui ex curiositate tantùm scripturam legunt, & populo proponunt, cùm interim nihil pietatis habeant in mente. Imitentur Christum Dominum, qui vnâ voce turbam odio ferocem, armisq; terribilem, ipse sine

vllo telo percussit, repulit, strauit dicendo: *Ego sum. Ignitum debet esse eloquium illorum vehementer*, non curiosum, nisi velint imitari Herodem, & Herodianos dici, qui solâ curiositate ductus, lætatus est de persona Christi, sperans se posse aliquid accipere mirum, & insolitum ab eo.

Quartò exprimitur officium Parochi sub methaphora *Fidei iussoris*, propter precum interuentionem ad Deum, secundum illud Apostoli:

Hebr. 5. n. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Agit igitur Pontifex & Presbyter curatus, causas hominum apud Deum, agere etiam debet causam Dei apud hominem suæ curæ commissum, secundum illud: *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Propter quod Sapiens in Prouerbiis ait: *Fili, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam.* Noster Fidei iussor fuit Christus Dominus, ideò dicitur: *Gratiam fidei iussoris tui non obliuiscaris, posuit enim pro te animam suam,* ideòque *aspicientes in Auctorem fidei nostræ Iesum* non recusent, maximè qui ex obligatione tenentur, vt sunt Presbyteri Curati, esse Fidei iussores pro ouibus sibi commissis.

3. Reg. cap. 20.

Prou. 6. n. 1.

47. Quintò sub methaphora *Medici*, propter curationem plagarum ab hoste inflictarum, secundùm illud, quod insinuauit S. Lucas in parabola illius, *qui incidit in latrones, quòd Samaritanus alligauerit vulnera eius, infundens oleum & vinum*, designans per Samaritanum ipsum medicum Christum, & eos, qui tenent locum eius in expurgatione vitiorum. Propter quod & Iacobus dicit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo sancto, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Luc. 10. n. 30.

Hebr. 12. 2.

Sacerdotes Parochi, debent esse medici, debent curare infirmos medicinâ curatiua, & præseruatiua, ideoq; vocantur curati.

Medentur autem vulneribus animæ multipliciter confessione, non solùm enim confessione maculæ animæ delentur, peccata expiantur, sed etiam vulnera animæ curantur; ideò Parochi hoc est officium excipere confessionem. Deinde medico puluere vulnera aspergere. Nam & viperarum puluis contra morsum earumdem medicina est. Theriaca ex venenatis conficitur. Puluis etiam est medicina curatiua & præseruatiua. Puluere aureo, ex vitulo aureo contrito Moyses Idolatras Iudæos curauit, dum vitulum aureum in puluerem contriuit, vt manifestè intelligerent, quòd vitulus Deus esse non potuerit, qui in puluerem redigi valuit. Plura Idola videre licet in mundo, quæ volunt adorari vt idola, *cùm habentes oculos non videant, habentes aures non audiant*, homines potentes, horum præsumptio optimè curatur, dum illis inculcatur illud: *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Est etiam medicina præseruatiua, puluis terreus, ideò ille cælestis Medicus, ne superbiret Adam, & vellet adorari vt idolum, eò quòd dominus omniũ creaturarum fuerit à Deo constitutus, vt præesset piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs terræ, ipsum præmonuit dicens, *Puluis es, &c.*

sed

sed quare etiã non Iobũ? quia vallatus fuit diuitijs, & decorat⁹ à Deo, tamẽ dominium illius limitatum erat; nam ait Scriptura: *Habuit tria millia camelorum, septem millia ouium*; Adam autẽ totius mundi Dominus fuit, ideò opus habebat medicinâ præseruatiuâ, & sic vix fuit cõstitutus Dominus omnium, statim illi dictum est, *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris*; non sic autem Iob.

Sextò sub methaphora *Speculatoris*, officium Parochi insinuatur, propter prænuntiationem imminentium periculorũ, secundùm illud Ezech. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël*, de quo consequenter adiungit. Quòd si gladium superuenientem, hoc est, imminentia discrimina tentationum suæ curæ commissis nunciare neglexerit, *sanguis illarum animarum de manibus eius requiretur.* Felices præliorum exitus communiter sunt ex prænotione insidiarum, vt ergo prælijs secundis animæ iustorum potiantur, & præliari possint feliciter, speculatores prænuntient de aduentu, de valore, de insidijs inimicorum: idonei speculatores ex locis sublimibus speculantur inimicos, speculantur & amicos, & de omnibus debent præmonere; de inimicis quidem, *quòd tanquam leones rugiant præ desiderio deuorandi* animas, dicentes, *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, & id postulant à Deo dicente Christo: *Ecce sathanas expetiuit vos, &c.* Amicos verò, vt dicit D. Petrus in monte Thabor: *Speculatores facti illius magnitudinis*, scilicet gloriæ & societatis Sanctorũ. Expandũt inimici retia in aëre, in terra, in aqua, vbiq; insidiæ, vbiq; dolus, omnia speculari, & præmonere de omnibus necesse est.

48. *Ezech. 3. n. 17.* Præliorũ victoria præcipuè prouenit ex speculatoris diligenti præmonitione, & exploratoris industria.

Gen. 14. 21. *Luc. 22. 33.* *2. Petr. 1. 16.*

Denique sub methaphora *Piscatoris*, vbi monentur Prælati Ecclesiæ sanctæ, & animarum Curati, vt quemadmodum in antiqua Ecclesia laxabant retia Prælati Ecclesiæ, non ad capturam auri, aut argenti, sed animarum; ita & nunc, quoniam solus Dominus eorum possessio est. Nec exigua gloria, & animi virtus est contemnere aurum, nam qui floccipendent aurum, mirabilia faciunt in vita sua, nimirum quòd videntes non videant, vident totum mundum post aurum abire, tamen ipsi sic se habent, acsi non videant, dum contemnunt, nec illud aspicere volunt.

Possunt etiam officia illorum exprimi sub methaphora *Vexilliferi.* Vexilliferum expertissimum esse oportet, nam ex motu vexilli militum omnium motus pendet, adeò, vt si lentiùs aut acriùs debito se gerat, cum turbatione non modica, aut certam aliquando victoriam parat, aut in discrimen adducit. Debet ergo nosse, quando intensiùs vel remissiùs vexillum mouere debeat, pro temporis opportunitate & necessitate. Quare Q. Seruilius Priscus Dictator signiferum inter dimicandum occidisse scribitur, quòd in ipso dimicandi ardore lentiùs procederet, vbi vehementiùs procedendum erat. Sic Parochi qui lentiùs procedunt cum vexillo Crucis, dum hostes eius fortiùs agunt, magnâ pœnâ digni sunt. *Liuius lib. 4.*

TRACTATVS TERTIVS, DE SPLENDORIBVS TERTIÆ HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ.

CAPVT PRIMVM.

Splendor institutorum Regularium ab Ecclesia Dei approbatorum, quòd assimilentur primo Ordini tertiæ Hierarchiæ, scilicet Principatibus.

Arist. 10. Eth. cap. 9.

PErdifficile est homines efficere bonos, & virtuosos, ait Arist. & quidem, inquit. *Si verba sufficerent ad faciendos homines bonos, id optimum esset. Nunc verò iuuenes quidem liberos hortari, & procurare, vt sint moribus, ingenijs, veræque honestati, ac educationi bonæ conformes, & sic vel maximè bonos verbis facere, si esset possibile, laudabile esset: at verò, quia affectibus viuunt, voluptates prosequuntur, dolores fugiunt, honestatem minimè attendunt, fieri non potest, aut non facilè fit, vt ea verbis mutentur, ac extrudantur, quæ impressa sunt moribus, temporeque diuturno retenta.* Fieri quoque potest aliquos esse bonos naturâ,

I. alios consuetudine, alios doctrinâ: sed & hoc difficile, quia natura non est in nostra potestate, sed inest ijs hominibus per causam quandam diuinam, qui verè sunt fortunati. Verba autem, præceptione sui, non in omnibus vires habent, maximè quia modestè viuere, continenterque, plerisque hominibus, præsertim iuuenibus, non est iucundum. Hæc Aristoteles. Ex quibus concludit: *Quapropter ædificationem, atque officia à legibus instituta esse oportet, ideòque legislatores legibus, & dolore illos promptiores reddant ad obediendum, & hoc aduersùs inobedientes, & hebetiores vti debent, vt sic dolore affecti, vt iumenta legibus obedire cogantur, lex quippe habet vim cogentem sermone ab aliqua prudentia, atque mente profectò, vel pœnis.*

Aliqui ex hominibus sunt boni naturâ, alij consuetudine, alij verò præceptis & doctrinâ.

Quòd cùm ita sit, inferre licet, vt idem infert, quòd pars ciuilis est ipsa ferendarum legum facultas. Sanè & in Ecclesia Dei expediens est reperiri legislatores, & Religionum regularium Parentes ad optimam vitam instituendam. An verò magis expediens sit, quòd sit vnus, vel plures prædicti

dicti legislatores, cuius, vel quorum finis sit merces æterna, multò magis, quàm ad costituendam vitam honestam, (quòd Philosophus prætendebat) & consequenter, vt vna, vel plures sint Religiones in Ecclesia Dei, controuersia est persimilis difficultatibus supra exagitatis, de vnitate gubernationis Politicæ, & Ecclesiasticæ, vt sicut vnus est Deus, vnus Rex in Regno, vnus Summus Pontifex in Ecclesia, ita vnus Religionis institutor, & propagator, maximè quia in omnibus Religionibus sunt omnia essentialia, & substantialia, eadem vota, nimirum Religiosorum, obedientia, paupertas, & castitas? Vnde & Summi Pontifices cauent, ne deinceps in Ecclesia Dei, noua Religio excitetur, absque expressa Romani Pontificis licentia. Cæterùm expedientissimum fuit in Ecclesia Dei esse plures Religionum institutores, & plura instituta: nam vt habet D. Thomas; cùm Religionis status nihil sit aliud, quàm quædam perfectionis via, schola, & disciplina, quâ ad perfectionem charitatis itur, & peruenitur, seu peruenire potest; cùm etiam plures sint charitatis actus, atque plura, & diuersa charitatis opera, & perfectionis exercitia, in quibus diuersimodè Religiosi ipsi possunt occupari, & exerceri, conuenientissimum certè fuit, vt Religiones in Ecclesia Dei essent plures, atque multiplices, quæ omnes in vno vltimo, atque potissimo charitatis fine conuenientes, secundùm varia præcepta, & regulares cæremonias, atque diuersa religiosa exercitia, distinguerentur ad inuicem, & dicerentur plura instituta distincta.

2.

Quare in Ecclesia Dei, sunt diuersæ Religiones?

Hoc itaque certum est; huic & accedit, quòd varia, atque diuersa sunt hominum ingenia, propensionis variæ, & nec eædem insunt omnibus vires, vnus potest efficere hoc, non verò illud, vnus appetit solitudinem, alter verò hominum frequentiâ gaudet; alter legit, alter libentiùs orat, vt latè prosequitur Nestorius Abbas apud Cassianum, non ergò fine diuino consilio, diuersa sunt Religionum instituta, quibus Deus Optimus Maximus varijs hominum conditionibus consultum esse voluit. Confirmat id D. Paulus dicens: *In vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Sicut ergo corpus non fuisset perfectum sine membris, nec se rectè gerere, aut gubernare posset, ita etiam in Ecclesia opus erat, vt plura essent officia, & ministeria, quibus correspondent multiplices Religiones, & Religionum status: corpus etiam sine membris deformitatem causat, & corpus pulchritudine membrorum exornatum, decorem, & perfectionem manifestat. Vnde Propheta dicit, *se vidisse Reginam, (nempe Ecclesiam) cælestis, & æterni Regis Sponsam, à dextris illius sedentem, in vestitu deaurato, circumdatam varietate.* Vestes deauratæ, varietate condecoratæ

Ad Rom. 12. 5.

Psalm. 44.

ratæ sunt Religiones variæ, regularum, & institutionum ornatu fundatæ, sunt itinera varia, quibus ad Regem cæli peruenire conantur diuersimode viuendo, & ad finem, & perfectionem æternitatis tenditur. Et licet Deus sit vnus, vna fides, & vnum baptisma, vnus omnium Christianorum vltimus finis, atque diuinus cultus, pluribus tamen itineribus ad eum peruenitur: licet item in omnibus Religionibus, eadem sint & essentialia, & substantialia, non tamen vno modo, sed pluribus ad eorum perfectam obseruantiam attingitur. Nam diuersimodè disponuntur Religiosi, ad trium votorum essentialium obseruantiam. Neque hæc pluralitas est illa, quam damnauit olim Summus Pontifex in extrauaganti, quæ perniciosa fuit, & sine ratione, & causa in Ecclesiam introducta, seu quæ tunc temporis fieri incipiebat, absque vlla necessitate, & vtilitate, & ne aliqua inde confusionis occasio emergeret, prohibita est.

3. Diuersi modi viuendi Religionum, diuersas Religiones insinuant.

Neque inde inferre licet, in Ecclesia Dei, vnam, & non plures esse Religiones, modo solùm diuerso, & fine: quoniam & prædicti viuendi modi, diuersificant Religiones, esto omnes conueniant fine communi, & essentialibus votis, & hâc ratione quatuor tantùm in Ecclesiastica Hierarchia sunt Religiosorum Regulæ approbatæ ab Ecclesia Romana, sub quarum aliqua, omnes in vniuersum militant Religiones, & Ordines. Cæteri verò, prædictis se conformantes, peculiaria instituta pro regula habent in scriptis determinatè, siue per scripta tradita, ad differentiam eorum Monachorum, qui à tempore Christi Domini, & Sanctorum Apostolorum instar perfectionis Euangelicæ in Euangelio positæ, pro qualitate inspirationis interioris Spiritus Sancti, vel Prælatorum illius temporis, viuâ voce præscriptæ, viuebant, vsque ad tempora D. Basilij, qui primus sanctissimis legibus extructis, atque scripto ordinatis, vitam Monasticam, & viuendi modum delineàuit, & declarauit. Post ipsum D. Augustinus scripto tradidit Regulam, sub qua militant plurimæ Religiones, præcipuè Fratres Prædicatores, Eremitæ Sancti Augustini, Ordo Sancti Hieronymi, Sanctæ Birgittæ, & alij complures. Tertiam Regulam scripto tradidit Sanctus Benedictus, sub qua etiam militant Cistercienses, Camaldulenses, &c, Tandem gloriosus Pater noster Sanctus Franciscus tradidit Regulam, de qua iure merito dici potest illud, quod de throno Salomonis dictum est. *Et non est inuentum opus persimile in orbe.*

4. Religiones præsignatæ per quatuor flumina paradi-

Prædictæ Religiones præsignatæ sunt per quatuor flumina irrigantia Paradisum, Hierarchiam Ecclesiasticam, quasi quatuor totius perfectionis elementa, atque alij viuendi modi sunt veluti quidam riuuli, & quædam rerum appendices, & veluti corollaria quædam, quæ ex eisdem subsequuntur, & ad ea reducuntur, Præfiguratæ quoque sunt visione Ezechi-

elis

elis, qui dicit *se vidisse turbinem ab Aquilone venientem, & nubem magnam igne, & splendore conuolutam. In ignis medio quasi speciem electri, eiusque scintillas quasi æs candens: in medio eorum* (id est inter ignem, & nubem) *similitudinem quatuor animalium*, quorum aspectus similitudinem hominis præferebat, *animalia singula quatuor facies, quatuor alas habebant, & sub singulis alis manus iunctas alterius ad alterum, cùm incederent non reuertebantur, sed vnumquodque ante faciem suam gressum prosequebatur, quòcunque Spiritus illa dirigeret.* Recenset itaque Ezechiel se vidisse turbinem, nubem, ignem, circumstantem nubem, splendorem, electrum in medio ignis, ac scintillas ignis, quatuor animalia inter ignem, & nubem, quæ habebant, vel habere videbantur quatuor facies, quatuor alas inter se connexas, & pedes quasi vituli, atque manus sub alis. Noster Lyranus interpretatur visionem, de hostibus contra Hierusalem venientibus. Alij, quatuor totius orbis Monarchiarum successiones indicatas volunt, & singulas à cuiusque gentis insignijs significatas. In leonis scilicet facie Chaldæorum, siue Babyloniorum, in hominis Persarum, & Medorum, in bouis Græcorum, in aquila Romanorum: nam Babylonios leonem pro insignijs gessisse: Persas hermam, id est hominem humero tenùs: Græcos bouem: Romanos aquilam, & sacræ, & profanæ literæ testantur. Quia tamen eiusmodi mysteria eius sunt classis, quòd & in singulis verbis multiplices lateant intelligentiæ, ideò alij visionem hanc interpretantur de differenti institutione Principatus sæcularis, & Ecclesiastici, quòd scilicet imperium sæculare venit ab Aquilone, id est, ab hominum voluntate, Principatum verò Ecclesiasticum à voluntate Dei exortum habuisse; nam principatum sæcularem, permissu quidem Dei, sed ex peruicaci hominum voluntate introductum sacra Pagina docet; Rex enim altissimus ipse constituerat Sacerdotem, qui legem Domini iudicaret, cui parùm acquiescentes, petierunt sibi constitui Regem. Indignatus Dominus, iubet sacerdotem, vt faciat, quod postulant, dicens: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*

sum irrigantia, & Ezechielis visionem. Ezech. 1. 4.

1. Reg. 8. n. 7.

5. Verùm non incongruè quoque prædicta visio interpretari potest, de quatuor institutionibus Religionum, ita, quòd turbo veniens ab Aquilone, est mundanorum mundana conuersatio, ac cupiditates diuersæ, quæ turbini comparantur ob incertitudinem, repentè enim aduenire, repentè abire solent. Nubes circumuoluentes, pietas est institutorum Religionum, qui amore Dei, & proximi stimulante, non solùm sibi viuere, sed & alijs proficere voluerunt. Ignis amorem significat, qui supereminet omnibus regulis, & præceptis ab institutoribus Regularum traditis, vnde & splendor, gloria, & exaltatio, atque scintillæ diuinorum radiorum in homines vibratæ. Electri species in medio ignis sunt Regularum instituto-

Diuersæ Religiones diuersas inferunt visiones Ezechielis Prophetæ.

tutores: Est enim electrum mixtum ex auro, argento, &c. ita, vt neutrum potiora habere dicatur: ita Regularum institutores, amorem Dei, & proximi intendunt, & quænam Regula in amore Dei, & proximi emineat? difficilè est discernere.

Animalia quatuor facies referebant, & insinuant quatuor modos viuendi, in principalem finem imitationis Christi, & perfectionis Christianæ tendentes, quarum vna videbatur referre faciem bouis, & applicari potest Regulæ Sancti Basilij, quos institutor, imitando monasticum statum Hilarionis, Pachomij, vtriusque Macarij, præcipuè laboribus, & ieiunijs deditos esse voluit.

Altera videtur referre faciem leonis, scilicet Sancti Benedicti, quorum institutor solitudine, (fugiendo, & deserendo sæculum, & scandali occasiones) maximè delectabatur, & sequaces suos vigilijs, & ieiunijs obligauit; sicut enim leones eremo profundo delectantur, ita & ipsi solitudinibus.

Tertia, quæ est Sancti Augustini, refert faciem hominis, cuius aspectus humanitatem redolet, & opus proprium est operatio animæ per rationem, & non sine ratione, vt inquit Aristoteles; *viuere enim homini cum plantis commune est, sentire cum animalibus, viuere autem ratione, atque per eam intelligere, opus hominis est, comite virtute.* Quia igitur in hac Regula, & Religione viget doctrina, & virtus homini propria, ideò rectè assimilari potest faciei hominis, & riuulis eius, seu ijs, qui eandem Regulam susceperunt.

Regula Sancti Francisci faciem aquilæ sibi vendicat, & proprietates
Arist. de Hist. animal. c. 32. aquilæ, inter quas hoc primum occurrit, vt inquit Aristoteles: *Homines solam auium omnium aquilam esse diuinam perhibent.* Quare non leuis controuersia occurrit. An Religiones sint de iure diuino? & certùm est, quòd Religio, & Religiosorum status, non ab homine, aut per purum aliquod inuentum humanum in terram effluxerit, sed superno Dei beneficio è cælo descendit, atque immediatè institutus fuerit à Christo Domino, quod ex Euangelio, & ijs, quæ ab Euangelistis dicuntur, facilè constare potest: nam Christus Dominus vltra præcepta, atque documenta, quæ proposuit ad vitam æternam adipiscendam, necessaria multa etiam adhibuit perfectionis consilia pro illis, qui magis, atque perfectiùs religiosè viuere vellent, & expeditiùs ad charitatis perfectionem ascendere, quam viuendi rationem, atque præstantiam perfectionis, primùm Apostoli, cæterique Christi Discipuli receperunt, atque statim professi sunt, ipsiq; in Ecclesia sancta fuerunt primi omnium Religiosi, vt testatur S. Lucas. *Erat* (inquit) *cor vnum, & anima vna, neque quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, &c.* S. Hieronymus, D. Dionysius, Philo Iudæus, de hac re fusiùs.

S. Luc act. 4. 32. D. Hier. Epist. 8. & lib. de Scriptor. Eccl. cap. 10.

Cæte-

Cæterùm Religio Sancti Francisci, iure quodam speciali, est diuina, vt pote Christo Domino dictante à Sancto Francisco conscripta, vnde cùm Sanctus Franciscus de Religione sua solicitus esset, & de rigore eius, responsum accepit à Christo Domino: in illa Regula nihil reperiri, quòd non esset illius. *Et ego* (inquit) *scio, quantùm illos iuuare possum.* Præterea de aquila dicitur, quòd sit vbique Princeps, siue in imis terræ, siue in sublimitate cœlesti. Hoc idem de Regula Sancti Francisci dici potest, vbique Princeps, & in præceptis, & consilijs, & in libertatibus Regulæ, & in laude diuina perficienda, & in labore, siue manuali, siue pro animarum salute, & ieiunijs, & in disciplinis, & in cæteris omnibus, quæ ad statum Religionis spectant. 6.

Omnes Religiones sunt institutæ à Christo Domino, iure tamen speciali, Religio S. Franc. quæ aquilæ comparatur.

Tandem de aquila scribit Aristoteles, quòd dissideat cum Dracone semper, & cum ardeola pugnet alis, rostro, vngulis armatur in hostem. Hæc est proprietas Religionis Sancti Francisci, quòd perpetuum habeat dissidium cum dracone infernali, semper pugnet cum ardeola, cum Hæreticis, & alijs Ecclesiæ sanctæ hostibus, qui ardent odio, inhiant veneno; illa autem, sicut & aquila, conspectu felix, tanquam lucerna lumen spargit, & ignorantias eorum dissipat, auis felicissimi augurij imitatione aquilæ Seraphicæ Christi Domini, qui in monte Aluernæ fuit felicissimi augurij, & triumphi de peccatis hominum, pro quibus orabat Diuus Franciscus.

Præter hæc Religiosorum simulachra, prædicti quatuor Religionum institutores assimilantur Angelis primi ordinis mediæ Hierarchiæ, scilicet Principatibus, & hic est præcipuus splendor illorum, atque ideò merentur dici Principes in cœtu Religiosorum, nomine Principis desumpto, non timoris, sed amoris ratione, quoniam ex amore salutis humanæ, assumpserunt officium instruendi, atque per certas regulas dirigendi homines in viam salutis, quòd etiam est officium Angelorum Hierarchiæ tertiæ Ordinis primi; nam prædicti Angeli instruunt, qualiter inferiores se habere debeant ad superiores, & ad supremum Principem Deum, sicut Angeli, qui dicuntur Dominationes, instruunt, qualiter se habere debeant superiores erga inferiores, ne tyrannorum nomen incurrant: de istis quippe Principatibus dicit D. Dionysius. *Sancti Principatus ad principalem Principatum Dei firmiter sunt motiui, & inferiorum ordinatione sancta, & conuenienti reductiui, atque ad supremum omnis Principatus principalem Principem totaliter conuersiui, & ordinationis eius manifestè ostensiui, &c.*

In quo autem hæc reuerentia inferiorum ad superiores consistat, docet Seraphicus Doctor. Quòd igitur operantur Angeli, hoc idem ex officio Principatus, prætendunt institutores Regularum, & in suis institutis 7.

Institutores Regularum as-

similantur Angelis, qui dicuntur Principatus in erudiendo inferiores, ad reuerentiam superiorum.
tis agunt, & ideo persimiles sunt Principatibus Angelorum. Hi itaque inprimis docent, quos instruunt, vt sciant subesse, sicut superiores debent scire præesse, deinde, vt voluntariè id faciant, iuxta illud Iudicum: *Principes Israël, qui propriâ voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino*; & sic libenti animo, pro bono obedientiæ sciant, & velint subesse sine rebellione animi, & voluntatis contradictione; nam sicut tyrannica superiorum oppressio prælationis iura violat, ita subditorum insolentia obedientiæ Principatum destruit, & eneruat, voluntariè ergo, cui honorem, ei honorem exhibere debent, iuxta illud Iob. *Senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, vocem suam cohibebant duces, &c.*

Iud. 5. 9.

Iob. 29. n. 8.

Docent itaque, vt inferiores recognoscentes potestatem, meminerint non homini obedire, sed Deo, quem in homine considerant. Vnde Alexander Macedo redargutus a suis Principibus, quòd adorâsset humiliter Summum Pontificem Hebræorum: addidit, quòd adorâsset Deum in homine, qui sibi in tali specie in somnis apparuisset, & totius orbis Principatum promisisset. Ex reuerentia erga superiores, & obedientia prompta, assequuntur subditi veram libertatem, seu veræ libertatis decus, nullus enim verè liber esse potest, qui secundùm Principatuum assimilationem, obedientiæ legibus, & præceptis Regulæ penitùs se non subiecerit. *Si enim obediente Deo voci hominis, & pugnante Iosue pro Israël, victoriâ, & triumpho potitus est Iosue*, obediens quoque præceptis Regulæ cantabit victorias, & triumpho dignabitur illum Deus, atque libertate perfectâ: peccare enim non est libertas, nec pars libertatis, nihil autem magis decet Principem, sicut libertas.

Iosue 10. 14.

8. Sic igitur, (vt dixi) institutores Religionum assimilantur prædictis Angelis, si docent, vt qui obediunt, non solùm obediant suis superioribus, sed & reuerentiam exhibeant, idque ex amore, iuxta illud, quod D. Paulus inquit. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis cum gaudio, & non gementes*: quemadmodum & prædicti Angeli; nam superiores ordines, quibus mediantibus suas recipiunt illuminationes, singulari modo diligunt, & in signum amoris, inferiores Angelos ad conformitatem superiorum ordinatissimè promouent, & reducunt.

Nihil magis decet Principem, sicut libertas, ideò liberè, & ex animo obedire, debent inferiores superioribus.

Ex hac amorosa reuerentia sequitur, quòd correctiones libenter, & voluntariè suscipiunt Religiosi, & correcti non ad iram, & odium prouocantur, in quo etiam assimilantur Principatibus, qui ad recipiendas cum gaudio correctiones Dei instruunt homines, ita, vt dicant cum Iob. *Hic sit consolatio mea, vt affligens me dolore, non parcat, quia etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*, & quid est homo, vt resistat Factori suo, numquid vas figuli resistet figulo, qui fecit illud?

Iob. 6. n. 10.
Et. 13. 15.

Cùm

Cùm igitur institutores Regularum in suis regulis, & institutis prædicta, & multa alia præscribant, & instruant subditos, dirigendo professores Regularum ad reuerentiam exhibendam Deo, per donum reuerentiæ, & conforment eos, mediantibus superioribus, ad supremum Principem omnis potestatis, scilicet ad Deum, eosque conuertant, & hoc idem faciunt Principatus Angelici, mediantibus alijs ordinibus, ad obediendum Summo Principi, & inferiores per obedientiæ legem reducant; certè institutores Regularum rectè assimilantur Angelicis Spiritibus, qui dicuntur Principatus.

Hi Principem pacis Christum Dominum dum exprimere desiderant, eam merentur dignitatem, vt etiam Principes pacis dici possint, & Christus quidem Dominus Princeps pacis est, vt inquit Damascenus *Procul dubio Princeps pacis est, quia omnes emergentium causarum procellas pacificat*: illi quoq; in hoc ipso Christum imitantur, cùm per virtutem pœnitentiæ, Deum cum hominibus reconciliant, & pacificant. Damascenus.

Verùm inter prædictos Regularum institutores, & legislatores, adest gloriosus Patriarcha noster S. Franciscus, cui dignitatem Principis, & Ducis salutis attribuit, & recognoscit Ecclesia, dum de ipso cantat: *Est Dux fidus, clarum sydus, ducit, relucet, deuia deuitando, demonstrando æterna gaudia.*

9. Duces maximè, sunt necessarij in bello.

Politicorum doctrina est, militiæ Principes, Imperatores, seu Duces, vel maximè esse necessarios in bello, & res ipsa loquitur, ab his enim omnis honor, robur, firmitas, & ipsa vita Regum, atque exercitus salus pendet, quapropter, vt optimis qualitatibus prædìti sint, opus est; quia & arma nihil proderunt, vtcunque instructissimo exercitui, nisi adsit optimus Dux, & militiæ Princeps; sanè id sunt, quod corpus sine spiritu, quod nauis sine magistro; eo enim absente, vel cessante, fugit mens, & consilium ab eis, adeò vt solo tremore, metuque agitati, solius fugæ præsidium sumant.

Primum, quod clarum reddit Ducem, est vt sit fidus.

Primum autem, quod clarum reddit Ducem, est, *vt sit fidus*, & talis, cuius industriæ milites fidere possint, simulq; animosus, qui militum mentem excitet, & victoriam certam promittat venerantibus. Dux fidus fuit gloriosus Patriarcha noster, & S. Regulæ institutor S. Franciscus, qui certam victoriam promittebat Dei verbo, & protectione, vexillum Crucis, & Passionem Christi venerantibus, & in corde gestantibus, certò asserens, nihil tam metuere, atque pauere hostes animarum, vt Crucem Christi, quam si in fronte, ore, & corde exaratam gestent, fiducialiter agere possunt contra hostes animarum, mundum, & infernum. Dux animosus fuit, qui comilitonum suorum mentes excitando, dicebat: *O dilectissimi Fratres, & dilectissimi Filij, audite me, audite vocem Patris vestri, magna promisimus, maiora promis-*

promissa sunt nobis, &c. modica passio, gloria infinita, &c. Nec solùm fuit Dux, sed & clarum sydus, quo sydere armati milites spirituales, vitiorum lues calcabant, influxu huius syderis adiuti. Sed plura sunt alia, quæ in optimo Duce requiruntur, eaque omnia in hoc Principe, ac Duce salutis cernere licet, atque explicare decet.

10. Aliud itaque quod claros reddit Duces seu Principes militiæ, est, *si sint ingeniosi*, ingenium enim clarum, & industria, mentisq; acumen, quo quisque munitus est in singulis, quod decet, facilè perficit, estq; signaculum & monile pendens. Hinc Salomon *in bellis ipsum intellectum ducem faciendum esse dixit, ab eo enim dexteritas, & quasi diuinatio est*: Neque tamen ita proprio ingenio fidere debet, vt priuatorum ingeniosorum consulta postponat, sed proprio ingenio probanda probare, & improbanda negligere, vt dum contra magnam vim hostium, cum paucorum manu, sibi prælium imminet, artificio magis, quàm viribus decertet, quod laudatur in Vitoldo Magno Duce Lithuaniæ, qui in quadam pugna multitudini Scytharum resistere nequiens, ad ripam Boristhenis, vbi castra habebat, tubas, quæ vento inflante sonarent, extruxerat, ipse autem in alio loco nocte obscurâ fluuium transgressus, hostem inopinatò adorsus erat, & victoriâ potitus insigni, multa Scytharum millia in captiuitatem duxit, quibus deinde sedem in media Lithuania prope Vilnam assignauit, qui in hodiernum etiam diem genus suum ducunt, suntq; vtiles in bello Regibus Poloniæ.

Aliud, quod claros reddit Duces, est, vt sint ingeniosi.

Plurimi etiam Reges Poloniæ fuêre excellenti ingenio, quorum ingenia, & industriam pace & bello, magis extollunt Historici. De Vladislao Principe ita scribit Lubienscius. Iam Vladislaus Princeps Regis filius puer adhuc, sed eâ indole, quæ supra ætatem, & communem naturæ cursum longè emineret: ita vultus ipsa maiestate, & decorâ facie compositus, vt diuinum quid in eo elucere videretur. Et hanc indolem iam adultus totus orbis mirabatur, in toga, & diuersis prælijs, præcipuè contra Imperatorem Turcarum, & Magnum Ducem Moschouiæ.

Vidit ex alto Christus Dominus virum ingeniosissimum, & planè secundùm cor suum, gloriosum Patriarcham nostrum S. Franciscum, eumque Ducem, & Principem militiæ, (dum sopori esset deditus) prænuntiauit, palatium spatiosum cum militaribus armis, & vexillo ei exhibuit, atq; vt arma constanter assumeret, suasit, & sub asseuerationis certitudine victorias repromisit. Vidit ingenium eius & Summus Pontifex, virum militarem intellexit, in deuincendis hostibus animarum strenuum, quos hastâ S. Crucis enecandos docuit, ac armis Passionis Domini armatus, & animatus deuicit, & prostrauit, ideòque omnibus, quæ postulabat, acquieuit libenter.

11\. Clarus etiam est Dux atque militiæ Princeps, *si est affabilis, & benignus.* Optimi sanè Ducis est signum, nobilem erga milites, & amabilem gerere animum: hinc quoque alacritas, & magna claritas, & virtus Ducis, si sciat deuitare pericula, & demonstrare futuras victorias, sed nec minor, si eo ingenio sit, vt spem triumphi paret; iungat igitur affabilitatem fiduciæ, tunc enim nullus pauor cladis, sed spes victoriæ, & triumphi erit.

Clarus etiam Dux exercitus, est affabilis, & prudens.

Facilis, atque pius erga milites suos animus S. Francisci fuit, quod vel ex eo intelligi potest; quòd cùm obuiam insperatò habuisset militem quendam, nobilem quidem genere, sed inopem rebus, memor generosi Imperatoris, sed pauperis, Christi, vt Ionatas Dauidi, decentia quæ de nouo parauerat indumenta, ei donauit.

Præterea clarus Rex est, *si est prudens*, quia Politici optimum Ducem iudicant ex prudentia, memoria, virtute, & diligentia. Ex prudentia quidem, vt cautus sit, præterita cum præsentibus conferat, trioculo vtatur, id est, triplicato consilio omnia peragat, & quid postridie sit facturus cogitet. Propterea enim Saul timuit Dauid, quòd esset valde prudens, nec formidolosus, nec præceps; nam nec ille est sapiens, qui contra hostiles cuneos exercitum præceps apponit, nec ille fortis, qui semper ab hostis facie cauendo, subducit.

Prudentissimè egit gloriosus Patriarcha noster S. Franciscus, in omni contra inuisibiles hostes expeditione, trioculo munitus, nam aggressurus cum ipsis prælium, consuluit Christum, consuluit librum. Consuluit Christum; cùm enim audiret legi, inter Missarum solemnia, illud Euangelij, quod Christus discipulis ad prædicandum missis, dixit, *ne videlicet possiderent aurum, vel argentum, nec zonas, nec peras deferant in via,* illicò hanc normam viuendi suscepit, & per omnia, præcepto Christi se coäptauit. Consuluit & librum; nam pro indicio virtutis ter librum aperuit. Consuluit & Summum Pontificem, dum pro approbatione Regulæ ad eum properauit, quo cum hoste teterrimo fortiùs dimicaret, atque ideò tam prosperè multa cum eo prælia contulit, vt ipse solus quinque millia dæmonum deuicerit, referente S. Bonauentura.

S. Bonau. Tom. 1. Opusc. ser. 18. de luminaribus Eccl.

Fortunatum quoque volunt Politici Ducem, vt habet Starouolscius, atq; ita necessariam aiunt esse Imperatori exercitus fortunam, vt quanquam reliqua affluant, si hoc vnum desit, nemo neget, cætera periclitentur.

Starouol. lib. cap. 14. Instit. milit.

Fortissimus, & felicissimus fuit Dux S. Franciscus, qui in monte Aluernæ, pro peccatoribus orans, nec quidquam aliud cogitans, à præside fortunæ Christo Domino visitatus, monilia salutis nostræ, stigmata scilicet, præter spem, & expectationem accepit.

12\. *Memoriâ quoque Ducem clarum necesse est esse*, inter pugnandum præcipuè, & in

Dux exercitus, debet esse fortunatus, & memoriâ debet excellere.

in eo solo consistit, ne quid ordinis in prælio præneceſſarij peruertatur. Item, vt recordetur, quem quibus insidijs disposuerit, quem cui cuneo præfecerit, Tribunorum, Centurionum, Equitum, quos ad acrius pugnandum excitet, meminisse oportet: hæc enim sunt instrumenta, quibus victoria paratur, vel perditio.

Memoriâ Dux gloriosus S. Franciscus ita excelluit, vt de eo dixerit S. Bonauentura, quòd memoria Passionis Christi visceribus cordis ipsius adeò impressa medullitùs erat, vt & Crucifixi plagas, oculis mentis intentus, iugiter cerneret, & vix exteriùs à lachrymosis gemitibus se continere valeret, eò, quòd plagæ prædictæ essent instrumenta victoriæ futuræ, vnde & discernere optimè nouerat, inter instrumenta salutis, & perditionis, inter milites Christi & diaboli, atque ita semper victoriâ potiebatur, solo aspectu Crucifixi, obseruando illud Bernardi: *Si tentationum sentis aculeos, exaltatum in ligno serpentem æneum intuere, & suge non tam vulnera, quàm vbera Crucifixi.*

D. Bern. Epist. 35.

13. Diligés & virtuosus, debet esse Rex exercitus.

Virtus item & diligentia Ducis, & Principis exercitus multa egregia operatur in exercitu. Diligentia quidem, quia diligentem impossibile est errare. Virtus autem animi, & corporis, vt nimirum virilis, simul & humanus sit, adeò, vt suis animum addens in hostes, vel solus audeat contra multos, corporis etiam vigor neceſſarius est, vt in negotijs laborem, in periculis fortitudinem habeat. Diligentia virtuti catenata sit, nam vt omnium artium, & disciplinarum vis & vita, sic & tota Imperatoris gloria in diligentia sita est. Virtus animi & corporis in Duce nostro ita enituit, vt famulo Dei comparente, ante Summi Pontificis conspectum, sapiens Antistes aduertit in eo animi puritatem, mundi contemptum, paupertatis amorem, propositi perfecti constantiam, animarum zelum, ignitumq; voluntatis sanctæ feruorem. Corporis autem robore adeò excelluit, vt Lateranensem Basilicam, ruinæ ferè iam proximam, proprio dorso submiſſo, ne caderet, sustentaret, vt Christi Vicarius per somnium se vidisse testatus est.

14. Dux exercitus debet esse eloquens.

Requirunt tandem Politici in Duce perfecto *Eloquentiam*: ideò namq; & Moyses institutus summus Imperator à Deo, contra Pharàónem ad educendum Iſraël de Ægypto, vtcunque bene instructus, tamen maximè se excusabat, quòd non esset eloquens: Eloquentiam in exercitibus ducendis neceſſariam esse insinuans, vt dicendo animorum motus componat, quibus regere, clamores, risus, lachrymas excitare, & cùm libuerit, mouere hominum mentes, allicere voluntates, impellere, quò quis velit, deducere possint. Ad iram, vel odium incitare, ad dolorem, vel lætitiam, ad lenitatem, & misericordiam reuocare, timorem seducere, mærorem auferre, miserationem æquè, & obedientiam captare potens sit,

maxi-

maximè in angustijs oppressionem tollere, quia nullâ re præsentiùs, quàm oratione animus serenatur.

De gloriosi Patris nostri S. Francisci eloquentia, quid melius dici potest, quàm id, quod S. Bonauentura ait? Erant autem ipsius eloquia non inania, nec risu digna, erant virtute Spiritus Sancti plena, erant medullas cordis penetrantia, vt in vehementem stuporem audientes conuerterent, & obstinatorum mentes efficaciâ virtuosâ molliret, atque corda eorum, tum ad timorem, tum ad credibilem lætitiam incitarent. Quis enim non mouebitur, aut summo gaudio non perfundetur; cùm audit dicentem? *O dilectissimi Fratres, & in æternum benedicti filij, audite me, &c.* Iam verò hic tam clarus Dux, ac Princeps militiæ, ducit, & reducit deuia, per paupertatem in vsu, ac acquisitione temporalium, & demonstrando æterna gaudia: deuitando, id est, refrœnando à superfluis, in edendo, vestiendo, habitando, eundo. Vnde, quæso, mentis audacia, vitæ superbia, deliciarum colluuies, otia, nisi ex superbia in edendo, &c. quæ sunt pestes, atque ruinæ tam Regnorum, quàm Ecclesiæ S. quarum radix est possessionum copia, & pecuniarum abundantia? Quid euertit Regna, quid Ecclesiæ sanctæ nocet, quàm in prædictis luxus? 15.

Omnes proprietates optimi Ducis, & requisita, habuit Sanctus Franciscus

16.

Qualiter S. Franciscus duxit, & reduxit deuia, per paupertatem, in edendo, vestiendo, habitando, eundo?

Luxus in edendo, noua eduliorum exotica, obsoniorum genera, varia gulæ titillamenta, semper excitans, diuersas bellariorum captiones proponens, quod amplissimæ familiæ sufficeret copiosissimè, id totum ab vno in prandium vorare facit inutilibus instrumentis, escarijs, potarijs, coquinarijs, cloácarijs, quæ ex argilla perpulchra essent, ex argento, auroq; comparatis, vt tandem victorialibus triumphis abolitis, epulares iam instituti videantur, ea culinaris curæ solicitudo inualuit. Iam non caput diuinæ imaginis sedes, corpus regit, sed magister artis, ingenijq; largitor venter. Quod prudens vetustas notans, hos, qui patrimonio absumpto, ad inopiam redacti fidem fallunt, & aliena deglutiunt, decoctores appellauit, quasi qui coquendo tantùm vitam agant, qui gulæ omnia dedant, & luxuriei.

Luxus in vestiendo nouas vestium formas, peregrinas indumentorum species, indies suggerens, nulli ornamento, nulli emblemati, aureo, argenteo, serico, purpureo parcens, adeò, vt quod olim vix ipsis Principibus licebat, hodie vel cauponibus factum sit triuiale, frequentiore serici, quàm lanæ vsu iam facto, artibusq; textilibus adauctioribus. Qua in re, peruicaciorem animum ostendunt homines, malè proba affectando, quo neglectioribus rerum hominibus exterreri se, detineriq; minus ostendunt. Appellârunt sanè veteres Itali, eiuscemodi textiuillitium præclariùs bellutum, quasi à bellua deductum, quod bestiæ simile sonat, vt inuen- 17.

Luxus in prædictis, quàm sit nociuus Reipub.?

inuentos, qui ijs induuntur, bestijs similes reputari dicerent. Ipsi quoque Turcæ ita detestantur vestium luxum, vt proinde stultos Christianos, ingratosq; vocitent, qui, quod Respublica custodire debet, id destruant. Si rediuiui resurgerent antiqui Poloni, videntes quàm ample vituperandus vestium luxus vigeat in Polonia, quid dicerent, qui solo honesto vestitu delectabantur, simplici ornatu, exosam haberent hanc inclyti Regni pestem.

Luxus in habitando etiam nociuus est Reipublicæ, & Ecclesiæ Dei, superuacuas ædificiorum amplitudines comparans, tectorijs laqueatis, aureis picturis, ac sumptuosis operibus fulgentes, vana supellectili repletas, intus & extra depictas: ita, vt non ampliùs hominum domicilia, sed templa Diuûm videri eas velis, luxus est; nam & columnationum serie, & peristyliorum amplitudine primarijs cum templis ita bellant, vt debellent.

Luxus tandem in eundo longa seruorum serie, vno vestium genere compositorum non contentus, rhedas insuper addit & carpenta. Sed & sellas curriles tam ambitiosè, vt quòd solis Magistratibus olim in honorem dabatur, id vulgares quique, quasi in publici decoris ludibrium sibi vltrò assumant, veluti qui Regem in scœna repræsentant. Nec contenti, quòd ipsi in otio sint, multos etiam post se otiari faciũt, vt videre liceat circa vnum ignauum, & Reipublicæ inutilem quinquaginta consumi, aliàs vtiles futuros. Hinc agrorum cultura deseritur, hinc quòd pauci longis sudoribus pariunt, multi longis otijs perdunt, quòd sanè turpitudinem sapit, si Princeps sibi omnes æquare sinit, adeò vt non nisi nomine discernantur. Nec enim esset, qui priuatos quosque Principem non iudicaret, aliàs, ex vestitu cognoscendum. Quod si nihil aliud esse pensarent Principes, quàm eâ ratione exteros ad sui Regni prædam inuitare, cautiùs agerent, & prædicta per leges frænarent.

Quæ omnia, gloriosus Pater noster Sanctus Franciscus Regulæ suæ præceptis, veluti auriga equos habenis, vel gubernator nauem clauo, refrænauit, & in viam rectam reduxit. Luxum in edendo, atque omnem superfluitatem per paupertatem sustulit: luxum in vestimentis, dum in Regula sua præcepit, vilibus induantur. Et iterum. Possunt ea repetiare de saccis, & alijs petijs: luxum in habitando; dum ait. Ecclesias, & habitacula, quæ pro ipsis construuntur penitùs non recipiant, nisi essent secundùm paupertatem: denique luxum in eundo, seu itinere perficiendo prohibuit, dum equitare solùm illis permisit, qui necessitate, vel infirmitate coguntur, atque ita deuia in semitam Christi reduxit, illaque eâdem viâ, quâ Christus eundum in æternitatem suasit, milites suos duxit, &

totum

totum mundum exemplo suo dirigere conabatur, fecitque; vt quæ erant deuia, nunc fiant peruia, demonstrando, non aliter, nisi vt sequantur Christum Dominum dicentem: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*, vel potiùs cruces: vnam sequendi Christum, alteram, abnegandi seipsum: tandem tertiam baiulandi propriam crucem.

CAPVT II.

Splendor Religiosorum, quòd assimilentur Angelis secundi Ordinis tertiæ Hierarchiæ, scilicet Archangelis, quòad splendorem contemplationis, & actionis.



TOta (inquit Aristoteles) vita hominis diuiditur in otium, & negotium, siue necessarium, siue vtile, siue honestum, & vehementer laudat otium, atque vtilitatem eius explicat, aitque non solùm pertinere ad felicitatem Reipublicæ, verùm etiam ad viros optimos instituendos. Cùm ergò (inquit) idem finis esse videatur publicè, & priuatim hominibus, & eandem definitionem esse necesse sit viro optimo, & optimæ Reipublicæ necessarium esse oportere virtutes eas, quæ ad otium spectant illis cóexistere. Finis enim belli, est pax negotij, otium. Vnde non solùm otium optimis viris, & optimæ Reipublicæ esse necessarium docet, sed etiam otium negotio præfert, quia finis est melior illis, quæ sunt ad finem, & otium dixit esse finem negotij, vnde vlteriùs refert virtutes, quibus opus est in otio, & quibus in negotio. *Oportet autem* (inquit) *multa negotiorum nobis existere, vt liceat in otio esse, ideoq; nullum otium concedit seruis, qui verò non possunt fortiter pericula subire, serui sunt inuadentium*; & ibidem enumerat, quænam sint virtutes necessariæ in otio, & quæ in negotio. Cæterùm discipuli Aristotelis summoperè vituperant otium, cùm docent *otiosos esse velut tineas, Reipublicæ sanum cor rodentes, & comparant eos quasi fucis imperfectis, scilicet illis apibus, quæ non mellificant, neque in opere faciendo operam aliquam præbentes alimenta, ab operosis congesta deuorant.* Alij tineis æquè, quòd sicut illæ non nisi in puluere, & putredine procreatæ, vestimenta tacitè corrodunt: sic & istæ, consumptis suis, vt otium alant, ad alimenta inhianda dicuntur, vnde multa mala Reipublicæ, & priuatis hominibus proueniunt, iuxta illud Eccl. *Multam malitiam docuit otiositas.* Alij vt Græca habet, *multam vitiositatem.* Vtrumque causat otium, & malitiam in rapiendo aliena, & vitiositatem, quæ in eo consistit, vt non solùm otio-

Lib. 7. Polit. cap. 14.

18.

Tota vita hominis diuiditur in otium, & negotium, quoddam est laudabile, quoddam vituperabile.

Plin. cap. 11.

Eccl. 33. n. 29.

sus aliquando ab opere cesset, sed etiam in tota vita nil agat. Otiositas est, quasi omnium vitiorum gangræna, sicuti vitiositas vitiorum mater.

19. Otiosi à Rep. expellendi, nec contrarietur huic Arist. veritati, laudans otium.

Otiosos igitur à Republica expellendos Politici docent, tanquam matrem homicidiorum, desperationum, hæresis, exemplo Caim, qui hisce stimulis agitatus, & hæc scelera patrans, primus hominum hæresim loqui ausus est, *maiorem, scilicet iniquitatem suam, quàm Dei esse misericordiam.* Quomodo igitur quod Magister docet, discipuli impugnant? qualiter hæc contradictio concordanda? Eâ scilicet ratione, quâ omnis contradictio in concordiam venire solet: nimirum per contradictionis regulas, quarum vna est, quòd contradictiones simul prædicari est impossibile, possibile tamen pro diuersis, & ratione diuersa. Exemplum accipi potest ex Sacra Scriptura, vbi legimus quosdam asserere mortem esse desiderandam, vt optimam, alios verò vituperare, vt maximum malum, etiamsi affirmans & negans, vterque sit bonus, & sanctus; & quòd mirabiliùs, vnus & idem etiam sanctus & bonus laudat, & vituperat, desiderat, & respuit mortem. Duos profero, Dauid Prophetam, qui desiderat mortem dicendo: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*; & dum iam mors esset in ianuis, exclamauit dicens. *Remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam per mortem*: hic igitur & desiderat, & non desiderat mortem, atque sibiipsi contradicit. Persimilis illi fuit Doctor gentium, qui tamen sibiipsis contradicunt. Desiderat mortem dicendo. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*, ex hoc carcere putrido in libertatem filiorum Dei, quis me educet ex hac infelicitate? quis illâ felicitate æternâ me donabit, & abiectâ hac laceratâ veste corporis, beatitudine corpori repromissâ, agilitate, splendore, incorruptibilitate, subtilitate dotabit? & tamen aliàs inquit. *Nolumus expoliari, sed superuestiri, ingemiscimus* (inquit) *quàm diu sumus in hoc tabernaculo, eò, quòd nolumus expoliari.* Hæc contradictio soluitur, quia vel attenditur penes diuersas personas, malus quidem respuit mortem, bonus autem desiderat: vel penes diuersa iudicia, quia vnus sanctus sic iudicat expedire, alter non item: vel propter diuersas rationes, quia vnus & idem sanctus, habet rationem hominis interni, & externi, & homo internus desiderat mortem, quæ est ianua, per quam ingreditur homo ad vitam; at homo externus horret mortem, quia est omnium terribilium terribilissima mors: & sic partes contradictionis affirmatio, & negatio non sunt simul, nec secundùm idem. Hoc itaque, de contradictione superiùs tacta, dici debet. Laudat Aristoteles otium, reprehendunt Policici, sed non secundùm idem, & eandem acceptionem otij. Aristoteles enim accepit otium pro quiete, vt distinguitur contra negotium, quemadmodùm insinuauit in locis supra citatis.

Psal. 119. 5.

Rom. 7. 24.

2. Cor. 5. 4.

20. Contradictiones de mortis desiderio, quomodo soluendæ?

Politici autem vituperant otium pro quanto, accipitur pro vitio, quo Creatorem suum, quasi eludere volunt otiosi, *qui non nisi, vt operemur, creauit nos.* Hoc otium vituperabile, est nociuum, & ex Republica exstirpandum, illud autem adeò laudabile, vt non solùm vita Christianorum, verùm & Religiosorum, imò & Angelorum, in otium, & negotium diuidenda sit, in quietem, & actionem. Et quies quidem pertinet ad comtemplationem, negotium autem ad actionem, atque ita tota Religiosorum occupatio in otio, in quiete, ac contemplatione, & hic est vnus splendor eorum, & in negotio, seu actione, qui est alter splendor ipsorum, in quo assimilantur Angelis, quorum alij (vt superius tactum est) sunt totaliter in otio, in contemplatione, & amore Dei, scilicet primæ Hierarchiæ: alij in negotio imperandi, & dirigendi, vt sunt secundæ Hierarchiæ; tandem alij in exequendo, quod imperatum est, vt sunt Angeli tertiæ Hierarchiæ secundi ordinis, scilicet Archangeli, & Angeli. D. Bonauentura docet, *viros Religiosos debere assimilari Archangelis, quòad munditiam vitæ, & innocentiam. Mundos enim* (inquit) *& immaculatos subitos, & ministros requirit Dominus*; similiter & Prælatos, vnde Psalmista. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Tales fuerunt pueri Dauid, vt patet 1. Regum. *Si mundi sunt pueri à mulieribus, manducent.* Et respondit Dauid. *Continuimus nos, & vasa puerorum sancta sunt.* Exigitur autem in eis triplex munditia, scilicet, munditia cordis; nam *Beati mundo corde, &c.* Dicitur in Matth. & in Prouerb. *Qui diligit cordis munditiam, &c.* Item munditia oris, &c. Iob. *Hæc passus sum absque iniquitate, cùm haberem mundas ad Deum preces.* Ideò Angelum legimus mundâsse labia Isaiæ. Item munditia corporis, de qua Isaias. *Mundamini, qui fertis vasa Domini,* & Iob. *Si mundus & rectus incesseris,* & Paulus. *Vt mundaret populum sibi acceptabilem, &c.* Item. *Mundemus nos ab inquinamento corporis & Spiritus, proficientes in sanctificatione. Sic sanctificati, & mundi assimilantur Sanctis Archangelis, qui Principatibus sociantur*; hæc D. Bonauentura. Cæterùm hæc assimilatio concordat cum illa, quòd nimirum sicut Angeli sunt in otio, & negotio, ita & viri Religiosi otio, & negotio addicti sint, necesse est. Sicut ergò Angeli vtroque (scilicet munditia, & puritate) splendent: in otio, quod ad cor pertinet, & in negotio sunt, quod in operibus manuum, oris, & linguæ consistit: ita & viri Religiosi esse debent, vt sint similes Angelis secundi Ordinis tertiæ Hierarchiæ.

Gen. 2. n. 15. Psal. 100. n. 6. 1. Reg. 21. n. 4. Matth. 5. n. 8. Prou. 21. Iob. 16. n. 17. Isai. 6. n. 7. Isai. 52. n. 11. Iob. 8. n. 6. 2. ad Tit. n. 4.

21. Religiosi assimilantur Angelis, quò ad munditiam, otium sacrũ, & ministerium.

Assimilantur præterea viri Religiosi Archangelis, quia sicut Archangeli sunt Legati, atque Nuntij maiestatis Diuinæ, qui à Summo Principe transmittuntur ad nuntianda maiora, (vt Archangelus Gabriel, ad augustissimam Virginem, hi à Principatibus ordinis superioris, vel etiam ab ipso Deo suscipiunt illuminationes, vt credibile est de Gabriele Archangelo

22. Ministri & legati annuntiantes salutem

animarum, sunt Prædicatores. gelo nuntiante Incarnationem Dei, communiter tamen à superioribus Angelis illuminantur, vt inferioris Ordinis Angelos, & homines ad Deum conuertant) ita hoc idem viris Religiosis competit, vt illuminentur, & illuminent, quoniam legatione funguntur, dicente Apostolo: *Legatione fungimur pro Christo.* Ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante, per nos. *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

2. ad Cor. 5.

Illuminantur per contemplationem, illuminant per vitam actiuam, atq; ita & sibi, & alijs deseruiunt. Sibi per contemplationem, etenim homo contemplatione, Deo iungitur, vt idem sit Spiritus cum eo, nam contemplationi dediti terrenis rebus animum ægrè applicant. Proximis verò per actionem, atque annuntiationem salutis animarum, & medijs ad eam pernecessarijs. Hi sunt duo splendores virorum Religiosorum, quos hic afferre opportunum est. Iuuabit autem ad assequendum splendorem contemplationis nôsse, quid sit contemplatio, quæ materia contemplationis, quis modus, & quo Magistro acquirendus sit?

Plures quippe existimauerunt contemplationem esse idem, quod cogitatio, aut meditatio, vel speculatio; cùm tamen multùm differat cogitatio, speculatio, meditatio, contemplatio, & intuitiua cognitio, vt habet Sanctus Bonauentura, habent tamen inter se ordinem, & gradum. Nam cogitatio oritur ex imaginatione, & terminatur ad speculationem. Vnde Gregorius: *Cogitationes* (inquit) *admodùm ancillarum rationi subijciuntur, quia si à domo mentis ad momentum se absentet domina cogitationum, clamor velut ancillarum turba se multiplicat, si autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit, & quasi ancillæ ad iniunctum opus se tacitè reprimunt, dum cogitationes se causis proprijs ad vtilitatem subdunt.*

S. Bonau. de Itiner. aetern. itin. 3.

23\. Contemplatio non est idem, quod cogitatio, meditatio, speculatio, &c.

Speculatio partim oritur ex ratione, partim ex intelligentia, esto ea vis animæ, quæ subditur immediatè Deo, quâ de diuinis, quantum homini possibile est, cognoscitur. Est quoque differentia inter contemplationem, & meditationem; quia meditatio oritur ex ratione, contemplatio autem ex intelligentia, & sic contemplatio excedit meditationem, quia oritur ex intelligentia, quæ supremum locum obtinet, sicut imaginatio infimum, & ratio medium, ita, quòd cuncta, quæ imaginatio, & ratio comprehendit, sub intelligentia cadunt: tandem intuitiua cognitio à contemplatione differt; quia anima à contemplatiua vita infirmitatis suæ victa pondere lassatur, sed anima intuitiuè cognoscens Deum ad inferiora non relabitur, sed sine intermissione & fatigatione, Deum in æternum dulciter intuetur, quòd in corpore corruptibili fieri non potest: patet ergo quid sit contemplatio.

24\. Porrò contemplationis species, seu gradus sunt tres, vt D. Bonauentura

tura elicit ex Isaia: nempe admiratio, dilatatio, & alienatio: *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Dum dicitur *mirabitur*, notatur admiratio: dum item dicitur *dilatabitur*, notatur dilatatio cordis: dum verò dicitur, *tunc videbis & afflues*, notatur in se alienatio, scilicet à sensu, & in dilectum transformatio, per excessum, vel raptum intellectiuum, qui à solo Deo potest causari: nam ille solus potest immutare subordinationem potentiarum per abstractionem, qui illam condidit, ita, vt intellectus non dependeat à sensu, cùm nihil sit in intellectu naturaliter, nisi priùs sit in sensu, teste Aristotele. Hinc D. Bernardus: *Neq; hoc facit stupor, sed amor, submittitur enim sensus, non amittitur, nec dèest dolor, sed superatur.* Exemplum contemplationis perfectissimæ habent viri Religiosi in B. Francisco, qui in monte Aluernæ contemplationi vacans, dum Christum in forma Seraphim ad se venientem aduerteret, primùm quidem mirabatur, & vehementer obstupuit, quòd impassibilis Deus in passibili corpore cruci affixus appareret: ex admiratione successit dilatatio cordis, compassione, & lætitiâ: compassione quidem, dum tam duræ cruci affixum cerneret: lætitiâ, quòd tam familiari aspectu, & desiderato vultu ei appareret: ac tandem nimiæ lætitiæ, & compassioni, successit alienatio, *dum anima eius liquefacta est, vt dilectus ei locutus est*, cuius verba suauissima dum audiret in memoria per recordationem, in intelligentia per contemplationem, voluntate in amplexibus Christi per dilectionem raptus est, & in similitudinem Crucifixi transformatus in anima, & corpore. Similiter dum mysteria Sacrosanctæ Eucharistiæ contemplaretur, primùm quidem mirabatur mirabilem amoris Dei inuentionem, in attrahendo ad se humano corde, & in incendendo affectu, cùm miser homuncio non solùm sumere, sed nec videre potuisset Deum in maiestate inter Seraphim, ita vt viueret, placuit, vt illum videre in cruce totum pro se expansum, occultatâ Diuinitate, atque illum sumeret, occultatâ Diuinitate, & humanitate, & sic illum diligeret. Non enim humilis esset, neque opprobrijs afficeretur, neque manducaretur, neque biberetur, inquit S. Bonauentura; hoc igitur primùm mirabatur. Deinde corde dilatato cæpit glorificare Altissimum, de tam paterna circa animas nostras prouidentia, ac tandem extaticus factus, fructus mirabiles extasis degustabat. Prædicante etiam D. Antonio de titulo Crucis, S. Franciscus in modum Crucis cernebatur manibus expansis, totus extaticus; & hæc paucis de gradibus contemplationis.

Isai. 60. n. 5.
Species contemplationis, admiratio, dilatatio, alienatio.
D. Bern. serm. 4. in Cant.
Cant. 6. 5.

25. Iamuerò materiam contemplationis insinuauit D. Paulus, dicens: *Vt consideremus, quæ sit altitudo, longitudo, latitudo, & profundum. O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius!* Incompre-

Quænam sit materia contemplationis?

comprehensibilis sapientia Dei contemplanda est in creatione, redemptione, iustificatione, glorificatione, quæ omninò videtur non cohærere cum sapientia terrena, hæc enim assumit media proportionata ad finem, Sapientiæ autem diuinæ sufficit qualequale medium in ordine ad finem, siue proportionata, siue disparata, & sufficit quòd assumatur à Deo, tanquam instrumentum ad producendum effectum, per ignominiam producit gloriam: Pharisæi enim voluerunt à Christo retrahere populum, atque adeò ignominiosâ morte eum affecerunt, & Deus per ignominiam effecit gloriosum, & per Crucem traxit ad ipsum totum mundum; ignis proprium est ignire, & comburere, assumptus tamen à Deo refrigerauit tres pueros in camino ignis: infirmitatis proprium est debilitare, cùm tamen dicat D. Paulus: *Cùm infirmor, tum fortior sum*; lutum excæcat visum, tamen liniens luto oculos cæci, fecit ipsum videre visum restituendo.

Contemplanda est igitur altitudo sapientiæ Dei. Quid vilius mandibulâ asini? & tamen Deo auxiliante Samson arripiens mandibulam, interfecit mille viros. Quid contemptibilius infidelibus Christo in cruce, vbi non erat aspectus hominis in eo, ita vt eis videretur à Deo derelictus, vnde & dicebat: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* scilicet in oculis hominum, qui me vt rem perditam aspiciunt, cùm tamen passio mea sit instrumentum triumphi tui, qui infirma elegisti, vt confunderes mundum.

Longitudo etiam æternitatis est contemplationis materia, quoniam nunquam est assignare æternitatis finem, durabit enim, quamdiu Deus

Psal. 118. n. 99. durabit, qui in æternum durabit. Latitudo item præceptorum Dei, *latum mandatum tuum nimis*. Latitudo peccati, quæ ex solo Adam in omnes exten-

3. Reg. 2. n. 2. ditur. Latitudo mortis: *Ecce ingredior viam vniuersæ terræ*. Et ingredi quidem labirynthum mortis facilè est, potest enim homo accelerare sibi mortem varijs casibus, & excessibus, sed egredi ex laqueis sine auxilio Dei non potest, mori est facilè, sed bene mori, non nisi ope diuinâ concessum est. Iter mortis arduum, & licet nec primus, nec vltimus est ille, qui moritur, multi enim præcesserunt, multi sequuntur, nulla tamen in hoc securitas, multi ex itinere decesserunt, alij in infernum, alij in purgatorium, vbi profunditas pœnarum contemplanda, atque iudiciorum Dei. Profundum denique, scilicet pœnarum inferni, acerbiùs ruminandi materia est.

26. Vlteriùs modum contemplandi descriptum habemus à D. Dionysio, similitudine ad motum Physicum, qui triplex est: rectus, circularis, &

D. Dionysius lib. 4. cap. de diuinis nominibus. obliquus. Et motus quidem rectus est, secundùm quem aliquid procedit, ab vno extremo ad aliud, vel à medio in extremum. Motus circularis,

laris, qui fit vniformiter circa idem centrum. Obliquus autem ex vtroq; compositus, & qui vtriusque naturam participat. Sub hac methaphora, & similitudine, à motibus localibus desumpta, declarat D. Dionysius modum contemplationis. Motu recto mouetur intelligentia contemplantis, vel cùm considerat extrema, nempe Deum Altissimum, & hominem imum, qui sunt duo poli contemplationis, contemplari Deum bonum, sapientem, omnipotentem, &c. hinc enim emanat amor, & timor Dei, cautio, reuerentia, & cultus diuinus: dum etiam contemplatur aliud extremum, id, quod vilius est in creaturis, scilicet, homo, maximè quòad materiam, quia ex elemento debili infimo aggrauante animam, atque in ima trahente, factus est, & tunc oritur humilitas. Vel certè dum contemplatur alias creaturas, & ex creatis perfectionem Dei, tunc enim à medio procedit ad extremum.

Modus contempl. similitudine motus Physici à D. Dionysio expressus.

Motu autem circulari contemplandus est Deus, vt Deus & Homo. Deus, cuius centrum est vbique circumferentia, nusquam Alpha, & Omega. Sed vt homo factus est pro nobis infirmus, ita vt simul & idem sit fortis, & infirmus: fortis, quia *in principio erat Verbum*; & *Verbo Domini cæli facti sunt*: infirmus, quia *Verbum Caro factum est*. Verbum forte creauit nos: Verbum abbreuiatum redemit nos: Verbum æternum fecit, vt esset, quod non erat: Verbum abbreuiatum fecit, vt, quod erat, non periret. Porrò finis contemplationis est dilectio, & dilectionis quies in Deo. Nihil iucundius etiam in actionibus externis quiete, vt insinuauit Tacitus: *Nemo* (inquit) *est tam promptus in arma, qui non idem quietis pretium, quàm periculi mallet.* Quantò incomparabiliter magis desideranda est quies in Deo, ac perpetua cum cælesti Sponso vnio? ad quam eo ordine adinstar circuli peruenitur, vt primùm necessaria sit diuinæ speciei per creaturas cognitio, hanc sequatur reminiscentia, reminiscentiam dilectio, tandem assecutio & quies: quod etiam Aristoteles attigisse videtur, dum inquit: *Dilectio est initium assecutionis, dilectionis cognitio, cognitionis reminiscentia.* Hæc de contemplatione.

Ioan. 1.
Psal. 32. 6.

Neque tamen de mente S. Francisci, sufficit perfecto Religioso hærere in contemplatione, sed requiritur ab ipso in procuranda salute proximorum actio, quod etiam & Christus Dominus ab eis exigere videbatur, dum eorum perfectionem expressit similitudinibus lucis: *Vos* (inquit) *estis lux mundi*; & methaphorâ salis: *Vos estis sal terræ.* Debent igitur Religiosi esse lux mundi, ita vt non solùm ipsi luceant per contemplationem, sed etiam & alios splendere faciant, vt hac ratione Religio sit *ciuitas supra montem posita*, in qua tota perfectio, & vnio illa cum Deo comprehenditur. Debent esse lux, *sed & tuba euigilans negligentiores in ciuitate, signis militaribus eos-*

admonet, tempus vitæ præsentis, esse tempus militiæ & prælij ineundi cum hostibus infernalibus.

27. Triumphum victoriæ in bellis materialibus præcedunt signa, & hæc triplicia: Vocalia, Semiuocalia, & Muta; quorum Vocalia, & Semiuocalia percipiuntur auribus, Muta verò referuntur ad oculos. In parando triumpho per prædicta signa, vita actiua Religiosorum consistit.

Signa in bello spirituali, quæ ad pugnam excitant, sunt similia signis in bello materiali.

Starouol. lib. 3. Instit. cap. 17.

Vocalia itaque signa dicuntur, quæ voce humanâ pronuntiantur, vt habet Starouolscius. Sicut in vigilijs, vel prælio pro signo dicitur IESVS, vel MARIA, vel vtrumque simul, aut simile aliquod signum datum ab ijs, qui maximam potestatem in exercitu habent, vulgò dicta *Hásło*.

Semiuocalia signa sunt, quæ per tubam, vel cornua, fistulam, buccinam, aut tympana dantur, vel classicum concinendo, vel aliter faciendum, admonendo: nam per talium instrumentorum sonos, debet agnoscere exercitus signa, vtrum stare, aut progredi, vel certè regredi oporteat, vtrum longè prosequi fugientes, aut receptui canere.

Muta demum signa sunt, vexilla partim grandia, partim exigua, in quibus depinguntur varia stigmata, vel Sanctorum, boni ominis causâ, præcipuè Crux Sanctissima, subijciendo ad triumphalem Domini Crucem hæc verba: *In hoc signo vinces*: vel profanas imagines aquilarum, draconum, &c.

28. In bello quoque spirituali non est facilè hostes profligare, inter tot præliorum tumultus, nisi præcedant signa, & illa quæ auribus percipiuntur, quæ dicuntur Vocalia, & quæ ad oculos referuntur, scilicet muta. Ad viros Religiosos, & officium eorum spectat, diuino præcepto, vt prædictis signis parent triumphos Christianis de hostibus eorum, & inprimis signo vocali, in persona Apostolorum. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Signo etiam Semiuocali, scilicet vexillo, saluti animarum deseruire debent, librorum editione, in quibus delineata sit *voluntas Dei beneplacens & perfecta.* Et tandem signis mutis, bonis exemplis, & austeritate vitæ. Vtrobique maximo labore, & industriâ opus est, vt pro necessitate signorum, siue vocalium, siue mutorum, ad victoriam deseruiant.

Religiosi debent Christianis parare triumphos signis bellicis.

Marci. 16. 15. Rom. 12. 2.

Laboriosum opus est Prædicatio, quod est signum vocale excitans mentes hominum ad pœnitentiam, & reconciliandum cum Deo. Ad prædicatores enim dicitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Vt autem hoc fructuosè fiat, magno labore opus est, requirit enim studium, animum, & charitatis feruorem. Studium quidem; licet enim dictum sit ab Apostolo: *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*; sed hoc est, & fuit priuilegium illorum, qui eo digni erant. Et quis scire potest, an sit dignus

Isai. 58. 1.

Matth. 10. 19.

nus illud recipere? ideò opus est oratione, labore, lectione, exercitio, vt inquit D. Augustinus: *Lectio proponit dubia, & oratio illa resoluit.* Opus est labore in inquirenda vtili materia, persimili illi, quam insinuauit Deus per Isaiam, simulque & modum proferendi ipsam, dum ait, *Clama,* &c. *Omnis caro fœnum.* Clama; non satis est in concione loqui submissè, vt fit in conuersatione, oportet vociferari, & non ore tantùm, sed corde. *Quasi tuba exalta vocem,* sonum tangentis organa efficit aër exterior, sed tubam canere facit aër interior ex pectore tibicinum prouen iens. Ita vox prædicationis debet esse ex intimis cordis, quia sola vox cum affectu gaudet effectu. Hinc D. Ioànni dictum est: *Accipe librum, & deuora illum*, vt quæ in eo scripta sunt, ex intimis prodeant. Nec mirum; quoniam iustum est, tam grauem materiam non mussitando, aut submissâ voce proponendam explicare, quæ à solo Deo proponenda præcipitur, sed voce tubæ. Dum etiam Isaias consuluit Deum. *Quid* (inquit) *clamabo.* Et respondit Deus: Relinque materias altas, Philosophicas, Mathematicas, Astrologicas, sume pro themate, *Omnis caro fœnum.*

29. Quales debeant esse Prædicatores?

Apoc. 10. 9.

Optimam quoque prædicandi materiam Dauid insinuauit Psalmo intitulato, pro his, qui commutabuntur, id est, *pro his* (inquit D. Basilius) *quorum vita est continua mutatio.* Translatio Aquilæ habet, *pro folijs*; Simmachi, *pro floribus*; noster Lyranus habet, *pro lilijs*; hæc omnia sunt mutabilia. Folia vento rapiuntur, *contra folium, quod vento rapitur, &c.* flores, & lilia: postquam exsiccata fuerit herba, ex qua pullulant, decidunt: *exsiccatum est fænum, & cecidit flos.* Persimiles materiæ à Prædicatoribus vt assumantur opus est, ita vt de illis dici possit: *Verba vitæ æternæ habes.* Quæ quidem verba Deus ipse inspiret ex propitiatorio. Sicut olim locutus est Deus ad Moysen: *Loquar ad te supra propitiatorium*; vbi Rupertus: *Propitiatorium quoque nobis idem incarnatus est, loquitur per passionem, & mortem suam.* Laboret quantumuis Prædicator in inquirendis subtilitatibus, curiositatibus, profana doctrina, nihil proficiet, *donec intret in Sanctuarium Dei*; futilis labor est, donec cum Dauid Propheta: *Hic labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei*; & quodnam hoc est Sanctuarium quærit Lyranus? & respondet: *Passio Christi Domini*; hæc consummatos facit Prædicatores, famosos, & eruditos, ideò & Christus moriens dixit: *Consummatum est.* Consummata scriptura, quæ de illo erat, dum in cruce expirauit. Si Prædicator omnem laborem suum dirigat, quoadusque expiret, consummatus, & famosus euadet.

30. *Psalm. 60.* Quænam sit optima prædicationis materia?

Ioan. 6. 69.

Exod. 25. 22.

Iamuerò signum semiuocale proferunt, qui libros in lucem edunt, non illos, qui Pòëtas, aut Philosophos, vel Oratores excellentes, sed ex morti obnoxijs immortales, & Deos ex mortalibus faciunt; nimirum in quibus sacræ literæ continentur, quæ sacros faciunt, & deificant, inquit Sanctus Cle-

31. Signa semiuocalia in bello spirituali, est

doctrina scriptis expressa, & tradita. Clemens Alexandrinus, & præcipuè literæ non atramento, sed sanguine Christi exaratæ, ita vt quæcunque scripta sunt, amorem Christi sapiunt, & memoriam passionis eius: vilescant cætera, solus honor Christi, & Passionis eius dulcescat in vexillo Crucis. Laboriosum hoc opus est, sed fructuosum.

Quòd cùm ita sit, mirum non est, quòd præpotens Deus maximis pœnis afficiat librorum contemptores, & violatores. Exemplum sit vel ipse Nabuchodonosor Rex, qui satis rigorosè castigatus est, transmutatione Lib. 6. cap. 8. in brutum animal. Et quam ob causam? Sanctus Gregorius inquit, *quòd propter superbiam. Quia*, (inquit) *elatione cogitationis se super homines extulit.* Theodoretus ait, *quòd propter crudelitatem. Quia* (inquit) *in sibi subiectos* ferino animo fuerat, meritò farina vitâ, & agresti damnatus est.

At Franciscus Feuardensius dicit, quòd propterea, *quia abominabatur libros sacros, & scriptores eorum. Quia* (inquit) *satellites eius, & ministri libros legis combusserant, septem annos, quasi immanis bellua, Regno, hominum consortio, menteque priuatur, & iumentis insipientibus comparatur.*

Viri autem Religiosi rectè comparantur aquilis rationalibus, de quibus dicitur. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ* Vbi fuerit corpus Hierarchiæ Ecclesiasticæ, illuc conuolant aquilæ ad iuuandam salutem animarum scriptis, & libris magna cum vtilitate, siquidem & D. Paulus præfert literas proprias præsentiæ corporali, & verbis, ac sermonibus. *Epistolæ* (inquit) *graues sunt, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* De Iona quoque Propheta destinato in Niniue: *Omnia* (inquit) *facilia sibi videbantur, patriæ priuatio, maris pericula, mercium abiectio, modo à graui, & molestâ* Petrus Berch. in dictionar. morali Verb. Epist. litt. marginali B. *functione docendi eripi queát.* De Apostolis scribit Berchorius: *Plùs* (inquit) *profuerunt Apostoli Ecclesiæ in carceribus detenti, & absentes, quàm liberi, & præsentes. Tunc enim Epistolas scripserunt ad sustentationem fidei, & morum, per quas quantùm in se est, totum mundum conuerterunt: præsentes autem pro paucis regionibus, & populis locuti sunt, quarum multæ à fide recesserunt; Epistolæ autem ad remotas partes delatæ proficiunt, & de die in diem infideles ad Christum conuertunt.* Quare plùs valent literæ quàm verba, magis scripta, quàm dicta.

32. Incomparabiliter etiam superant scripta, & librorum editio, sudorem prædicationis; *quoniam* (vt inquit Gerson Scriptor Ecclesiasticus) *armat,* Gerson. de Script. Tom. 1. *custodit, honorat fidem sanctam, & Ecclesiam, & posteris sal sapientiæ administat: Prædicator* auté præsentibus solùm proficit: Et Ioan: Trithemius ait: Maior est Librorum editio superat prædicationem, & comparatur martyrio. Scriptoris pietas, quàm prædicantis, quia illius cum tempore perit monitio, istius perseuerat in annos multos annunciatio, &c. Et iterum: Scriptores si de Ecclesia tollas, vacillat fides, &c. Et iterum idem ait: Parum valet officiũ prædicantis, si Scriptoris ministerio non iuuetur, &c. Trithe-

Trithemius de laudibus Scrip. cap. 1. c. 6. &c. In lib. quoq; Machab. dicitur: Habentes solatio sanctos libros; vbi Ioan: Cluniacensis de Sanctis tom. 4. serm. 29 Non dicitur habentes Prophetas, sed sanctos libros, quia sine libris, parùm valent Prædicatores.

Hinc Scriptores Ecclesiastici comparantur Martyribus, & sacrificijs, imò ab aliquibus præferuntur merito Martyrij. Vnde & Petrus Berchorius quærit, quid sit laudabiliùs, effundere sanguinem pro Christo, vel atramentum in honorem eius? Quid item laudabiliùs sit, an agere Doctorem, & Magistrum, an mori pro Christo? Sacrificio item comparantur ob duas causas: vna est, quòd quemadmodum ex iugulo stillat sanguis, vt vitam amittat animal oblatum, & moriatur: ita Scriptor librorum vitam abbreuiat, sensus debilitat, & se totum eneruat; deinde paratus est, si opus esset, vitam effundere pro veritate, quam scriptis exarauit. Hinc Moyses ad populum Dei directus preces fundebat: *Audite* (inquit) *cæli, quæ loquor, &c.* & subdit, *fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Vbi Oleaster. *Stillabit vt pluuia doctrina mea*, quemadmodùm fluit sanguis ex iugulo, quia, quòd in libris scripsit, testimonio sanguinis comprabâsset, si fas esset. Hinc Gerson egregiè ait: *Non habent tyranni depopulatores regionum, seu religionum efficacius machinamentum, quam si libris ipsas spoliauerint, atque priuauerint.* *Gerson. de laud. de script. c. 9.*

Hæc acuto ingenio, inter Scriptores celeberrimus D. Bernardus perpendens dicebat: *Ego infelix pauper, & nudus homo, natus ad laborem in plumis, auicula penè omni tempore nidulo exulans, vento expositus, & turbini.* Eò, quòd Scriptores librorum, dum doctrinâ, & calamo volant in altum, murmurationi, & detractioni se exponunt adeò, vt dubitent, quid potiùs agendum sit, an in nido simplicitatis residere, quàm periculoso labori se committere debeant? Verùm sancta rusticitas solùm sibi prodest, doctrina autem scriptis tradita fidem tuetur, & Ecclesiam ædificat.

Quòd cùm ita sit, non pœniteat tanti laboris in scribendis libris, hic quippe labor non solùm sibi prodest, sed totam Ecclesiam ædificat, contemnat obtrectatores, solo Diuinæ gloriæ augmento lætetur, & meritum à Deo perenne expectet.

Tandem signis mutis, scilicet bonis exemplis, quæ oculis hominum patent, & ad victoriam de hostibus animæ disponunt Christianos, viri Religiosi splendent; plùs enim valent exempla, & magis mouent, quàm verba. Et quanquam D. Damascenus persuadeat Religiosis, vt potiùs in monasterijs in quiete viuant, quàm inter sæculares, annuntiando pœnitentiæ gratiam, conuersentur. *Euoluta sunt iam tempora,* (inquit) *quibus Religiosus sæcularibus possit rectè consulere, & ideo salubriùs est illis ad propriam conscientiam,* 33. Bona exempla Religiosorum, sunt signa muta, quæ parant Christianis triumphum.

& sa-

& salutem attendere, quam alienam procurare. Credite (inquit) *experto, credite fatigato, qui hoc tempore ista prosequitur, tanquam si semina crederet arenosis littoribus, & in particulari, ne adulenter Principibus, rigorosè prohibet. Nolite Monachi aures Principum velut salutaria suggerendo, fastidiosâ importunitate pulsare: & tandem concludit. Tutiùs est nobis in littore naufragantibus lumen apponere, quàm propriâ non contentos conscientiâ, alienæ saluti consulere, & sub nido hirundineo superpositos dormire, & excæcari nido hirundinum.* His tamen non obstantibus, licitum est bonis Religiosis, exemplo suo sæculares ad pænitentiam inuitare, & salutis pignora annuntiare: quoniam, vt inquit Gregorius. *Præstantior existimanda est pulchritudo illa, quæ oculis cernitur, quàm quæ penicillo sermonis depingitur, & sapientia, quæ operibus indicatur, quàm quæ verbis splendescit. Intellectus est enim bonus facientibus eum, non item prædicantibus.* Maximè verò animantur ad pœnitentiam Christiani vigilijs, atque excubijs Religiosorum, disciplinis, sobrietate, frugalitate, vestium rigore, alijsque, quæ ad bonos Religiosos spectant, obligationibus, oratione, exteriori compositione, ieiunijs, & similibus: quæ dum cernunt in ipsis sæculares, tanquam homines de cælo missos admirantur, & imitantur.

34. Ex his, quæ hîc prolata sunt, duo colligere licet: vnum est, quàm ineptè, atque imprudenter Hæretici, atque aliqui ex Pseudopoliticis blasphemant, dum aiunt, calumniando viros Religiosos, homines Dei seruitio addictos, & contemplationi, ac lectioni Sacrarum Scripturarum vacantes, otiosos esse; quippe Christus operari, & segnitiem fugere, & vocationis suæ munijs fungi, vnumquemque nostrûm docuit. Nunquid otiosos ad laborandum in vineam non inuitauit? nunquid exemplo proprio otium vitandum non docuit? IESVS (inquit Euangelista) *ex itinere fatigatus, sedebat sic supra fontem.* Non nego inter Christianos studia literarum, & vitam contemplatiuam promoueri, sed hominem acquirendæ scientiæ deditum, quis sanæ mentis otiosum dicet? qui postquam aliquandiu in studijs priuatis sudauit, eructat, quòd ex sacris literis hauserat. Non nego Christianam Religionem, contemplatiuam vitam probare, sed otiosam minimè: siue enim Christiani fuerint Pastores, siue Doctores, siue ad aliquod aliud munus vocentur, non tantùm contemplando, sed etiam aliquid aliud agendo, communi omnium vtilitati deseruiunt. Quare abominabilem stultitiam esse, acediam, ac otiosum hominem, inutilem in omni statu, & conditione hominum, Christianopolitici communi consensu affirmant, nec aliquid maiori reprehensione dignum in homine otio, testantur; qui tamen recreationes, ac solatia animi permittunt. Nihil magis nociuum Reipublicæ esse iudicant, quàm otium. Hinc est, quòd antiqui Rerumpublicarum gubernatores, otiosos vel asperè castigabant, vel

Hæretici peruersè incusãt Religiosos, contemplationi, librorum editioni, & prædicationi, quòd sint otiosi.

Ioan. 4. n. 6.

vel procul à Republica propulsabant. Argiui, (vt refert Alexander) si aduertebant aliquem hominem pigrum, & otiosum, ab eo rationem victus exigebant, vnde victum acquireret, & amictum procuraret.

Solon inter alias leges illud instituit, vt quilibet otiosum coram Magistratu accusare posset. Ægyptij quoque imitando Solonem seuerè puniebant eum, qui vel vnicam diem otiosè transegisset, taliter & Christianopolitici fieri debere suadent. Nec immeritò; quia etiam ipsa natura abominatur otium. Illa etenim tolerat animalia venenosa, in terra serpentes, scorpiones, basiliscos, feras crudeles, panthæras, tygres, aues rapaces, animalia quæque vilissima, & hominibus molestissima, muscas, & alia huiusmodi fouet, pascit, & alit. Porrò otiosum tolerare refugit, vt communis consensus Philosophorum testatur, dum affirmant, naturam potiùs permissuram, vt cælum, & terra rueret, quàm admittere vacuum dari in terra, quia in eo nulla esset operatio. Magnæ igitur inscitiæ arguendus est Machiauellus, quòd nesciat distinguere inter quietem, & otium, inter operationem spiritualem, & corporalem. *Anima quiescens, est sapiens*; inquit Philosophus. Otium autem in eam stultitiam deducit hominem, *vt compliet manus, & comedat carnes suas,* dixit Salomon. Et D. Paulus ad quietem hortatur Christianos, dicens: *Rogamus vos fratres, vt quieti sitis.* Non est, quòd Pseudopolitici lamententur de viris Religiosis, quieti, scientijs, & contemplationi deditis, vt solent, imitando Pharàónem, à quo, dum postulâssent Isràélitæ, vt possint abire in desertum, & Deo sacrificare, respondit ille: *Vacatis otio, & idcircò dicitis, Eamus, & sacrificemus Domino.* Nunquid sacrificare Deo, ipsumque laudare, atque honorare, est otiari? Nunquid dare operam scientiæ, est segnitie tabescere? Hæc sunt, ad quæ præcipuè attendunt Religiosi contemplationi dediti, vt Deo sacrificent, intellectum scientijs nobilissimis exornent, & conscientiam quietam efficiant. Sanè tormento conscientiæ nihil peius, nunquam quiescit homo malæ conscientiæ. Vindicta carnis impij, ignis, & vermis.

35. Quam graui pæna afficiebantur otiosi.

Eccl. 4. 5.

1. Thess. 4. 11.

36. Quænam vita sit perfectior actiua, vel contemplatiua?

Aliud, quod ex supradictis colligitur est, quis nam splendor sit, & lucidior, num vitæ actiuæ, vel contemplatiuæ? Opinio Nazianzeni est, *quòd cùm vita actiua sit laboriosior, superet contemplatiuam. Studio* (inquit) *contemplationis alumnum superat, qui actiuâ virtute instructus est, vt potè laboriosior.* D. Paulus etiam dum contemplationi institit, *raptus dicitur ad tertium cælum, & inde gloriam Dei rimatus est.* Ad tertium vsque cælum peruenit, sed cælestia penetralia non intrauit, qui iubebatur operi, & labori incumbere, atque viriliter in studio decertare, inquit D. Cyrillus. Imò descendit Paulus iterum, non quòd dignus esset conuersatione cœlesti, sed vt gustatis supercœlestibus, honoratus descendens Christum prædicaret, & pro ipso moriens, coronâ

martyrij condecoraretur. Et reuerà contemplatio addit alas, ſed actio coronat opus. Huius etiam rei ſymbolum habemus in Euangelio, D. Ioannem, & Sanctum Petrum: *cùm enim Petrus, & Ioannes currerent ad monumentum, Ioannes primò præcurrit, Petrus poſteriùs, ſed ille non intrauit in monumentum, quouſque Petrus introiſſet*, volant quidem, & præcurrunt contemplatiui, atque feruentes, in actione viuunt, in requiem Domini feliciùs ingrediuntur. Accedit, quòd ſicut initium contemplationis, eſt laudabilis operatio, ita & complementum. Ideo glorioſus Patriarcha noſter S. Franciſcus, zelo Dei ductus, & ſalutis animarum, non ſolùm ſibi viuere, ſed & alijs proficere voluit, in quo etiam fratres, & diſcipulos ſuos proprio exemplo edocuit: nouerat enim, quòd poteſt contemplatiuus perpeti volatu cæleſtia attingere, ſed non admittitur ad coronam, niſi, qui in ſtadio deſudauerit, & proprijs operibus, atque exemplis, proximos ædificauerit.

Ioan. 20. 4.

CAPVT III.

Splendor ſtatus virginalis aſſimilatur ad Angelos, quoad puritatem, & vigilantiam, qui ſunt Spiritus tertij Ordinis, tertiæ Hierarchiæ.



SPlendet virgineo decore cælum, & Eccleſia triumphans, ſplendet & Eccleſia militans; quippe duæ ſunt beatitudines: alia in cælis, in terris alia, illa implet cælorum Principes, hoc in virginibus radiat, vtræque ſibi ſimiles, & pœnæ pares, adeò, vt ſicut cœleſtis beatitudo non admittit aliquid coinquinatum, ſed omnimoda puritas, & ſanctitas ad illam ſola accedere valet; ſic neceſſe eſt nunc & in Eccleſia militante, vt omnigenâ puritate, & ſanctitate præparetur, quæ aptatur beatitudini. Imago gloriæ cœleſtis in virginitate exprimitur, nec aliud de cælo venientem Deum excepit in Eccleſia militante, quàm virginitatis gloria, nec Deus è cælo ad aliam confugit, niſi ad virginem, quia nimirum in virginitate cœleſtis gloriæ imaginem expreſſiſſimam inuenit. Quò ſpectat illud D. Thomæ. *Ad hoc Dei filius veniebat in mundum carne aſſumptâ, vt nos ad reſurrectionis ſtatum promoueret, in quo neque nubunt, neq; nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo*: vnde & continentia eſt gloriæ futuræ imago. Ad Virginem venit è cælo Dominus, in qua cœleſtium etiam inueniret imaginem, & virginitatem hominibus perſuaſit, vt in eis oſtendat virtutem, quæ cœleſtes glorias poſſit in terris repræſentare. Nec immeritò virginitas habetur futuræ gloriæ imago; quando nec coinquinationem per ſe admittit, ſed eam amat puritatem, quâ ſola beatitudo gaudet.

D. Thom. opuſ. 221.

37. Quare ſtatus virginalis in Eccleſia Dei, eſt tanti ſplendoris, vt præ dignitate

nitate laudari non possit. Vsus & consuetudo est orationibus, quòd cùm rem aliquam pro dignitate laudare volunt, figurâ, quam Hyperbolen vocant, vtuntur, quâ exprimi solet, per comparationem ad aliud, excellentia rei. Sic dicimus aliquid esse candidius niue, dum candorem illius exprimere volumus. Quod genus eloquij cùm in omnibus aliis, quibusque rebus plurimùm valeat; si tamen excellentiam castitatis quis commendare vellet, Hyperbolen non inueniet. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Non est pondus, non est numerus quorumcunque bonorum, quarumcunque diuitiarum, qui æquiualeat in pondere & mensura excellentiæ huius virtutis: vbi nostra vulgata legit: *Omnis ponderatio*; Septuaginta habent: *Non est autem ponderatio*, Nec mirum, quia virginitas, & castitas est splendidissimum humanæ naturæ decus, quâ natura humana maximè ornatur, & pulchritudine fulget, atque decorem induit, vt loquitur Propheta: *Dominus* (inquit) *regnauit, decorem indutus est*; assumptâ scilicet naturâ humanâ Virgine, ex qua singulare decus, & ornamentum extrinsecum refulsit, ideòque non est ponderatio castitatis, non est comparatio, nisi ad Angelos tertij ordinis in Hierarchia tertia, in quibus duo persimilia virginitati cernuntur: nempe Puritas, cùm sint puri Spiritus; & Vigilantia, siquidem à S. Scriptura vocantur vigiles: *In consilio* (inquit) *vigilum decretum est.*

Status Virgin. præ dignitate laudari non potest.

Eccli. 26. v. 20

Psal. 92. v. 1.

38.

Cæterùm Clemens Alexandrinus statum virginalem comparat coronis, floribus, sacrificijs, aromatibus, &c. sic enim ait: *Hæc sunt coronæ, sacrificia, aromata, & flores Dei.* Incipiamus à floribus: *Apparuerunt* (inquit) *flores in terra nostra*: certum est, quòd non loquitur de floribus materialibus, quos quotidie videmus produci à terra, & in terra; nec loquitur de vita mortali hominis, quæ ob debilitatem per methaphoram florum exprimitur, tum ab Apostolis, tum à Prophetis. Sanctus Iacobus: *Quoniam sicut flos fæni transibit.* Et Sanctus Petrus: *Tanquam flos fæni exaruit, fænum & flos eius decidit.* Isaias: *Omnis caro fænum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Dauid: *Homo sicut fænum, tanquam flos agri sic efflorebit.* Vtrobique duo insinuantur. Fragilitas, & breuitas vitæ humanæ. Fragilitas quidem, quia nihil fragilius flore, qui etiam ipso manus tactu marcescit, nihil minus durat quàm flores, qui orto sole producuntur, & recedente siccantur, maximè flores agri, qui innumerabilibus periculis expositi sunt, ab auibus decerpuntur, ab animalibus conculcantur, à sole siccantur, ab apibus colligentibus, vel spiculis deturpantur, à transeuntibus carpuntur.

Clemens Alex. lib. 3. Pedag. cap. 12.

Status virginalis comparatur coronis, floribus, sacrificijs, aromatibus odoriferis.

Iacob. 1. 10.

1. Petr. 1. 24.

Psal. 102. 15.

Satis fragilis est pupilla oculi humani, quam res minima lædit; satis fragile est vitrum, quod flatu hominis producitur; satis debilis est vapor ad modicum parens: debilior tamen his omnibus flos agri, & vita homi-

nis. Vnde dicebat Dauid: *Custodi me vt pupillam oculi*, quia pupilla oculi offenditur aëre, aquâ, puluere, &c. nec vitro fortior est homo, quia etiam spiraculo producitur, vt & vitrum. *Et inspirauit in eum spiraculum vitæ.* Homo factus de terra nihil aliud fuit, nisi vna statua rudis, & insensibilis, quomodo ergo viuificata, & animata est, & accepit vitam, nisi flatu & spiraculo Dei? *Et inspirauit, &c.* Quod autem flatu productum est, & inspiratione, quam firmitatem habere potest? cæli, atque orbes cælestes verbo Domini producti sunt, & homo spiritu oris eius, imo spiritu narium eius, quo nihil debilius. Hinc teste sacra Scriptura Isa. 2. 22. *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius desinit.* Sed ad nostrum propositum spiritus, qui naturam aëris habet, significat vitam; dum ergo dicitur *spiritus in naribus eius*, insinuatur, quòd vita hominis sit persimilis respirationi narium, quæ est debilior spiritu oris; tandem non est firmior vita hominis *vapore de terra ascendente ad modum nebulæ, quæ ascendit, & statim euanescit, atq; dissoluitur, & ad modicum parens à sole consumitur, à vento tollitur, & ab aëre, ac vento in nihilum redigitur.*

[Gen]. 2. 7.

39. [Q]uot homo [pr]oductus flatu, seu inspiratione est [debi]lis vitro, [q]uod similiter [p]roducitur, & [vi]ta hominis [res]p. debilior [spira]tio.

Verùm non de his floribus materialibus loquebatur Propheta, cùm dixit: *Apparuerunt flores in terra nostra*; Sed de floribus Diuinis, Angelicis, & spiritualibus: quod enim quotidie cernitur, non est admirationis materia; flores autem materiales de terra producuntur, in terra florent, & marcescunt: hoc idem de vita hominis, quæ similiter floribus assimilatur, dicendum.

Alios igitur flores cogitabat Propheta, dum dixit: *Flores apparuerunt*; flores diuinos, quorum locus proprius est cælum infinitæ pulchritudinis, qui nunquam marcescunt. *Florem diuinum Sanctissimæ Triadis, & Christi Domini*, vt inquit Nazianzenus. *Prima Virgo Trias est, siquidem patre nata Anarcho. Principium status virginalis est Trinitas, Deo non potest attribui nomen Prophetæ, non potest attribui nomen Apostoli, quia Apostoli interpretantur missi, Deus autem mittit, non mittitur: non potest attribui nomen Confessoris, aut Martyris, esto sint magnæ dignitatis: solius Virginitatis nomen Deo competit.* Prima Virgo Trias est.

Sunt & alij flores cælestes ordinis & Hierarchiæ Angelicæ, sunt item flores Virginitatis, & quia talibus floribus locus cælum est, ideò iuremeritò miratur Salomon: *Flores apparuerunt in terra nostra.* Olim enim totus
Cant. 2. n. 12. mundus post carnis concupiscentias abiêrat, & spurcitias carnis sequebatur, non cernebantur flores spirituales in terra, locus eorum erat cælum, ideòque Astrologi non in terra, sed inter signa Zodiaci (quibus regitur mundus, quippe

Per duodena regit mundum sol aureus astra.)

posuerunt florem Viginitatis, signum quod appellabatur *Virgo*. Non cernebantur in terra lilia spiritualia, quousque ille cælestis Architectus, seu

Hortu-

Hortulanus plantauit hortum amœnissimum in terra, & posuit, atq; fundauit fasciculum, liliorum manipulum, quem adorabant in cælo fratres Ioseph, scilicet fasciculum Castitatis, non vnum, sed plures, tot, quot Virginum cernere est cænobia ligata votis essentialibus. Hi flores Ecclesiæ, flores Virginitatis, decore suo superant cunctos flores materiales, atque cunctos mundi ornatus. *Considerate* (inquit) *lilia agri* Christus Dominus, *quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coöpertus est, sicut vnum ex istis.* Vicit Salomonis ornatus splendorem omnem mundi alium, & pulchritudinem, sed ipse ab vno ornatu liliorum vincitur, quæ sunt typus virginei splendoris, & decoris. Hinc inquit D. Paschasius: *Rectè Virginitas, quæ Angelis comparatur, per lilia exprimitur, & per ea in Scripturis præfiguratur.* Et ideò dixit Dominus, quòd *nec Salomon in omni gloria sua coöpertus est, sicut vnum ex istis.* In quibus nimirùm floribus renitet intùs floris veri incorruptio, & pulchritudo per claritatem internæ castitatis. Itaque lilia spiritualia sunt Virginitatis gloriæ, quæ in ornatu possunt excedere ornatissimum quenquam, adeò, vt floridâ virginitate consideratâ, etiam gloriosissimi Salomonis vilescat, sordescatque splendor. *Matth. 6. 29.*

40. *Status virginalis comparatur coronis, & aromatibus odoriferis.* *Beatissima Virgo coronata fuit stellis.*

Vlteriùs Clemens Alexand. *statum Virginum comparat coronis. Corona est signum gloriæ, maximè si est compacta ex virtutibus, neque enim solùm diademata fiunt ex auro, & gemmis, verùm etiam ex floribus, & spinis; nam & Christus Dominus fuit coronatus spinis, ex quibus emicabant flores digni Deo, nimirùm fideles castè viuentes, & pœnitentes.* Beatissimam Virginem Mariam legimus *coronatam stellis, & lunam sub pedibus eius*, & quidem stellæ, quæ sunt in firmamento, imò & planetæ, sunt symbolum stabilitatis, & immutabilitatis: luna verò est typus omnis mutationis, ideòque Virgines stabiles in propositis sanctis, in seruitio Diuino esse debent, quæ si ex corde contemnunt quicquid in mundo cernitur iucundum, & mutabile, lunam sub pedibus habent, & dignæ sunt, vt sint Corona Christi. Nec solùm Corona, sed aromata suaui odore virginitatis sanctæ flagrantia, inquit idem, atque sacrificia, ex quarum conuersatione, oratione, contemplatione, odorifera suffimenta procedant in odorem suauitatis in conspectum Dei. Olim abominabiles idolatræ *immolabant filios, & filias suas demonijs*; in lege verò Christiana, & Ecclesia Catholica immolantur, seu offeruntur, & consecrantur filij, & filiæ Dei seruitio, dum dedicantur in seruos perpetuos Christi Domini, etiam ex familijs sanguine claris, sed religione, & pietate clariores. *O quàm pulchra, & casta est generatio cum claritate*, inquit Scriptura.

Post diluuium, & ante aduentum Christi totus orbis terrarum fœtidus, & malè olens, tum cadaueribus hominum, tum bestiarum insepultarum e-

rat, quem tandem Noë suaui sacrificij flagrantiâ impleuit, & abominationem sustulit, post cuius obitum iterum infectus orbis idololatriâ,& voluptatum libidine, atque peccatorum fætore,& pestilentiâ, necesse erat, vt sacrificio in Cruce oblato, suaui odore recreâretur, propterea & sacrificium,non absque mysterio,in monte Caluariæ oblatum est, vbi erat sepultura latronum, vt dum ossa, & putredo illorum, insuaui odore aëré pestilentiâ inficiebat, Christi (seipsum Deó offerentis in sacrificium) suauissimo odore recreâretur. Inficiebat quoque cor Christi Iudæorum clamor, & fœtidæ blasphemiæ, ideòq; fuit necesse, vt Augustissima, & Sanctissima Virgo Maria assisteret Cruci, ad lætificandum cor Christi.

Peccata tandem Christianorum varia, & abominabilia, quibus *iterùm Christum crucifigunt*, vt inquit D. Paulus. Fœtido item odore afficiunt Ecclesiam triumphantem, ideòque necesse fuit, vt in Ecclesia militante essent odorifera aromata, & suffimenta, atque sacrificia in odorem suauitatis, nimirùm status virginalis, cuius splendores, etsi ex modo dictis clarè pateant, alios tamen præter prædictos duos status virginalis splendores illustrare mens est, scilicet, puritatem,& vigilantiam.

41. Et puritas quidem status virginalis, vel ex sola comparatione ad Angelos intelligi potest. Angeli siquidem sunt puri Spiritus ab omni labe, & corruptione alieni, eâdem ratione & status Virginum: nam castitas est virtus, quæ ex hominibus Angelos facit. *Viuere enim in carne sine carne, Angelicum est*, inquit S. Hieronymus. Imò quò ad aliquid perfectiores videntur homines casti ipsis Angelis; nam Angeli hostes castitatis non sentiunt, nec ab eis impugnantur: homines autem casti impugnantur ab hostibus domesticis, cùm concupiscentiæ fluctibus agitantur, impugnantur ab hoste infernali, & per instrumenta ad impugnandum hanc virtutem assumpta, & per concupiscentias quas concitat, & intendit, ita vt non aliter prædicti hostes superari possint, nisi castigando, & refrœnando concupiscentias, vnde etiam Castitas nomen sumpsit: magister castigat discipulum, emendat, dirigit: sic corpus humanum, & concupiscentiæ eius castigandæ, moderandæ disciplinis, ieiunijs, orationibus, & præcipuè meditatione Passionis Christi, quòd magni laboris opus est, quem non sentiunt Angeli, quibus assimilantur Virgines castæ.

Status virginalis comparatur ad Angelos, quò ad puritatem, & vigilantiam. *S. Hieron. ad Eustachium.*

Alius status virginalis splendor est Vigilantia, in quo etiam assimilantur Angelis Virgines, qui cùm sint puri Spiritus, in sacra Scriptura *Vigiles vocantur. In sententia vigilum decretum est* inquit, & Sponsa de se ait: *Percusserunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.*

Danie.4.v.14.

Duo autem sunt præcipuè, circa quæ inuigilare debent, nimirùm, ne hostis ipsarum claudat ianuam Regni cælestis, & ostia misericordiæ Dei

deinde, ne lucernas earum extinguat. *Incredibile est, quanta sit malitia dæmonum erga homines, siliquas draco præbet obedientibus sibi. Vitricus enim cùm sit, alienis filijs non parcit*, inquit S. Ephrem peccatoribus compatiens. Non satis erat, quòd filium prodigum malè tractauerit dæmon, siliquis pauerit, verùm & ianuam misericordiæ hominum erga illum clausit, quia *egebat, & nemo illi dabat*, nullus auxilium illi ferre poterat.

S. Euph. hom. de pace.

42\. Virginibus fatuis *clausa est ianua*, non est tamen sentiendum, quòd Christus eam clauserit, qui aperta viscera, cor, & latus, gestat erga peccatores, eosque suauissimis verbis *inuitat ad nuptias Agni*. Inexhausta est misericordia Dei, & quantò plura offert, tantò maiora promittit, & ad maiora inuitat. Si enim hominis potentis generositas est, geminare beneficia sua, vt dicebat Theodoretus Rex, teste Cassiodoro: *Amamus* (inquit) *nostra beneficia geminare. Conferre beneficium iucunditas, non fastidium est potentibus, nec semel præstat largitas collata fastidio.* Quantò magis Christo Domino id competit? qui collatis temporalibus, quæ sunt quasi initia gratiæ eius, confert gratiam sanctificantem, post gratiam merita, post merita inenarrabilem gloriam, largitus est nobis vitam in Cruce, largitur quotidie in sacrificio incruento, vbi ex vi verborum talis est, qualis fuit in Cruce. Infinitæ sunt opes Christi, terrenorum Principum defectum multoties patiuntur, ideòq; faciliùs est Christo beneficia sua geminare: sicut autem Christus geminat sua beneficia, ita dæmon geminat suam malitiam, maximè vt claudat ostia cordis humani, & sensus, atque ita in obstinationem miser homo deueniat persuasum habens, iam sibi esse clausam ianuam cæli, quoniam nec Deum corde cogitare, nec mente, & oculis cruci affixum cernere, nec eius misericordiam audire, nec suauitatem cælestis gloriæ degustare, nec auxiliorum diuinorum vim sentire potest, atque ita, vt iumentum pellitur, & trahitur in infernum à dæmone.

In morte clauditur ianua illis, qui in peccato decedunt, hanc tamen non claudit Christus, sed dæmon vtraque manu.

43\. Claudit autem prædicta ostia vtrâque manu, nempè mortis, & peccati, quare magnâ vigilantiâ opus est. Sanè vigilantis animi mors, non est mors dicenda, siquidem, qui vigilans inuentus fuerit die mortis, sic mortem deludet, vt eius mors non sit mors, sed sola mortis vmbra; qui moriuntur in gratia Christi, dicere possunt cum Psalmista: *Coôperuit nos vmbra mortis.* Hinc D. Gregorius: *Quos enim constat non spiritu, sed solâ carne mori, nequaquam seuerâ morte, sed vmbrâ mortis dicuntur operiri.* Qui in Christo moriuntur, adeò in ipsa morte vigilant, vt & mortui audiant vocem Filij Dei, & illis non mors, sed mortis similitudo accidit, salutis verò non similitudo, sed veritas, quoniam, qui ita vigilant, vt cum lampadibus luminosis, & lucentibus inueniantur, non erit ibi mors, sed mortis quædam similitudo in vera acquisitione æternæ vitæ. Et Christus quidem Dominus verè mortu-

Quibus mors non est mors, sed vmbra mortis?

Psal. 43. n. 31. 20.

D. Greg. lib. 4. Moral. cap. 17.

Apoc. 5. n. 56. mortuus est, & tamen in Apocalypsi de illo dicitur: *Et vidi, & ecce in medio Throni, &c. agnus tanquam occisus.* Non dicitur absolutè *occisus*, sed *tanquam occisus*, subijciturque causa: *quia habuit oculos septem*, qui scilicet tot oculis vigilaturus erat.

Iob. 21. n. 32. Acerba mors videtur, sed iustus, teste Iob, *in congerie mortuorum vigilabit*, &
Iob. 20. 12. quo fructu, subdit, *circumdabunt eum salices torrentis.* Vigilanti enim nihil durum, & amarum mortis torrens affert, sed amaritudine mortis abolitâ, mors dulcis fit, acsi non sit mors; Meritò de Virginibus exeuntibus cum
Matth. 25. n. 5. lampadibus obuiam Sponso dicitur: *Dormitauerunt omnes, & dormierunt.* Qualis autem sit hic somnus, explicat D. Hilarius: *Expectantium somnus, credentium quies est, & in pœnitentiæ tempore, mors temporalis vniuersorum.* Vnde fit, vt vigilantibus diabolica manus, scilicet mors, & altera quæ est parens mortis, scilicet peccatum, nocere non possit, scilicet in pœnitentia.

Aliud super quo inuigilare vel maximè debent, ne lampades, & luminaria, cum quibus Virgines obuiare debent Sponso, dæmon extinguat, conatur enim, & multùm satagit, vt vel per defectum olei, scilicet bonorum operum, vel per aëris infernalis flatum, vel per consumptum lychnum, lampades earum extinguantur. Per defectum quidem olei, scilicet bonorum operum, nouit enim quòd nec castitas magna est sine bonis operibus, nec bonum opus est sine castitate: restat ergo, vt in vtraq; perfectione sese exerceant, & castitatem orationibus, ieiunijs, mortificatione, &c. promoueant, atque conseruent, & bonis operibus continuò inuigilent. Ne etiam extinguantur lampades aëre infernali vanæ gloriæ, & superbiæ, occurrendum est humilitate, alijsq; virtutibus, ne bonorum faces operum maledicentis ore extinguantur, flatu inuidentis, detrahentis, persequentis. Stellis tenebræ nocturnæ non nocent, quin potiùs splendere faciunt, sic maledicentes clariores reddunt seruos Dei. Lychnum quoque triplicatum in lampade, ne luceat impedire, scilicet trium votorum integritatem rumpere conatur dæmon, ideò ad hoc summopere attendendum est, neque enim lumen absque lychno conseruari potest, vt continuò luceat.

44. Qui moriuntur, lucernas ardentes tenent in manibus ad protestandum, quòd moriuntur in Fide, Spe, & Charitate, quas virtutes significant lumen, cera, & lychnus. At Christus Dominus vult, vt non solùm morientes, sed & viuentes Virgines, & in vniuersum, Christiani teneant lucernas in manibus, & ita se habeant, acsi essent exhalantes animam, quò ad sensus corporales. Vult vt terrenas vanitates contemnant, oculi ne videant illicita, auditus obsurdescat ad voces rerum mundanarum, vt moriatur lingua, & frœno cohibeatur, ne loquatur nisi id, quod spectat ad laudem

Qui moriuntur, quare lucernas in manibus tenent? imò & viuentes Christiani, ita se habere debent, acsi

laudem Dei, & peccatorum ſuorum confeſſionem, vt moriatur cor, ne moriantur, dum viuunt.
effundatur in terrena deſideria, & illicitas concupiſcentias; & in ſumma, tales eſſe vult Chriſtus viuentes, quales ſunt illi, qui in articulo mortis animam expirant, nihil loquantur quod Deum offendat, vix aliquid audiant, ſolis gemitibus ad Deum clament, in ſolum Chriſtum crucifixum, qui tunc illis aſpiciendus porrigitur, oculos dirigant, & miſericordiam Dei implorent, & hoc eſt, lumen in manibus, etiam dum vita ſuperſtes eſt, tenere.

Præceperat olim Deus. *Ignis in altari ſemper ardebit.* Ad quid? Reſpondet Leuit. 6. n.12.
Philo, quia ſignificabat gratitudinem, quæ nunquam deficere debet, ſicut nec beneficia Dei deficiunt, ſed ſemper conferuntur. Meritò, inquit, vt arbitror. *Nam quia perennes Dei gratiæ nunquam deficiunt, nunquam interimuntur. Et ſicut tunc noluit extingui ignem in altari, ita nunc vult, vt in vita & morte luceant ſplendores ſtatus Virginalis bonorum operum, & non extinguantur demerito ſuperbiæ, vanitatis mundanæ, &c.*

Per oppoſitum diabolus, vt ait Gregorius: *Dum intus dominium perdit, bella* Greg. lib. 17. Moral. cap. 8.
molitur foris. Et quia (vt idem ait) *nouit id, quod nocet corpori, & quod iuuat ſpiritum, & è contra; ideò deſiderium vniuſcuiuſq; conſiderat, & ſecundùm quod videt hominem deſiderantem aliquid, ex eo accipit occaſionem tentandi. Sanè peruicaciſſimus hoſtis eſt ſenſus* 45.
hominis, hunc detinere vult in illicitis, vt ſic extinguat lucernam bonorum operum. Et tunc maximè ſæuit, cùm hominem planè ſentit liberandum, tunc plurimùm accenditur, dum deſiderijs extinguitur, inquit Tertullianus.

Quantum inſidiatur diabolus homini morienti, & qualiter ei reſiſtendum.

Antiquum eſt illud, quod Deus ad ſerpentem locutus eſt: *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* Calcaneum eſt extrema pars pedis, & mors eſt extremum vitæ, tunc ergo vel maximè inſidiatur antiquus ſerpens, quoniam, cùm plantam ferit, totam morientis hominis baſim deſtruere conatur, tunc ardentes ſagittas immittit. Verùm, ſi lumen diuinum ardet, nihil verendum eſt, quin potius dicendum: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Si de manu Dei, & Cruce Domini luminoſas ſagittas diuini amoris excipio.

His ſplendoribus, lucidiſſimiſq; virtutibus, Puritatis, & Vigilantiæ, in Eccleſia Dei fulget Virginalis ſtatus, ille vel maximè, qui in baſi trium votorum erectus, integerrimè conſeruatur. Hic præterita illa ſæcula confundit, in quibus regnabant vitia inhoneſta, vnde dicere poteſt Eccleſia S. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Vox turturis, quæ eſt ſymbolum caſtitatis, auditur in Eccleſia, quoniam ita promouetur honeſtas profeſſa, vt admiratione dignum ſit, teſte D. Ambroſio: *Noſtra, quaſi admirans, quod* S. Ambr. lib. de Iſai. cap. 5.
vbi ante impudicitia, ibi nunc caſtitas, vbi fætor immunditiæ, ibi odor ſuauitatis. Odor ſuauitatis eſt cor, quod glorificat Deum, inquit Clemens Alexandrinus. Vnde feli- Clem. Alex. lib. 3. Pedag. c. 12.

cissima Respublica Christianorum, siquidem vt ait Seneca: *Consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores fiunt.* Confudit etiam præsentis temporis hæreses, maximè voluptuosum illum Prædicatorem Martinum Lutherum, qui sordibus suis infecit Europam, vt habet Piasecius.

CAPVT IV.

Splendor status Vidualis ex assimilatione ad Angelos, quòad pietatem, & diligentiam, in educandis infantibus, & pupillis.



46. Status viduarum assimilatur Angelis ob pietatem.

QVemadmodum status Virginum assimilatur Angelis tertiæ Hierarchiæ ordinis tertij, ita & status Viduarum, diuersâ tamen ratione: status Virginum ob puritatem, quâ sicut Angeli, ita & Virgines fulgent; status verò Viduarum propter pietatem, hinc ad statum Ecclesiasticum, ac protectionem eius recipiuntur Viduæ, referente Doct. Seraphico: *Quantò* (inquit) *Viduæ bene viuentes virorum solatio sunt destitutæ, tantò eis enixiùs, Ecclesiæ est impendenda tuitio.*

Porrò Pietas Angelorum erga genus humanum tanta est, vt nullo malo vnquam afficere sciant genus humanum, sed continua beneficia largiri: si enim inter homines reperiuntur tantæ bonitatis homines, tam generosi, quòd ignorent lædere quenquam, sicut è contrariò reperiunrur aliqui tam malitiosi, qui etiam cum benefacere volunt, offendunt, & cum laudare intendunt, vituperant. Hoc idem cernere est inter Angelos, boni quidem nesciunt nisi benefacere, & si aliquando immittant tribulationes & pœnas, id operantur, vt ministri prouidentiæ Dei ad melius esse ipsius hominis: è contrariò verò Angeli mali & dæmones nihil aliud cogitant, nisi vt mactent, & perdant, & si aliquando iuuent homines, id non alio faciunt fine, nisi vt noceant, & imperio suo eos subijciant.

47. Pietas Angelorum erga homines maxima, ita, vt difficilè sit certare cum ipsis, quò ad pietatem.

Longum esset retexere in particulari multitudinem pietatis Angelorum erga homines, qui diem festum agunt in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, illi sunt nostri Doctores, per quos Deus inspirat, quo nobis opus sit ad salutem, illi nostri Anteductores; ideò orabat Dauid: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam:* illi illuminant mentem nostram, & à tenebris purgant, tuentur ab inimicis: *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum*, qui alis nos vt scuto protegunt; illi non dedignantur esse administratores salutis nostræ. *Omnes administratorij spiritus sunt in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, illi sunt à Deo nostri nuntij,

Psal. 142. n. 12. Psal. 33. 8. Hebr. 1. V. 14.

nuntij, medici, procuratores ad Deum, qui nostras orationes, & necessitates repræsentant Deo.

Cùm igitur tantæ sint pietatis erga homines Angeli, videtur arduum, & difficile eos in pietate imitari, sicut & in alijs eorum perfectionibus. In ætate nullus eis assimilari potest, minimus inter illos est ætatis, & durationis tantæ, quantæ cælum & terra, in sapientia quoque, quia omnia intuentur independenter à sensibus. In potentia prætera, *omnia quippe ad nutum obediunt corpora Angelis, quoad motum localem*, vt docet Doctor Subtilis. Verùm tamen etsi Deus infinities excedat perfectiones Angelorum, non est tamen impossibile homines imitari Deum saltim participatiuè; ideòque & Angelos imitari in his, in quibus est possibilitas, ab hominibus dignum est.

In hac itaque virtute, etsi omnes in vniuersum homines iusti, & sancti vt imitentur Angelos dignum sit, præcipuè tamen hortatur Apostolus Viduas ad pietatem exercendam erga Deum, & homines, atque tales in honore habendas iubet. Siquidem triplicis status Viduæ reperiuntur: quædam, quæ in timore Dei, domus, & filiorum curam habent: quædam, quæ se seruitio Dei dedicârunt, orationibus, & obsecrationibus Dei deseruientes, quædam verò epulis, & delitijs deditæ. Primæ pietatem colunt, aliæ pientissimæ sunt; tertiæ tandem obscuræ, Diabolum sequentes, & Christum abnegantes, atque iterum crucifigentes, sibi, & Reipublicæ nocentes, iram Dei prouocantes, & vltionem de peccatis suis postulantes, atque expectantes. 47. Status viduarum triplex, bonus, optimus, & nequam.

Illæ, quæ veræ Viduæ sunt, certant pietate cum Angelis, quorum officium est Dominum continuò laudare, & pro nobis obsecrare. Christus Dominus insinuans nobis desideria Angelorum, inquit. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: quasi vellet dicere. *Semper orant pro vobis*; neque enim solùm vident faciem Dei speculatiuè, verùm & practicè, vt idem D. Petrus insinuat, dum inquit. *In quem desiderant Angeli prospicere, semper vident faciem Dei*, quomodo igitur dicitur, *desiderare in illum prospicere?* nimirum postulando pro nobis, non pro se, cùm iam sint beati, & cum illa omnia possideant. Ille claudus, qui sedebat ad portam speciosam templi Salomonis, inquit Scriptura, *intendebat in D. Petrum, & Ioannem Apostolos, sperans se ab eis aliquid accepturum*; hac ratione Angeli desiderant intente Deum aspicere, *vt aliquid ab eo pro nobis impetrent oculis pietatis*. Cum his igitur Angelis, Viduæ deuotæ pietate certare debent, de die, & nocte Deum obsecrando pro Ecclesia sancta, pro fide vera Catholica Romana, quæ sola vera fides est, pro Regnis Christianorum, & necessitatibus eorum, &c. Ex his patet, quomodo fieri potest, quod *desiderent Angeli in Deum prospicere*; esto omnibus bonis

Matth. 18. 10.

1. Pet. 1. 12.

Actor. 3. 10.

bonis gloriæ cœlestis ditati sint, nec habeant, quid ampliùs desiderare debent, cùm sint beati.

Similiter Princeps Angelorum Sanctus Michàél, *tubâ cecinit dicens. Ignosce Domine, parce populo tuo*, quod est magnæ pietatis opus, vnde cùm aliquid
Iob. 12. 6. pro nobis impetrant Angeli, hortantur nos, vt gratias debitas Deo habeamus. *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, dicebat Archangelus Raphàél ad vtrumque Tobiam.*

48. Certant cum hac Angelorum pietate Viduæ illæ, quæ instant obsecrationibus die, ac nocte, & si quid pro Ecclesia Dei, pro Republica, & conseruatione eius à Deo acquirunt; *benedicunt Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitentur ei*, dicendo, quòd olim in cælo auditum est post obtentam victoriam de Lucifero. *Quis vt Deus? Nunc facta est salus, virtus, & Regnum*
Apoc. 12. 10. *Dei nostri.* Efficacissimæ sunt Angelorum ad Deum orationes. *Si fuerit pro*
Iob. 33. n. 32. *eo Angelus loquens, miserebitur eius*, inquit Iob. Sanctus Gregorius legit: *Eloquens.* Non dèèst illis suauitas loquendi, non desunt rationes ad inclinandam Domini pietatem, super miseriam hominum. Sanctus Hieronymus legit: *Interpretes.* Et benè, quia, quod minus consideratè exoptamus à Deo, illi corrigunt, & correcta Deo offerunt, vt est mos interpretibus.
Apoc. 8. 3. 4. Vnde in Apocalypsi dicitur; *vt daret de orationibus Sanctorum.* Non dicit; *vt daret orationes Sanctorum, sed de orationibus*, relinquendo, quod imperfectum est in orationibus, & offerendo, quòd perfectionem sapit.

Quænam viduæ certent cum Angelis pietate?

Efficaces quoq; sunt orationes Sanctarum Viduarum pro Republica, & Ecclesia Dei, exemplo Annæ Prophetissæ apud Isràélitas, quæ digna fuit videre Messiam, Deum & hominem in lege promissum. Apud Romanos Franciscæ Pontianæ Romanæ, vitæ innocentiâ, & miraculis claræ, quam Paulus Papa Quintus in Sanctorum numerum retulit. Apud Suecos Sanctæ Birgittæ. Apud nostros Polonos Sanctæ Elizabeth, Bèátæ Salomeæ, & aliarum plurium, quarum meritis, & obsecrationibus Regnum Poloniæ ad hæc vsque tempora prosperatur.

Perlucidi sunt Sanctarum Viduarum splendores, quòd in pietate, atq;
49. ad Deum supplicatione sint persimiles Angelis, sed lucidior ille, quo Viduæ Sanctæ superant etiam Angelos, in supportandis patienter ærumnis, quibus vita earum plena est; hoc declarat vel ipsa vox Viduæ, acsi enim vellet dicere, *vide væ*; quid enim boni in diebus suis post mortem mariti habet Vidua? siue familia, aut liberi, aut fortunæ ipsi relinquantur, siue secùs, vtrobique miseria Viduæ parata est. Si enim paupercula sit, & nihil habeat opũ, cogitet quisque, qualis vita, & solicitudo illius futura sit parandi victus gratiâ: quòd si opes aliquas obtineat Vidua ærumnosa, obruitur curis, & molestijs, opus enim est industriâ ad parcendum, sumptibus,

Viduæ superant Angelos in prædictis ærumnis.

bus ad conseruandum, litibus ad defendendum, laboribus, multisque alijs molestijs; nam filij, & hæredes, cogitationes magis ad hæreditatem accipiendam, quam ad obsequia præstanda ipsi intendunt. Quodsi Viduæ nulla sit soboles, non perinde sine labore est, tum quòd solitaria maneat, tum quòd marito, parentibus, fortunis, spoliata sit. Sin autem filij Viduæ relinquuntur, gemino labore tabescit: si enim paruuli sunt, magnam diligentiam requirit eorum educatio, si autem grandiores, plerumque superbi, inobedientes, malitiosi, desides, libidinosi, heluones, aleatores, mendaces, fatui, stupidi, inertes euadunt. Quanta igitur hîc opus est patientiâ, maximè verò, si filium habet vnicum, qui ipsi Patris, Fratris, &c. locò est? tunc enim, cùm minimè putat, ante oculos suos mortem eius aspicit, & quâ patientiâ mortem eius ferat, cogitat. Tam laboriosa est vita Viduarũ, tot tantisq; molestijs, & periculis expositus Viduarũ status, vbi lachrymis omnia redimenda sunt, ideò specialem protectorem Viduarum, & Patrem se declarat Deus per Prophetam. *Pater orphanorum, & iudex Viduarum*; & monet omnes in vniuersum iudices sub maxima pæna, nè à quoquam ad lachrymandum cogantur. *Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferantur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* *Psal. 67.6.* *Exod. 22. 21.*

50. Cauendum ergò est Iudicibus, alijsque Magistratibus, ne gemitus, & lachrymas Viduarum contemnant, monente Spiritu Sancto: *Ne despicias viduam, si effundat loquelam, gemitus, sufficiunt lachrymæ. Nonné lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius, super deducentem eas? à maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exaudit, delectabitur in illis*: alia litera habet; *non delectabitur in illis.* Proprium est aquæ descendere, non ascendere, nihilominùs lachrymæ, quæ sunt naturæ aquosæ, ascendunt vsque ad cælos, & Dominus in lachrymis quidem delectatur, sed illis, qui ex prædictis lachrymas eliciunt, irascitur, & indignabundus pœnam maximam minatur. Mirum sane est, quod etiam gentiles diuinas vltiones metuebant, adeò, vt pupillorum, ac Viduarum negotia promouenda curauerint, & iustitiam citò administrandam suaserint, ne, dum controuersiæ earum prorogantur, de fortunis, & existimatione, multum amittant. Id multis suadet M. Aurelius filio suo Commodo, subijcens. *Pater senex te alloquor, æquum est, vt me tanquam filius probè institutus audias.* Quis igitur in tam ærumnosa vita patientiam esse necessarium denegabit? Viduæ profectò in patientia superant Angelos.

Magistratus ac Iudices videant, ne despiciant, neq; affligant viduas.

In Horol. Princip. n. 699.

Illud quoque genus Viduarum, quæ domus curam habent in timore Dei, & filios, atque filias in omni sanctitate educandas suscipiunt, quæ item certant splendore pietatis cum Angelis. Filiorum cura præ omnibus

Iob. 1. n. 5. ibus alijs habenda est maxima exemplo Iob. *qui pro filijs suis tantò solicitus erat,* vt de illo dicat sacra Scriptura. *Consurgensque diluculò offerebat holocausta pro singulis,* quasi nihil sibi primum faciendum existimaret, quàm filiorum commodis vacare, ideoque & post restitutionem felicitatis, quia manum assuetam habebat in offerendis sacrificijs pro filijs, præcepit Deus amicis Iob, *vt assumptis septem vitulis, offerret Iob sacrificium pro illis.* Vbi Sanctus Chry-
Chrys. in Cant. sostomus. *Fit igitur Iobus Sacerdos, vt hic, qui pro suis liberis sacrificium facere solitus erat, nunc etiam pro amicis faciat* Quòd si pro filijs adultis tanta solicitudo habenda est, quantò magis de infantulis, qui opus habent nutrice, quæ eos lactet, baiulet, pedibus incedere, & loqui instruat? Commune est proloquium; *errare in principio, est in reliquum produci errorem,* si infantium, & iuuenum cura postponitur, ac educatio, nec in reliquum vitæ tempus ad illam attendetur. Ad plura autem diligenter debent, quibus id incumbit, nutrices attendere, nimirum, vt rectè corporis habitudinem dirigant, deinde appetitus ordinationem, vt cum ætatis augmento profectum augeant, & morum, vt sic cum ætatis processu corpus crescat, & studium.

51. Tria enim sunt, quibus egent pueri, vt in virtute crescant, naturâ, disciplinâ, & exercitatione. A natura habent indolem, & corpus bene dispositum, per moderata exercitamenta: disciplina tenellos tenerè castigatos in timore Dei instituit, hæc sine magno labore perfici non possunt, Angeli pietate erga homines affecti, vel inprimis lactant infantulos. Lactatos infantes ab animalibus irrationalibus testantur Annal. Romulus, & Rhemus à lupa lactati, Cyrus similiter: sed lactari ab Angelis incredibile videtur Nihilominùs de illis intelligitur illud Isaiæ. *Mamillâ Regum lactaberis, & erunt Reges nutricij tui;* sed quid mirum? siquidem & de ipso Rege Angelorum dicitur, quòd fideles suos lacte vulnerum corporis sui enutrit: & de Regina Angelorum, inquit Sanctus Bernardus. *Lacta Virgo panem Angelorum, lacta panem nostrum.*

Tria sunt, quibus infantes opus habent, vt in virtute crescant.

Isai. 60. n. 16.

In hoc igitur cum Angelis certant Viduæ, & nutrices. Ad nutricem spectat portare infantulum in manibus, in quo imitantur Angelos: quia
Psalm. 90. hoc idem faciunt Angeli: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.*

Nutrices baiulant infantes quocunque ièrint etiam in vijs suis: at Angeli portant homines in vijs tuis, scilicet Dei: *Angelis suis mandauit, &c. vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Nunquam deserunt hominem quocunque ièrit, ab hoste maligno, & in omnibus periculis tuentur ipsum, atque defendunt. Nutrices à planctu nimio cauent infantibus, vt robustiores fiant, sicut enim plorando spiritum, & anhelitum emittunt, & debilitantur, sic & cohibendo retinent, qui remissus debiliorem, retentus

robustiorem efficit. Et Angeli procurant, ne vnquam propter temporalia bona plorent nimium, eosque solantur, vt inquit Sacra Scriptura de Matre Ismaëlis.

Ad nutrices spectant instruere infantes in loquela, & idiomate, ideòq; naturâ loquaces voluit esse mulieres, ne deëssent, â quibus infans idioma disceret. Et in hoc quoque cum Angelis certant: nam Angeli nos instruunt in idiomate cœlesti, quo ipsi loquuntur ad inuicem: hinc Apostolus. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* In his certant ad inuicem nutrices, & Angeli. 1. ad Cor. 13. n. 1.

Cæterùm in hoc differunt ab Angelis, quòd nutrices Viduæ pueros iam adultos tradunt Magistris erudiendos, quorum operâ intellectus illorum illuminetur Religione, eruditione; voluntas, & appetitus in moribus ordinetur. Angeli verò non dedignantur esse hominum Magistri, quod est maximæ felicitatis argumentum. Si enim Philippus Rex Macedonum Dijs referebat gratias, quòd eâ ætate, quâ vixit Aristoteles, ei donauerint filium futurum eius magistrum: & Alexander plùs se debere dicebat Aristoteli, qui eum in Philosophia, alijsque scientijs instruxerat, quàm Patri, qui eum genuerat: Quantò magis nos debemus Angelis Sanctis, qui sunt nostri Præceptores, erudientes nos in sapientia, atque doctrina cœlesti cum summa facilitate, inspirando potiùs, quàm labore acquirendo, illuminando potiùs, quàm literis exarando. In hoc sanè superant non solùm labores viduarum infantiæ præstitos ab ipsis, verùm quoscunque doctissimos Præceptores, dum enim crescit ætas, crescit cura. Exemplum sit vel in solo Balaám, qui Magistro Angelo dirigente dicebat: Benedictionem prohibere non valeo. Vbi Petrus Damianus. Cum voluntate siquidem lingua pugnabat, nec poterat aliorsum impetum linguæ dirigere, nisi, quo spiritus præsidens direxisset, vnde, & orabat. *Domine, da sermonem rectum, & benè sonantem in ore meo.* 52. Angeli superant nutrices in educandis, & erudiendis hominibus. Num. 22. 20.

Tertium Viduarum genus reprehensibile est, quod leges à D. Paulo præscriptas negligit, & transcendit, vituperio non laude, aut comparatione ad Angelos dignum, quarum mores reprehensibiles publicat, & reprehendit idem D. Paulus: *Discunt,* (inquit) *circuire domos non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ.* Omnium profectò in vniuersum Viduarum status est molestus, & periculosus. Nam vidua, si domo exit, inhonesta censetur, si domo exire recusat, fortunas amittit, si paululùm ridet, leuitatis notatur, si visu abstinet, hypocrisèôs accusatur, si frequens in templo est, adulatrix dicitur, si templum non adit, in virum fidelem ingrata perhibetur, si malè vestita incedit, nimietatis insimulatur, si vestita mundiùs est, molestè ferre viduitatem arguitur, si tetrica est, arrogans dicitur, si affabilis, 53. Viduæ reprehensibiles omnium viduarum infelicissimæ, & monstruosæ. 1. Tim. 5. 13.

mox

mox domus suspecta habetur. Et vt vno verbo dicam, vel sexcentos Viduæ infelices vitæ suæ censores, at opitulatorem ærumnarum ne vnum quidem reperiunt. Cæterùm infelicissimæ omnium Viduarum, quæ circumeunt domos, & non solùm sunt otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ: grauissima sunt hæc vituperia, quibus reprehenduntur Viduæ: circuire domos, tempus in visitationibus huius, atque illius domus conterere, & infamiam contrahere, atque peccare contra illud præceptum. *Esto Vidua in domo.* Esse garrulam & curiosam, est monstruosum. Abominabile monstrum esset, si quis amisso capite garrulosus esset, aut curiosè auro, & gemmis exornaret corpus, cui caput ablatum est. Porrò vir est caput mulieris, ablato igitur viro ex hac vita, mulier est sine capite, quòd etiam vel ipsæ fatentur, dum post mortem mariti caput velant lugubri illa telâ, vt palàm omnibus sit, caput earum ampliùs in viuis non esse. Si igitur & garrulosæ sunt, & curiosæ, & ambulatrices, monstra sunt, non Viduæ.

Plutarchus olim dicebat tales Viduas persimiles esse Lunæ: dum enim Sol oritur, & lucet in meridie, luna reticula manet, sed dum sol occidit, Luna palàm est, omnibus se monstrat: & subdit, plures viduas reperiri, quæ viuentibus viris domi se continent, laboribus, & curæ domus deditæ,
Psal. 127. 3. iuxta illud Dauidicum: *Vxor tua, sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Sed dum vir è viuis tollitur, discunt circuire domos curiosè vestitæ contra
1. *Tim.* 2. 8. præscriptum D. Pauli dicentis: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, sine ira & disceptatione: similiter, & mulieres in habitu ornato cum verecundia sobriè ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona,* quod si prohibetur curiositas in ornatu mulieribus in vniuersum, quantò magis Viduis, quæ comparantur
54. Lunæ à Plutarcho? cui subscribo, non tamen ob eam causam, quam retuli

Viduæ comparantur lunæ, & quare? ex ipso, sed quia *sicut luna, obscurato sole, manet tristis & obscura, ita Viduæ Sole tenebris mortis, viro suo obscurato, debent manere in domo tristes, & melancholicæ, non otiosæ tamen, sed bonis operibus deditæ, ieiunijs, & obsecrationibus.* Aliàs D. Pauli præceptum est scribentis ad Timotheum, & præcipientis *tales Viduas, ambulatrices, otiosas, garrulas, curiosas, deuitandas esse. Adolescentiores autem Viduas deuita, cùm enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, quia primam fidem irritam fecerunt.* Syriaca & Græca habet, *à Viduis illis, quæ sunt adolescentulæ, recede.* Pagninus. *Porrò iuniores Viduas reijce: cùm enim lasciuire ceperint aduersus Christum, nubere volunt in Christo*, ideoq; huius loci meminit textus in cap. de Viduis 2. 27. quæst. 1. vbi de Viduis, quæ propriâ voluntate castitatem professæ sunt, dicitur, quòd promissam Deo fidem pudicitiæ seruare debeánt, & custodire. Verùm, & de supra dictis Viduis vanitati deditis, id intelligi potest, quæ oblitæ animarum defunctorum virorum, quas iuuare deberent, vel oblationibus

nibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut carorum elèémosynis, aut ieiunio cognatorum, ad fabulas circumeundo domos, ad otiositatem, loquacitatem, curiositatem conuertuntur. Itaque sicut primi generis Viduæ laude dignæ sunt, ita hæ vituperio. *Illas, quæ veræ Viduæ sunt,* iubet Sanctus Paulus *honorare, defendere, illis quoque præsidium ferre,* vt S. Ambrosius suadet, cùm inquit: *Extende manum tuam, communis est ista, generalisque medicina. Extende illam, vt proximum iuues, & Viduæ præsidium feras, eripiens ab iniuria, dum vides iniustè contumelijs subiacere. Extende manum ad pauperem, qui te obsecrat.* Communis est, inquit, generalisque medicina. Et quis author, & inuentor illius, nisi Christus Dominus? de quo dicit Lucas: *Inuenit hominem dexteram manum aridam habentem.* Communis est generi humano hæc infirmitas ab Adamo contracta, statim namque, vt illam extendit in pomum prohibitum, arida facta est, sicca, contracta, & breuis. Arida defectu virtutum, sicca timiditate animi, contracta illiberalitate, & temeritate: breuis bonorum operum, & charitatis tenax, & talem nobis primus homo reliquit, & communicauit. Sed postquam ille infirmus extendit manum mandato Christi, restituta est illi manus. Non erat opus industriâ, & labore multo chyrurgorum, cauterijs, & medicinis, purgantibus Medicorum, satis erat extendere manum in opera pietatis, vt inquit Sanctus Chrysostomus. *Vt cito eam in opera pietatis extendat, relaxet in misericordia, & in elèémosynis porrigat.* Et Gaudentius, Nazianzenus, Chrysostomus, plures huius extensionis manus fructus amplificant. Gaudentius ait, hac extensione placari iudicem. *Vende* (inquit) *patrimonium, vt omne patrocinium, eius interuentu, certus de impetrata venia venturi iudicis liber merearis accipere.* Nazianzenus verò dicit; *per hanc extensionem, hominem fieri loquentem coram Iudice.* Auro eloquentiæ, (inquit) iners est omnis oratio. Et tandem D. Chrysostomus docet, illâ extensione comparari aduocatum, & animosum fieri. *Tamen,* (inquit) *etsi multa habueris peccata, aduocatus elèémosyna est, ne timeas.* Deniq; Iob; *prædictâ extensione extingui ignem peccatorum.* Apostolus enim diuitias ignem nominat. Fiat igitur ex diuitijs aqua, quæ gehennæ ignem extinguat, iuxta illud: *Sicut elèémosyna extinguit peccatum, &c.* Et tandem Sacra Scriptura retributionem insinuat copiosam, dum de Viduis loquens, inquit: *Manum suam extendit in pauperem.* Alia litera habet. *Palmas suas*: quia, quod contulit pauperi manu, hoc à Deo recipit palmis.

S. Amb. in Luc. cap. 23.

55. Valor maximus elèémosynæ declaratur.

Serm. 22.

Tract. 13. de natali Domini.

Naz. or. orat. 9. ad Iuli.

D. Chrys. hom. 9. de Panit.

Prou. 31. 20.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
Horum Librorum.

Litera L. Librum significat, T. Tractatum libri denotat, C. Caput indicat, N. numerum marginalem, seu Conceptum ostendit, P. paginam demonstrat.

A.

Anima

B.

C.

Consi-

E.

L.

M.

N.

O.

R.

S.

T.

V.

INDEX SACRÆ SCRIPTVRÆ VTRIVSQVE LIBRI.

Litera L. Librum significat, T. Tractatum libri denotat, C. Caput indicat, N. numerum marginalem, seu Conceptum ostendit.

Ex Lib. Genesis.

Ex Lib. Exodi.

Ex Lib. Leuitici.

Ex Lib. Numerorum.

Ex Lib. Deuteronomij.

Ex Lib. Ioſue.

Ex Lib. Iudicum.

Ex Lib. I. Regum.

Ex Lib. Iob.

Ex Lib. Psalmorum.

CXLIII.

Ex Lib. Prouerbiorum.

Ex Lib. Canticorum.

Ex Lib. Ecclesiastes.

Ex Lib. Sapientiæ.

Ex Lib. Eccleſiaſtici.

Eſaiæ Proph:

Ex Lib. Hieremiæ Proph.

Ex Lib. Threnorum.

Ex Lib. Ezechielis.

Ex Lib. Malachiæ.

Ex Lib. I. Machabæorum.

Ex Lib. II. Machab.

Ex Euangelio Matthæi.

Ex Euang. Marci.

Ex Euang. Lucæ.

Ex Euang. Ioannis.

Ex Actibus Apost.

Ex Epistolis B. Pauli Apostoli.
Ad Romanos.

Ex I. ad Corynthios.

Ex II. ad Corynth.

Ad Galat.

Ad Ephes.

Ad Philippenses.

FINIS.





